



P. PAPINII STATII

OPERA OMNIA

EX EDITIONE BIPONTINA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN PRIMUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1824.



CONSPECTUS

EORUM QUÆ HAC EDITIONE

CONTINENTUR.

	Pag.
Claudii Beraldi Epistola Serenissimo Delphino	1
Marklandi Præfatio	3
P. Papinii Statii Vita	23
De P. Papinio Statio Commemorationes, Judicia, Elogia, &c.	28
Elenchus Alphabeticus nonnullorum scripturæ compendiorum quæ in VV. LL. occurrunt	42
P. Papinii Statii Sylvarum	
Lib. I.	45
Lib. II.	186
Lib. III.	290
Lib. IV.	397
Lib. V.	489
Thebaidos	
Lib. I.	593
Lib. II.	696
Lib. III.	778
Lib. IV.	855
Lib. V.	950
Lib. VI.	1023
Lib. VII.	1109
Lib. VIII.	1182
Lib. IX.	1250

Pag.

P. Papinii Statii Thebaidos
Lib. X. 1319
Lib. XI. 1393
Lib. XII. 1450
Achilleidos
Lib. I. 1515
Lib. II. 1579
NOTÆ VARIORUM in Sylvarum
Lib. I. 1619
Lib. II. 1669
Lib. III. 1694
Lib. IV. 1720
Lib. V. 1745
Thebaidos
Lib. I. 1768
Lib. II. 1795
Lib. III. 1820
Lib. IV. 1839
Lib. V. 1868
Lib. VI. 1887
Lib. VII. 1913
Lib. VIII. 1934
Lib. IX. 1950
Lib. X. 1964
Lib. XI. 1982
Lib. XII. 1992
Achilleidos
Lib. I. 2005
Lib. II. 2034
NOTITIA LITERARIA de Papinio Statio . 2051
Recensus Editionum Statii . . 2054
Recensus Codicum Mss. Statii qui in Bibliothecis Britannicis asservantur . . 2067
INDEX i

SERENISSIMO

DELPHINO,

S. P. D.

CLAUDIUS BERALDUS.

NON hodie primum, SERENISSIME DELPHINE, Publius Papinius Statius potentiorum intrat limina. Fuit olim Domitiano Imperatori ob ingenium acceptissimus, et ter Cæsarea manu coronatus, quæ summa laus est. Scriptaque tanti vatis ea semper fuere commendatione, ut ausim sperare, novam eorum editionem, quæ sub tuo Augustissimo nomine in lucem nunc prodit, tibi munus haud ingratum futurum. Præcipuum ejus opus Thebais continet vetustissimum Græciæ bellum, gestum inter duos fratres, qui de Thebarum imperio contendebant. Illic videre est validissimam gentem totam in se conversam: inauditæ virtutis facinora: stupendos eventus: Heroëm se pro patria devoventem: ducem impium fulmine percussum: fratres sese mutuis vulneribus conficientes; nec odia morte extincta, divisis et secum invicem confligentibus rogi flammis. Hoc illustre argumentum Papinius tam feliciter tractavit, ut in Epico genere, post Homeri opera, divinamque Æneida, nihil Thebaide videatur perfectius. Quid Sylvis ejus amœnius? Quid floridius? Quanta hic operum varietas! In Achilleide, Achillis Græcorum fortissimi gesta conscribere statuerat. Quid in hoc opere summus ille et excitati spiri-

tus Poëta præstitisset, ex duobus primis libris, quos solos composuit, facile intelligitur. In his, SERENISSIME DELPHINE, vivam tuæ educationis videmus imaginem. Ibi sapientissimus Chiron animum ingeniumque illustris sui discipuli omnibus virtutibus et optimis disciplinis excolit, et exornat, ejusque corpus bellicis exercitationibus indurat. In omnibus autem Papinii operibus, ut ingenium elucet, sic honestas morum, qua præcipue commendandus est, eaque tot salutaria vitæ præcepta, monitaque ac graves sententias continent, ut scriptorum ejus lectio, sicut gratissima, ita utilissima. Sed inter ejus dicta, nihil tibi, SERENISSIME DELPHINE, magis proprium est, quam illud: 'Disce patrem,' quo nobilem adolescentem ad patris imitationem, viri optimi, ejusdemque summi ducis, exhortatur. Et certe quid dici potest, quod te plus deceat, quodque magis pronis auribus excipias, quam hoc, 'Disce patrem?' cum parens tuus LUDOVICUS MAGNUS sit omnium virtutum, quæ inesse possunt tam principi viro, quam privato, absolutissimum exemplum. Si enim spectemus ejus erga Deum pietatem: erga Religionem Catholicam amorem: vim mentis atque amplitudinem, quibus solus tot ac tanta negotia sustinet: fortitudinem, qua tot res præclarissimas edit: moderationem animi, qua sibi imperat in prosperrimo fortunæ suæ cursu: studium in egregia quæque, quo artes ingenuas pæne exules revocavit: denique si spectemus ceteras ejus eximias dotes, speciem imperio dignam, gravitatem, justitiam, liberalitatem; fatendum, nihil tale majores nostros vidisse, tale nihil nepotes visuros. Et in hoc tua laus eminet, SERENISSIME DELPHINE; in te enim splendere jam videmus quicquid in tanto principe admiramur, tuque tam excellens exemplum perfectissime repræsentas. Mihi autem præcipue suspiciendus, amandusque Papinius, cum mihi occasionem aliquid in usum tuum exarandi subministraverit, mihique abunde erit gloriæ, si lucubrationes meæ non tibi displicuerint. Vale, SERENISSIME DELPHINE. Deus Optimus, Maximus, tibi læta omnia faustaque annuat.

MARKLANDI PRÆFATIO.

LECTORI S.

LIBUIT experiri quid efficere possem in restituendis Statii Sylvis. Et primo quidem pedetentim et timide et quasi rem sacram tacturus accessi; veritus nempe huic Luco immittere securim post labores Gronovii, Gevartii, Barthii, Domitii, Morelli, Crucei, Tiliobrogæ, et aliorum;

motusque verenda
Majestate loci, si robora sacra ferirem,
In mea credebam redituram membra securim.

Lucanus III. 429.

Postea, deprehenso uno vel altero loco in quo iis quoque humanitus aliquid acciderat, audacior factus, ad cetera eorum examinanda, et simul diligentem Poëtæ ipsius lectionem me accinxi: ex qua hoc statim assecutus sum, ut vix decem versus perpetuos in ulla harum Eclogarum me adhuc intellexisse, non sine admiratione, perspicerem. Hinc enim obturbabat Latinitas, falsa vel suspecta; illinc, sensus nullus, crebræ absurditates, contradictiones non paucæ, mos et compositio minime Poëtica: denique, Οὐδὲν ὑγιές. Atrox, inquies, accusatio: et est sane; sed manedum, Lector; et nisi in Notis veram præstitero, non intercedo quo minus impudentissimis et mendacissimis mortalium me acenseas.

His igitur difficultatibus magis incensus, denuo adortus sum; hoc fine, ut ad sensum et propositum Auctoris quoquo modo pervenirem: sperans fore, (quod in aliis Auctoribus solenne noveram,) ut, si rem providissem, verba et

veræ Lectiones non invitæ sequerentur; diversæ quidem illæ, attamen a vulgatis non multum discrepantes; calami saltem ductibus, et literarum apicibus alludentibus. At, Dii boni, quantum in hac quoque parte falsus fui! Statim enim deprehendi, non cum punctis et apicibus et minutiis hisce criticis rem mihi futuram; sed debellanda esse 'monstra horrenda, informia, ingentia,' et (ut Ille ait) quibus omne 'lumen ademtum.' Non enim leviter aut more solito in his Sylvis grassatæ sunt ignorantia et depravatio: sed penitus, et in imas medullas descendit pestis, non sine ferro et cautere extirpanda. Notatis igitur nonnullis locis quæ non intellexi, et de quibus siluerant Interpretes, lectioni Statianæ diligentius incubui; experturus scilicet, an lucem aliquam sibi ipsi fœneraret Vates obscurissimus. Hoc tandem modo sese primum aperuit: donec aliud ex alio arripiens, et Statium sibi ipsi comparans, adblandiente profectu, in hanc persuasionem devenerim, ut ex quingentis locis quæ non intellexeram, jam non restent quadraginta de quibus desperem.

Et illa quidem facile tolerari et tolli potuerunt Librariorum errata, quæ nascebantur ex positione vocis alicujus pro diversa ejusdem quantitatis et quæ ab eadem litera inciperet. Planius loquar: Obvium fuit, saltem non adeo difficile, sensu necessario postulante, et literis præeuntibus, pro *et fervent compita flammis*, substituere *effulgent;* pro *verbere crudo, crebro;* pro *docto numine, dextro;* pro *admirante Fortuna, adversante;* pro *serenam, sedentem;* pro *munera cessant, munera census;* pro *Sic tota cum veste ruit, Sicut erat cum veste ruit;* pro *pudor inde novæ mentis, ingenuæ mentis;* pro *aut, atria;* pro *illi, hilari;* pro *cura, cultu;* quæ omnia (et multo plura possem) ex duobus prioribus Libris harum Sylvarum excerpsi: hæc, inquam, et similia non multum forte negotii facesserent attento Lectori, et qui sensui inhæret, et mentem Auctoris et vestigia subsequitur: quid vero dices, cum inveneris *lecto* pro *furto; domus alta* pro *Venus] alma; mensas* pro *nymphas; curvatus* pro *nudatus; bibit* pro *tulit; Discite,* pro *Vivite; Libertas* pro *Nobilitas;*

post crimina formæ pro *discrimina; carmen vitæ* pro *limine;* et hæc omnia (quæ itidem ex duobus prioribus libris desumta sunt) a viris Doctis aut transmissa, aut, quod æque miraberis, defensa et explicata? Quid denique, cum ad illa monstra veneris, *pcraravit auro* pro *decoravit; vadosæ Africæ* pro *dolosæ; Rusticus* pro *Troasin: perpetuis fastis* pro *centenis fastis; Atque tibi moresque tuos* pro *Meque habitus moresque tuos; fossa* pro *campo; oculis* pro *lacrymis;* iterum *oculis* pro *rogis; metas* pro *turmas; Sylva una* pro *Si conjunx; vexo tecum* pro *verso Phœbo;* et, ut uno exemplo omnia portenta complectar, quid, cum ex hisce duobus versiculis Lib. IV. 3. 20.

Hic scenis populi vias gravatas
Et campis iter omne detinentes,

ut nunc vulgo leguntur, et a viris doctissimis explicati fuerunt; cum ex his, inquam, decem vocibus, sex, et in nonnullis Editionibus septem depravatas probavero? Habebisne fidem, Lector, his miraculis? an potius paratus eris non credere etiamsi credideris?

Atque hoc loco destinaram aliquid dicere de Mendis Statianis; et exemplis ex Mss. et antiquis auctoribus prolatis originem hujusmodi errorum detegere: sed diffundente se latius materia, et in capita plura surgente, commodius visum est hic omittere; præsertim cum in Notis plerumque, quando opus est, hoc facturus sim. Interea de conditione harum Sylvarum sic habe: Scripti earum Codices rarissimi sunt: duos habuit Barthius; (unum literis capitalibus exaratum, qui utinam extaret;) neutri eorum nisi perpaucis horis uti illi licuit, propter flammas mansioni ejus injectas; quibus tamen elapsos illos suspicatus est.[1] Alium laudat Justus Zinzerlingius, Promuls. Critica: alium, Lipsianum, Bernartius in Notis passim: alium Gebhardus Curar. Juvenilium lib. III. Senensis vero et Medicei Excerptis utebatur Gronovius; et postea, uno Joannis Rhodii, chartaceo; altero Archiepiscopi Salisburgensis, membranaceo.

1 'Hanc notitiam Marklandus ex Adversariis Barthii petiit.' *Hand.*

Nic. Heinsius ex Mss.[2] (non dicit quibus) nonnulla loca emendat. Fr. Tiliobroga mentionem facit Codicis Puteanei, alterius Nic. Fabri, unius P. Petavii.[3] Facile vero fieri potest, ut aliquot ex his qui diversis nominibus a viris doctis appellantur, sint unus tantum idemque Codex, titulum cum possessore mutans. Extat tamen in Bibliotheca Christianiss. Regis Galliæ Codex satis antiquus harum Sylvarum, prout me monuit a peregrinationibus redux vir eruditissimus Thomas Bentleius, LL.D. tam suo quam Patrui nomine bene jam notus, et olim noscendus. Hujus collationem ex majore parte ipse Lutetiæ commorans absolverat; sed infortunio meo schedas Romæ reliquerat: et longius processerat prelum quam ut commode et mature ἀντιβολὴν Parisiis possem accersere: in quo tamen operam suam amice præstare paratus erat vir benevolentissimus. Si vero hujus Codicis aliquando compos fuero, et si tanti videbitur, Curas Secundas huic operi non pigebit impendere.

Ex his vero Libris, quos supra memoravi, in locis difficilioribus et manifesto depravatis raro quicquam aut multum auxilii; sæpius nullum. Ex qua conspiratione possum concludere, aut menda Statiana admodum vetusta esse, aut Codices, ex quibus profluxerunt quotquot extant harum Sylvarum exemplaria, non fuisse valde vetustos: hos vero non adeo vetustos fuisse hinc colligo, quod pleræque depravationes ejus generis sunt, ut vix proficisci potuerint nisi a Libris minuto charactere seu literis Longobardicis (ut vulgo dicuntur) conceptis: hoc vero scribendi genus ante sæculum a Christo nato octavum vel nonum non obtinuisse norunt Eruditi. Ex hujusmodi Codice vel Codicibus transcripta esse quotquot extant Sylvarum exemplaria admodum verisimile est, quia plurimæ voces in alias demigrarunt similitudine ductuum calami. Ita *bibit* pro *tulit*: quoniam calami ductus in utroque vocabulo iidem pæne

[2 Ex codd. Vaticanis quatuor. Vide Elench. Scripturæ Compend. et Syllog. Epist. T. v. pp. 532. 537.]

3 'Hi codd. non Sylvas continent, sed Thebaidem.' *Hand.*

sunt, si isto charactere scribatur; magis diversi, si literis uncialibus concipiantur voces BIBIT, TULIT. Idem dicendum de *tibi* pro *bibe* Sylv. v. 2. Sic *turbes* pro *tingas*, cum *tur* et *tin* idem sint, *b* vero et *g* sæpissime pervertantur. Ita *terræ* pro *cervæ*, cum *t* et *c* simillimæ sint, et nisi sensu vix dignoscendæ: dissimiliores aliquanto, si capitalibus scribas, TURBES, TINGAS; TERRÆ, CERVÆ. In singulis paginis exempla hujusce generis habebis; cum perpetuo commutetur *a* in *u*; *e* in *i*; *o* in *u* et *c*; *u* in *ic*: et hæ omnes vice versa. Sic *r* in *i* et *t* et *s*: *c* in *s* et *l*: *te* in *a* coaluit; unde pro *serenam* restitui *serentem*, hoc est, *sedentem*: contra *et* pro *a*; unde pro *bile feret*, feci *fera*. Sed hujusce generis præcipua est restitutio loci Sylv. II. 6. 27.

Nec Paris Œbalios talis visurus amores
Rusticus invisas dejecit in æquora pinus;

ubi probo scribi debere, *Troasin invisas* pro *Rusticus*. Vide autem initium et progressum hujus mendi: ultima syllaba *in* amissa erat in voce proxime sequente, *invisas*, ut sæpe fit: inde *troas* ceperunt pro *ticus*, cum literarum differentia in isto charactere minima sit, et nisi peritis vix dignoscenda: adjecerunt deinde vel ex voce præcedente, vel ex ingenio, syllabam *rus*: et sic concinnarunt vocem *Rusticus*, quæ absurda est et falsa.

Infinitum esset si omnia in hanc rem dicenda exequerer: desinam igitur, si prius notavero aliud mendorum genus ex hac præcipue scriptione et charactere profluens: hoc est, cum totæ voces, non literæ tantum una et altera, pro aliis substituuntur: non quin et antiquioribus Libris, et literis majusculis scriptis, hoc usuvenerit; sed non tam frequenter, nec tam facili erroris occasione. Quippe interdum Interpolatores, interdum festinantes Librarii, quorum lucro erat libros quam celerrime transcribere, cum nacti essent Exemplar aliquod, vel literis minusculis et abbreviationibus, vel vetustate aut multo usu et manuum tractatione obscurius, non semper fidei litabant; sed posthabita veteri et vera Lectione, cui indagandæ aliquod temporis forte

esset insumendum, aliam de suo benigni impingebant; de sensu securi, modo ne violaretur metrum, et exemplarium suorum venustas. Hoc autem semel admisso, sæpe accidit ut reliqua pars versus immutanda esset, ut sensum inductitiæ voci congruentem haberet: quo pacto, error unus Interpolatoris vel Librarii ansam dedit duobus vel tribus aliorum in eodem versu. Huic Scribarum festinationi, vel Interpolatorum audaciæ, refero, quod Sylv. I. 2. pro *vota precesque* vulgo legitur *dona:* et tale aliquid accidisse suspicor I. 3. 21. ubi Anio fluvius dicitur *Saxeus.* Hinc etiam venit *partem* pro *noctem; Libertas* pro *Nobilitas; nube* pro *laude; fateor* pro *pariter; Moribus* pro *Fascibus:* hinc *carmine* pro *numine; carmen* pro *limine; carmina* pro *tempora; carmina* pro *munera; jugera* pro *munera; vulnera* pro *munera; funera* pro *vulnera; vulnera* pro *murmura; funera* pro *fulmina; pulvere* pro *fulgure; pectora* pro *lumina:* quæ omnia loca restitui ex hac certissima regula, quod hinc stabant sensus et elegantia et usitata mutatio, illinc plerumque absurditas. Quippe notandum est in hac parte, non solum apud Statium, sed et ceteros omnes Poëtas, voces *munera, vulnera, nomina, limina, lumina, flamina, flumina, fulgura, fulmina, funera, numina, murmura, carmina, tempora, germina, gramina,* et similia trisyllaba dactylica, sæpe in Mss. Codd. pro se invicem substitui:[4] nec dubito quin Æneid. XII. 518. ubi nunc legitur:

piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
Munera,

Virgilius scripserit 'Limina;' ut apud Martialem Epigr. XII. 18.

Dum per limina te potentiorum, &c.

et Claudianum in Pr. Cons. Stilich. I. 42.

nullis hærere potentum
Liminibus;

4 'De hac re vide Georg. Frid. Stephan. Stieberi Conjectanea et opiniones in nonnulla P. Ovidii, &c. loca. Erlang. 1786. p. 6.' *Hand.*

et alios sine numero locos in utriusque generis scriptoribus; et quod propius est, Servius videtur pro varia lectione invenisse 'munia;' inter quam vocem et 'limina,' detracta litera *l*, utpote initio versus, parum est differentiæ; cum ductus calami fere iidem sint in 'munia' et 'imina:' et has voces 'munera' et 'limina' alibi commutatas sæpe observavi. Nam Georg. IV. 520. pro 'munere' legendum esse 'nomine,' extra omnem controversiam positum puto, post ea quæ dixi ad Sylv. III. 3. 87. Sic 'limina' et 'mœnia' commutantur in Mss. apud Ovid. Met. VI. 600. et XIV. 456. 'lumina' et 'tempora' Ibide 32. 'pectore' et 'lumine' Seneca Herc. Fur. 219. 'tempora' et 'mœnia' Horatio Art. Poët. 140. 'sanguine' et 'littore' Sil. Italico V. 273. Idem X. 133. de Annibale,

Ni letho det cuncta virum, jungatque parenti
Corpora, et excidat miseros cum stirpe penates:

ita in omnibus, opinor, legitur: sensus vero et oppositio plane postulant, 'jungatque parenti pignora,' id est, 'natos.' Propertius IV. 4. de Tarpeia:

Dixit, et incerto permisit brachia somno:

ita vulgo legitur. Sed an aliquis unquam intellexit quid sit 'permittere brachia somno?' certe legendum vel 'lumina,' vel, quod propius est, 'pectora;' ut apud Nostrum Sylv. III. 2. 'quos nunc ego pectore somnos, Quosve queam perferre dies?' Ita apud Rutilium Numatianum Itinerar. I. 229.

Præsidet exigui formatus imagine saxi
Qui pastorali nomina fronte gerit:

loquitur de Castro Inui, oppido in Italia; cujus oppidi præstes erat Inuus, idem qui Pan: jam vero quid est 'gerere nomina pastorali fronte?' Lege:

Qui pastorali cornua fronte gerit:

ita enim fingebatur Pan vel Inuus: Macrobius Saturnal. I. 22. 'Ergo Inui cornua barbæque prolixa demissio naturam lucis ostendunt,' &c. Nemini dubium esse potest

quin ita scripserit Rutilius: et si istud Poëma editurus essem, sine hæsitatione in Contextum reciperem 'cornua' pro 'nomina.' Sic 'tempora' et 'munera' commutantur Manilio IV. 205. 'nomina' et 'præmia' Ovid. Fast. V. 205. 'gurgite' et 'littore' Claudiano in Rufin. I. 186. 'omine' et 'pectore' Catullo de Nupt. Pel. et Thet. ad finem. Val. Flaccus II. 324.

Venus ipsa volens dat tempora jungi,
Dum vires utero, maternaque sufficit ætas:

de 'connubiis' loquitur; unde patet eum scripsisse, 'dat fœdera jungi:' cujus phraseos vide exempla apud Cl. Burmannum ad Ovid. Met. VII. 403. et ubique occurrit. Possem tibi, credo, (nec ex Poëtis solum,) quadringenta hujusmodi mutationum exempla proferre: hæc pauca adduxi, ne nimium mireris quando in Contextu hujus Editionis legeris 'munera' pro eo quod erat *vulnera*, Epiced. Patr. 45. vel 'munera' pro *carmina* Epiced. Puer. 14. vel 'vulnera' pro *funera* ibid. 46. et hujusmodi nonnulla. Ubi enim res erat manifestæ veritatis et summæ necessitatis, admisi in Contextum (cur enim mihi negaretur, quod nisi aliis concessum antehac foret, vix duos versus continuos in his Sylvis potuisses intelligere?) non aliorum solum, sed etiam meas Conjecturas: in hac parte secutus consilium summi magistri, Gronovii: 'Cur enim (inquit Ille, Præfat. ad Senecam) tantus labor insumitur eruendæ doctrinæ Veterum, et operibus redintegrandis, si nullus inde ad ipsos redeat fructus? Quid juvat toties novare Editiones, ut eædem corruptelæ in singulis maneant? Itaque fit sæpenumero, ut lector in facilibus intellectu, si bono consilio assumta è Criticorum scriptis (quæ omnibus evolvere non semper vacat) genuina manus Auctori reddita esset, quia vulgatum retinetur ulcus, crucietur; potiorem partem aut non perceptam aut male, transeat; et nihil quod imitari tuto possit, inveniat.' Hæc ille, optima sane, et utilissima si adhibeatur judicium; cui, quantum valui, intendi: et hoc temperamentum secutus sum, ut si in vulgata lectione aliquid sit

absurdi, vel falsi, vel inelegantis; contra vero, in Conjectura sive mea, sive alius cujuspiam, ratio, auctoritas ipsius Statii et optimorum Scriptorum, una cum minima vel usitata discrepantia a vulgari scriptura; istud ejiciam, hoc in Contextum assumam. Atqui, dicunt, si hoc semel concedatur, actum est de antiquitate, et pro Statio legemus nescio quem. Immo, respondeo, pro nescio quo leges Statium. Si enim tu, levi vel usitata mutatione vocum, ex eo quod absurdum erat vel non intelligendum, efficere potes sensum perspicuum et vividum, filum Poëmatis et sermonem apte connexum præcedentibus et subsequentibus, Numeros æquabiles, et ceteris ejusdem Poëtæ pares et similes; denique, cui nihil ab ulla parte objici possit; statim exclamabo, εὕρηκας; atque hoc, non isto modo, Poëtam scripsisse credam. Quid enim si centum Codices consentiant in hoc Virgilii loco Æneid. VII. 593.

> Multa Deos aurasque pater testatus inanes,
> Frangimur heu ventis, inquit, ferimurque procella:

anne ideo dubitares in Contextum admittere, ex conjectura,

> Multa Deos arasque pater testatus inanes?[5]

Præsertim cum in isto nullus sit sensus; et ipse alibi eandem sententiam iisdem fere verbis proferat, Æneid. XII. 496.

> Multa Jovem et læsi testatus fœderis aras:

quem locum exscribit perpetuus ejus imitator Sil. Italicus XVII. 87.

> castas polluti fœderis aras
> Testatus.

Et VI. 692.

> pollutas fœderis aras
> Deceptumque Jovem.

Quis tam inepte fautor Veterum Lectionum, ut non hoc

5 'Addimus hoc suffragium membranorum, quæ Hamburgi in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis servantur, in quibus diserte *arasque* exhibetur.' *Acta Erudit.* 1729. *pag.* 382.

concedat? nemo certe; nisi si quis tam durus reperiri queat, ut fateatur se vetera et falsa quam recentia et vera malle: cujus sinisteritatem pro judicio suspicere, næ esset indicium mentis infirmæ, et veritatis numine parum contactæ. 'Revereor sane (ut ille ait, ad Livium XXIV. 25.) Veteres Libros; ita tamen ut illorum scripturam nunquam prævertam ei quam ipsos auctores reliquisse credibile est.' Quando igitur in Textum admitto *Parthenopeque* pro *Major et inde; Si conjunx* pro *Sylva una; Meque habitus moresque* pro *Atque tibi moresque; lacrymis* pro *oculis; decoravit* pro *peraravit;* et centum alia ejusdem audaciæ et veritatis; scito, Lector, me adeo non petere veniam, ut etiam tibi imputem. Atque utinam pari certitudine (pæne Mathematica) in ceteris difficilibus locis versari potuissem! omnia uno ordine habuissem, Catienis mille ducentis reclamantibus. Quid enim refert a qua parte veniat, modo venerit, veritas? eadem est Dea, sive a me et Cruceo, sive ab Heinsio et Gronovio in lucem proferatur; nisi nobismetipsis tam maligni et iniqui judices esse volumus, ut quod ab aliis profectum pro vero statim amplecteremur; id, quia nostrum est, inter dubia rejiciamus: quæ quidem diffidentia a judicio et vero profectu æque longe remota est, ac oppositum ejus φιλαυτία. Hæc semper sibi applaudit, et, licet fallatur, rem bene gestam autumat: illa semper pendet et fluctuat etiam in veris; certe autem tam peccat qui nihil credit quam qui omnia: et si ab alterutro perire necesse sit, felicior videtur sors copia quam fame pereuntium. Sed mediam viam insistit judicium; neque ultra Verum progreditur, neque citra deficit.

Non tamen mihi in hac parte conjecturali, quæ cuique maxime adblanditur, semper indulsi: sed ubicumque erat dubitationi locus, Conjecturam ad imam paginam plerumque detrusi: unde petas licet, si non ipsum Statium, sensum tamen vulgato potiorem, et cujus in Notis rationem reddam; quas quia non otium aut animus tibi forte fuerit consulendi, statui hoc pacto decidere cum deliciis et fastidio tuo. Extra hos fines si me evagantem unquam depre-

henderis, injicias, quæso, manum, et in viam reducas; leniter tamen et sine acerbitate, prout decet Musarum non duelli et discordiæ sacris operatos: neque enim, si calculum recte ponas, tanti sunt allucinationes meæ ut prôpterea tu humanitatem exuas; et longe ante tibi denuntio, si me errantem coargueris ex ratione rei et veterum auctoritatibus, (quomodo tecum ago,) me primo intuitu manus daturum, et fassurum sine flagro et verberibus, quæ procul amoventor a liberalibus disciplinis; in quibus quicumque ingenue versatur, civis Romanus est. Et quid si ego erraverim? quis hoc a me exigit, aut quando promisi futurum, ut nunquam fallerer? an si decem locis (ut Gronovii verbis utar) ter excidissem, malles tu septies falsa et obscura lectione torqueri, quam tres mihi lapsus et monstrare et condonare? non, opinor; si hominem te memineris. Neve hæc gratis dicta putes, hac occasione stuporem meum ultro agnosco; qui alio Opusculo (Epist. Critic. p. 39.) in loco L. Flori II. 2. pro, 'Africam et Syrtes omnium imperia gentium, insularum littora replevit,' legebam: 'Syrtes et omnium in eo mari jacentium insularum littora;' cum verum esset, 'Syrtes et omnium interjacentium insularum littora;' prout me comiter monuerunt summi viri Franciscus Hare et Ricardus Bentleius, et eruditus vir Daniel Walterus, tutor olim meus: quibus viris præstantissimis, et hoc, et multis aliis nominibus, obstrictum me profiteri gaudeo. Idem dictum volo de loco Ciceronis de Nat. Deor. III. 35. ubi pro 'vi timpanitis rogo illatus est,' legebam: 'in triumphantis toga elatus est:' quod falsum est, cum de Dionysio Siculo sermo fiat, cui non competit 'toga,' quæ Romanorum est. Sed ad rem.

De prioribus harum Sylvarum Editoribus parum dicam, ne eorum existimationem vero, aut mei ipsius falso judicio lædam. Hoc solum audebo dicere, eos nimis negligenter huic operi assiluisse; dum unum quemvis locum arripientes in quo aliqua esset Codicum aut Editionum discrepantia, huic uni catervatim incubuerunt, de decem obscurioribus et depravatioribus securi, et ne verbum quidem facien-

tes. Quid aliud quam negligentes (viros alias acutissimos) dixeris, qui centies forte relegerint locum Auctoris, in quo matres in luctu dicuntur *ferre cineres et carmina oculis;* vel ubi infans dicitur *implicare gemitum* alicui; vel ubi Tithonia dicitur *spargere* aliquem *flagello;* vel ubi *lanugo* dicitur *carpere genas;* vel ubi *Tibris* et *Lucanus ager* dicuntur *torquere aquas:* qui hæc, inquam, et ter centum talia relegere potuerint et edere, sine ulla vel sensus explicatione, vel absurditatis mentione? Atque hæc est Statii in his Sylvis sors; ea Editorum securitas. Nimirum, illis non videtur suboluisse de tam prodigiosa horum librorum depravatione; et mendorum consensum pro sanitate acceperunt. Ni ita se haberet, quomodo fieri potuit ut tot absurditatibus acquiesceret (non dico Gevartius et Barthius, sed) summus Ille Gronovius, sine ulla vel suspicionis suæ mentione? Nec hoc dico ut mea majoris æstimentur, aut ut famæ et meritis illius detraham, (quorum neutrum aut in animo aut in potestate mea situm est;) sed ut hinc perspicias quam diversæ res sint Linguam Latinam et Poëtas Latinos optime et accurate intelligere: quorum istud, si cuiquam mortalium, Gronovio contigit; hoc, (accurate dico,) vix uni et alteri, quod sciam, (vivos enim prætereo, utpote quos Libitina nondum sacraverit,) præter Nic. Heinsium, verum Phœbi alumnum, et Calliopes sinu innutritum: qui aliud agens pæne plura loca, certe difficiliora, in his Sylvis restituit, quam omnes alii simul sumti (Gronovio excepto) qui ex professo insudarunt huic operi; nec dubito quin multo plura lateant in margine Exemplaris ejus; quod a Burmanno aliquoties citatum video, Not. ad Ovidium; et meminit Grævius in Epist. ad Bentleium, Not. ad Horat. Carm. I. 23. 5. Nec tamen hoc Gronovio vitio vertendum duxerim; non hercle magis quam quod Gallus vel Britannus non fuerit; non magis quam quod 'spectandus nigris oculis nigroque capillo' forte non fuerit. Hoc enim donum est Naturæ, et illis solis contigit quos 'Nascentes placido lumine viderit' Melpomene. Multo altiora et forte utiliora novit et excoluit vir ille vere maximus; quorum

innumera specimina exhibet in præclara Diatribe in Statii Sylvas: in quo tamen opere multa ad Poëtarum locos spectantia mutasset, sat scio, Heinsius, si ad illius judicium res fuisset exigenda. Interea, inde se solari potest Gronovius, quod hoc (nescio an dicam infortunium) commune habuerit cum viris in aliis eruditionis partibus longe summis. Hinc etiam se tueri potest, quod hæc Diatribe primum ejus tentamen, et opus juvenile fuit: juvenile quidem illud, sed Gronovii juvenis, et quale non perfectius elaborare potuerint multi qui hisce literis totam ætatem impenderunt: etiam errores istius viri quiddam eruditius habent quam aliorum διορθώματα. Et in universum, hoc quasi ex Phœbi tripode effatum sume: Nunquam interituram esse veram Eruditionem, donec Gronovii Opera legentur.

At periculosum erat a tanto viro dissentire. Erat quidem: sed, ut puto, ducem rationem sequebar; cujus rei, tu, Lector, constitutus es judex. Et quid facerem? Hinc, ut mihi videbatur, stetit veritas; illinc, Gronovius: anne difficilis electio? Gronovio certe, quantumvis magno, major veritas. Nec cuipiam unquam fraudi fuit a quopiam cum ratione dissensisse; præsertim in his studiis; in quibus non ad formulam astringimur, et idem jus est Mævio quod Titio: absit modo livor et petulantia; quorum causas procul habeo. Etiam ab ipso Heinsio sæpissime in hoc opere dissentio: nec tamen propterea vel de illo pejus, vel de meipso melius existimo.

Moles hujus voluminis obstitit quo minus ederem præclaram hanc Gronovii Diatriben, (cujus exemplaria jam rariora sunt,) et simul Papinianas Lectiones Jani Casperii Gevartii, cultissimum opus, et Eruditis bene notum: et licet Gevartius in re critica nihil fuerit ad Gronovium, feliciter tamen in hoc opere versatus est, et Statium luculenter explicavit, et non raro emendavit: ut proinde multum illi debeant Papinianæ Literæ. Barthii Editionem Statii nondum vidi: septem tamen vel octo emendationes (quæ in Edit. Varior. occurrebant) parvas quidem, sed indubitatas, admisi. Bernartius, Morellus, Cruceus, quic-

quid contulerint, suis locis memorabitur. Hi omnes (et alii aliquot) ediderunt has Sylvas. Janus Parrhasius, (monente Barthio,) Argumento Præfat. in lib. I. Claudiani de Raptu Proserpinæ, pollicetur Commentaria in Sylvas; quod et facit Politianus Epist. VI. 1. ubi etiam testatur se publice prælegisse hos Libros. Jos. Scaliger. Castigat. in Propertii lib. II. p. 185. Edit. Patisson. memorat se enarrasse totos quinque libros Sylvarum Ludovico Castanæo, Equiti Regio. Sed privatæ, opinor, hæ Scaligeri, non publicæ, aut scriptis commissæ Prælectiones; quod tamen innuere videtur Barthius. Alii quoque multi lucem et sanitatem huic Opusculo obiter contulerunt: ut sane dubitem, an inter omnia Antiquorum Scripta ullus sit libellus qui tot medicas manus expertus sit; quippe in Contextu hujus Editionis habes certissimas Emendationes virorum ad minimum quadraginta in re literaria Principum. Nec tamen, ut mihi videtur, dimidiam partem mendorum abstulerunt, aut locorum difficilium explicarunt: unde magno emerim scire, quibus rationibus sibi ipsis imposuerint viri in aliis Auctoribus perspicacissimi; vel quo modo interpretaturi fuerint ter centum loca quæ ex his Sylvis possem proponere, et quorum illi nullam rationem habuerunt.

Cum primum hoc opus aggressus eram, ad manus fuerunt Editiones (Libri enim Mss. in Britannia nulli) quæ vulgo habentur præstantissimæ, Aldi An. MDII. Gronovii, Gevartii, Bernartii, Crucei, Grasseri, Veenhusii, et aliæ minorum gentium: Tiliobrogæ quoque Variantes Lectiones Veteris Codicis, qui in plerisque cum Edit. Rom. consentit. Gronovii Diatribe suppeditavit Lectiones Codicum Senensis et Florentini, et Editionum Rom. et Aldinæ et Venetæ MCCCCXC. De quibus libris ait, (Præfat. ad Diatriben.) 'Se summa cum diligentia eos contulisse, cum religione et fide optima citare.' Anno 1653. idem edidit Statium, et una cum illo Reliqua ad Sylvas: hæc præbebant Varietates nonnullas optimas duorum aliorum Codicum, Rhodiani et Salisburgensis. Excussi quoque Notas omnium quotquot nansisci poteram, qui in hunc Auctorem scriptitarunt.

Tandem maximo beneficio, et quod multorum Mss. instar habuit, me mactavit præclarissimus et in his studiis summus Vir Franciscus Hare, Episcopus Asaphensis; qui ex Bibliotheca Illustrissimi Comitis Sunderlandiæ Editiones Parmensem et Romanam mihi impetravit; hanc, Anni MCCCCLXXV.; illam, MCCCCLXXIII.: utramque ex diversis Codicibus, Parmensem ex optimis expressam, prout testatur N. Heinsius alicubi ad Claudianum; et res ipsa fidem fecit. Quippe hujus solius ope nonnulla loca restitui, quæ, absque hac foret, nulla Conjectura assequi posset. Sic Glauc. Ated. 193. pro *volventem* Parm. *tergentem*; quod verum est. Herc. Surrent. 16. pro *Ductavit scopulos* Parm. *Divisit*: et ibid. 152. pro *Addiscis* Parm. *Adscises*; unde feci *Adsciscis*. Ita pro *geres* restitui *pater*, ex Parmensi, quæ habet *getæ*: pro *raram quietem, navam*: pro *nitidas speculas* Parm. *vides*; unde feci *vigiles*: pro *labente manu* restitui *trepidante*: pro *fissa buxo, fœda*: pro *Cyda labor nomenque fuit*, Epiced. Patr. 94. loco notissimo, Parmensis *Cidaliben nomenque fuit*; unde feci, *Cura Lyre, nomenque fuit*. Epiced. Puer. ad fin. pro *Exercere genus*, Parm. *Excepere*; unde feci *Excepisse*. Hæ sunt egregiæ restitutiones, huic libro debitæ: mitto multas alias, quas per totum opus sparsas videbis. Liber ipse est in Folio, (quemadmodum loquuntur) charactere nitidissimo, et opinor, ad scripturam Codicum unde desumtus est, accedente. Magni eum fecit Heinsius: passim citat, et ex illo Statii loca emendat. Mihi hoc præcipue nomine gratus fuit, quod nulli antea Editorum, quantum novi, hunc vidisse contigerat: et magis magisque gratus, postquam Conjecturas meas ab illo confirmatas comperissem; quam voluptatem multis in locis cepi. Ad finem hujus Editionis legitur hæc notabilis Epigraphe: ‘P. Papinii Statii liber qnt⁹ explicit: quaq̄ non desint qui velint epistolam quæ scribitur Abascantio Priscillæ Marito non esse principium quinti, sed interpositam in quarto; et silvas solum in libros quatuor esse divisas: quod quidem constare videtur ex his verbis poëtæ: Quare plura in Quarto Silvarum quam in

prioribus. Correctum p. d. (opinor, *per dominum*) Franciscum Puteolanum: et vere, ultra impressionem Venetiis factam, in IIIᴍ millibus locis emendatum, SS. Catullum et Silvas: ut tu Lector ambobus exemplaribus experiri poteris: itaque nullo mō intelligi possit: et cetera. Impressum Parmæ per me Stephanum Corallum. Anno Christi MCCCCLXXIII. secundo Cal. Septembris.' Franciscus hic Puteolanus (ut hoc obiter addam) præceptor fuit viri magis noti, Philippi Beroaldi, prout disco ex Gevartio Papin. Lect. III. 6. Idem, opinor, est Puteolanus, cujus meminit Politianus, Epistolar. II. 14. Hinc vero patet, antiquiorem hac Parmensi fuisse Venetam aliam, quam forte innuit Gevartius Papin. Lect. I. 13. ubi citat Principem Edit. Venetam ad confirmandam Lectionem *nymbo* pro *thymbra;* cum tamen *thymbra* sit in Veneta Anni MCCCCXC. ut notat Gronovius Præfat. Diatribes: et proinde necesse sit aliam esse Venetam illa vetustiorem. Immo trium Venetarum antiquiorum mentionem invenio; unius nempe, An. 1483. apud Cl. Fabricium Bibliotheca Latin. lib. II. cap. 16. et Supplement. p. 712. Alterius, An. 1475. apud Gronovium Reliq. ad Statii Sylvas. Tertiæ, Parmensi vetustioris, in Epigraphe modo adducta. Erravi igitur siquando Parmensem omnium antiquissimam dixerim. Cum de hac Veneta Editione quærerem, admonitus eram illam servari in Bibliotheca Celsissimi Ducis Devoniæ, egregii Literarum fautoris: a quo (interventu Nobilissimi cujusdam Amici) thesaurum hunc impetravi: quorum adeo humanitati et comitati utinam pares gratias referre possem. Et jam video, omnia quæ de præstantia Edit. Parm. prædicaveram, ad hanc potiori jure transferenda esse: quippe Parmensis ex hac plane expressa fuisse videtur, mutatis nonnullis (et frequenter in pejus) vel ex aliis Codicibus, vel forte ex libitu correctoris, Francisci Puteolani: et quæcumque egregia habet Parmensis, hæc quoque habet; et multa præterea, quæ in Addendis videas; adeo ut absque hac omnino manca fuisset nostra Editio. Liber est pulcherrimus, in Folio: in eodem volumine continentur Catullus, Tibullus, et Pro-

pertius. Uno anno Parmensem præcessit, impressus Venetiis An. 1472. Non dubito quin hæc sit omnium antiquissima harum Sylvarum Editio: certe, omnium rarissima est; neque mentionem ejus alibi invenio præterquam in obscuro isto angulo Editionis Parmensis; istius quoque perquam raræ.

Romana quoque Editio, licet ab aliis præflorata, nonnihil novi ex suo contulit, et lectiones Parmensis et Venetæ Editt. confirmavit; quod passim videbis. Huic præfuit Domitius Calderinus, ex scriptis in diversos Auctores bene notus, et, ut illo ævo, vir sane doctissimus. Multa ille Statio feliciter restituit; in multis pueriliter erravit: hoc tamen nomine maxime culpandus, quod si quid non intellexerit, statim mutavit; etiam absurde nonnunquam; sæpe etiam, quod valde suspicor, nulla mentione facta. Utilis tamen Editio, quod diversorum Codicum scripturam repræsentet; cum jam pæne certus sim, Domitium, quando istam evulgaret, non vidisse aut Parmensem, aut Libros ex quibus Parmensis expressa fuit: de quo aliquando incertus eram.

Sed dudum ante nactos hos libros suspicatus eram, quod postea verum comperi, non multum auxilii expectandum esse a duobus vel tribus exemplaribus quibusvis: quippe altius adactum erat vulnus; et post omnia quæ invenire potui a viris doctis restituta vel e Libris vel ingenio, restabant adhuc pæne innumera quæ nullo modo erant intelligenda. His igitur incumbebam, hæc premebam, et omnes strophas vertebam: et interdum veritas primo discursu sese ingerebat; aliquando res erat morosioris disquisitionis. In summa: si quid in his rebus certi sit, pæne ausim in me recipere et præstare, te jam legere posse Statii Sylvas plus quam ter centum locis restitutas ex conjectura; partim sensu præeunte et necessario postulante has emendationes, partim literis et calami ductibus ad veras Lectiones ducentibus: adeo ut jam non restent quadraginta loca de quibus desperem. Juveniliter nimis dictum hoc tibi forte videbitur: spondeo, dictum esse citra affectationem aut jactan-

tiam; quarum occasiones, ut mihi videtur, ab his studiis longissime excluduntur: bene enim scio, quo pretio hæc et omnia hujusmodi æstimanda sunt: quæ tunc demum tolerabilia fieri incipiunt, cum ab animo simplici et candido proficiscuntur: sin minus, reponenda sunt inter Flacci nugas quæ 'seria ducunt in mala.'

Nonnulla in his Sylvis depravatissima puto, et sine aliis Exemplaribus nunquam restituenda, utpote forte mutila: velut hoc Epiced. Phileti 64.

Seu Lucanus ager, seu Tibridis impetus altas
In dextrum torsisset aquas.

Arb. Ated. 69.

Et secrete palam, qui digeris ordine vitam.

Ad Uxor. 49.

Et quamquam sævi fecerunt Mænada planctus.

Ad Marcell. 83.

proavitaque toto
Rura abiisse mari.

Et 102.

nec enim Tirynthius almæ
Pectus amicitiæ.

Quæ omnia, (præter istud Epiced. Phileti,[6] de quo omnes tacent) summi viri Gronovius et Gevartius sanissima putant, et explicare conantur: ego non possum mihi in tantum imponere; et simpliciter fateor me non intelligere ista loca; quod utinam facerent omnes qui veterum Auctorum Editiones procurant; et sane facere debent, et facerent, nisi puderet fateri se aliquid non intelligere: qua dissimulatione nihil studiis est damnosius. Hinc enim Lector non adeo eruditus (qui plures numero) cum in tale aliquid inciderit, incusat primo stuporem suum, per quem non intelligit quod ceteros omnes putat intelligere; cum tamen forte ejusmodi sit quod nemo unquam aut intellexit, aut intellecturus est. Statim sequitur incertitudo in studiis; et

6 [II. Sylv. 6. 50. ubi vide lectionem quam eruimus.]

hanc excipit desperatio; et novissime, contemtus. Fideliter igitur indicavi (certe volui) omnia loca de quibus mihi non liquet; et nonnullis interdum forte opitulari possem, nisi tæderet conjecturis indulgere in locis quæ tribus vel quatuor modis refingi possint: cum ea sola pro certis habeam ad quæ unus tantum est aditus. Si quid tamen hujusmodi incideret, fidi Editoris erat Lectorem monere; nec monere solum, sed et remedium tentare: nec enim ferendus esset medicus qui ægroto tantum diceret, 'ægrotus es,' absque ulteriore cura aut conatu eum sanandi. Tentavi igitur: et interdum forte verum vidi; sæpius, opinor, peccavi.

De ipso Statio omnia sunt vulgata: nec quicquam novi habui, nisi ut refellerem opinionem magnorum virorum qui statuunt eum victum fuisse in Agone Capitolino in commissione Thebaidos suæ: quod nec minimum verisimilitudinis habere, nec ab eorum Argumentis probari, doceo ad Epiced. Patr. 231. De ἀκρισίᾳ et tumore, quæ Statio sæpe objiciuntur, aptior erit alius dicendo locus. Notandus obiter fuit eorum error qui Sellium seu Epirotam faciunt Nostri Patrem; cum ille plane fuerit Neapolitanus; Gens vero Papinia, ex Velia Lucaniæ oppido.

Restat a te petam, Lector, ut ignoscas longitudini Notarum, cui aliquoties forte nimis indulsi ubi per se perspicua res fuit. Atque utinam exemplorum numerus multis in locis circumcideretur. Sed hanc garrulitatem mox (si nihil interpellat, et si eruditioribus tanti videbitur) compensabo brevitate Notarum et Emendationum in Propertium, cui jam cum maxime incumbo: et proxima fœtura excludet Statii Thebaida et Achilleida; quas cum Libris Mss. collatas edere destino: in quam rem viros eruditos exoratos velim, ut mihi transmittere dignentur si quid huic proposito accommodum penes se habeant: reddam vicem, si reposcant; reddam, et si non reposcant.

De Virgilii Æneide, quibusdam in locis, (præcipue p. 302. col. 1.) liberius quam mos est, opinatus sum. Hujus opinionis audaciam expavet eruditus quidam amicus meus:

cujus causa, et ut quod censeo sine ambagibus proferam, addo: Plurima esse in isto Poëmate, quæ, si ego (pessimus omnium Poëta) versus scriberem, nollem in meis conspici: et licet numero infinita ultra humanæ imitationis metas in illo emineant, nonnulla tamen sunt contradictoria, multa languida, exilia, nugatoria, spiritu et majestate Carminis Heroici defecta: quæ si perfecti Operis signa sunt, sit per me quantumlibet perfecta Virgilii Æneis. Et de Georgicis quidem quantum vult concedo; de Æneide vero, renuo negitoque. Non solus ita censeo: immo hoc sensisse videtur ipse Virgilius, optimus certe sui judex; aut quare 'flammis aboleri jussit' hoc opus? Sed et solus, ita censebo, donec sensus communis et rerum notiones animo hærebunt. Impudentiam vel dementiam meam miraris? quod dixi, præstare paratus sum; et in hanc rem, non mediocrem Sylvam jam in mundo habeo; cujus specimen in Notis passim videbis. O Virgili, quale te numen habere dicerem, si sic omnia scripsisses quemadmodum multa in secundo, quarto, et sexto Libris! Et tu quidem sic omnia scripsisses, si tibi permisissent tempus et male feriati homines: sed nunc pars minima es ipse tui. Vale, Lector, et, si minus recte de his rebus sentiam, docere me vel redarguere, si tanti sit, ne dedigneris.

Londini, Idibus April. A. D. 1728.

P. PAPINII STATII

VITA,

EX LILII GREGORII GYRALDI

DE LATINIS POETIS DIALOGO QUARTO.

Post Bassum sequebatur P. Papinius Statius, cujus de patria inter Grammaticos controversia fuit, usque ad Domitii tempora, Domitii, inquam, de re literaria bene meriti, qui si non sibi et memoriæ tantum indulsisset, multa certe obtrectatores in ejus scriptis frustra, quæ reprehenderent, perquisissent. Sed de Domitio alias, inquit Piso, nunc de Statio, qui, ab aliquibus Tolosanus, ab aliis ex Sellis, Epiri oppido, ab aliis Neapolitanus dicitur. Tunc ego, Postquam me provocas, et Picus attente et libenter hæc audire videtur, causam vobis exponam, cur Statio diversa statuatur patria. Atque ut rem clarius percipiatis, patris et filii vitas vobis paucis recitabo, quas cum alii, tum Pomponius Lætus, et Literarum et Antiquitatis, ut scitis, bene peritus, pridem Gaspari Blondi filio conscripsit, quibusdam a me pro tempore additis. Sic agas, inquit Picus, et simul obticuit. Publius igitur, inquam ego, Papinius Statius pater, Græca et Latina lingua eruditus, ad novissimum usque diem professus est, summo honore apud Domitianum habitus, a quo etiam est auro donatus et corona, digno principe erga præceptorem munere. Primus genus suum, propter inopiam et egestatem obliteratum, celebritate nominis celebre fecit, adeoque claruit, ut, quod Homero, ei contigerit; duæ enim urbes, Sellæ Epirotarum,

et Neapolis Campanorum, de ejus natali solo certarunt. Singularis profecto contentio, ex qua intelligi facile potest, quanto in pretio tum literæ fuerunt. Qui vero Tolosanum existimarunt, inter quos Dantes fuit, poëta Hetruscorum vernaculus, decepti sunt alterius Statii Rhetoris patria, cujus meminit Eusebius. Ex Agellina uxore, quam unicam habuit, et ei superstes fuit, P. Papinium Statium genuit, cujus pueritiam ac juventutem literis fovit, copia, varietateque rerum refersit, et omne ejus studium, quoad vixit, juvit, operaque castigavit. Annum agens sexagesimum quintum, inexpergescibilis somni morbo, quem lethargum vocamus, periit, cujus mortem Epicedio filius prosecutus est. Multa et prosa et carmine scripsit, si filio credimus, sed eorum nihil ad nos pervenit. Papinius vero filius, juvenis adhuc, Claudiam Claudii Apollinaris filiam, quæ Tibicini nupta fuerat, et ex eo filiam genuerat, amoris impatiens, duxit uxorem, cui tanta, ut ait Pomponius, modestia et castitas, amorisque observantia mariti, ut viginti annis non fraudarit. Deceptum hoc loco crediderim Pomponium, et eum secutum Maturantium, nec enim a marito Claudia tamdiu abfuit. Erroris, opinor, causam præstitit, quod parum considerate Statii carmen ad Claudiam ipsam examinarunt. Filium cum ex Claudia uxore nullum haberet, infantem sibi Statius adoptavit, quem præmatura extinctum morte carmine deflevit. Vergens vero ad senium Neapolim, communem ambobus patriam, Claudiam carmine revocavit. Ambigitur, quis superstes fuerit. Albano certamine, Domitianus Cæsar eadem, qua patrem, qui præsens erat, filium corona, ac item agro Albano donavit, bisque auro insignivit, splendidoque ac magnifico, cum senatoribus equitibusque Romanis, convivio suscepit, id quod carmine Poëta, quod Eucharisticon inscripsit, testatus est. Quo fit, ut fabulæ potius, quam historiæ simile putem, quod ab aliquibus proditum est, Statium præacuto stylo a Domitiano confossum. Supersunt vero ad hæc usque tempora hæc Statii opera, Thebais, ut ipsemet cecinit,

multa cruciata lima;

atque idcirco durior et inconcinnior alicubi quibusdam videtur, quam Junii Maximi, viri eloquentissimi, judicio monituque publicavit. Antimachum argumento tantum imitatus, nam phrasi ille tumidus et laxus, hic durus et arctior. Item Achilleis imperfecta, in qua longe plus doctis quibusdam, quam in Thebaide præstare videtur. Non defuere etiam, qui Achilleida ipsam perfectam fuisse existimarint, sed reliquum, quod deest, deperditum, ut etiam diutius Sylvæ fuerunt, alii, quod habemus, integrum esse, utrique magno, ut puto, acti errore, et manifestis pridem argumentis explosi. Proditum est, cum Achilleida esset descripturus, Crispinum Vectii Bolani filium, clarum militia juvenem, sibi proposuisse. Utramque vero Imperatori Domitiano dicavit. Extant et quinque Sylvarum libri, ex quibus et vehemens in eo poëmatis genere illius, et pæne extemporale ingenium, et subitum calorem, ut ipse ait, percipere possitis. De quibus quidem Papinii Sylvis sic Apollinaris in hendecasyllabo, ad Felicem:

At cum forte pedum minore rhythmo
Pingit gemmea prata Sylvularum.

Ex iisdem, inquam, Sylvis et amicos et fortunam, et reliquam ipsius poëtæ vitam facile cognoscetis. Scripsisse præterea tragœdiam a nonnullis existimatur; idque Juvenalis innuere videtur, ut mox dicam. Non multum adeo Statium a suorum temporum Scriptoribus amatum ea ratione colligo, quod ab iis ejus nullam fere mentionem factam video, præterquam ab Juvenale, qui et illum perstringere potius satirice videtur, quam laudare, ita enim canit in septima :

Curritur ad vocem jucundam, et carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cum Statius urbem,
Promisitque diem ; tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur: sed cum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agavem.

Nec illud in præsentia vobis reticuerim, quod est ab Ali-

gero Dante, suo carmine proditum, Statium videlicet Papinium religioni Christianæ addictum fuisse, Christianisque tum laborantibus, ob metum occulte, pro virili opem tulisse, ne scilicet suppliciis cruciatibusque, quibus tum passim afficiebantur, agitaretur ipse. In hanc autem pietatem et religionem inclinasse idem Poëta innuit, ob eos Virgilii versus ex Sibylla:

Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna, &c.

Sed an Dantes deceptus sit, ut in ejusdem etiam patria, non vobis facile dixerim, nam et recentiores alios nonnullos scriptores in eodem fuisse errore invenio. Legitur et Epitaphium Statii a Pomponio, ut fertur, conditum, quod referre haud pretium operæ videtur.

GERARDUS JOANNES VOSSIUS,

DE POETIS LATINIS CAP. III. P. 45.

STATIUS PAPINIUS Poëta, qui sub Domitiano vixit, perperam confunditur cum Statio Poëta, cognomine Surculo, qui claruit sub Nerone. De Rhetore sunt illa Hieronymi in Chronico Eusebiano: Olymp. CCIX. an. 1. (est is Neronis secundus) 'Statius Surculus Tolosensis in Galliis celeberrime Rhetoricam docet.' Ejus nomen verum ex Suetonii libello de Claris Rhetoribus superest, ubi non Surculus vocatur, sed Ursulus, uti et in Chronico Ms. ad S. Victoris. Ursi enim et Ursuli familiæ sunt nomina, ut ex vett. inscriptionibus constat. At Papinius Poëta nec Ursuli, vel Surculi, cognomen habuit, nec Tolosensis fuit, sed Neapolitanus. Reliquit v. Sylvarum libros, XII. Thebaidos, v. Achilleidos. In Thebaida et Achilleida commentatus Placidus Lactantius; quem necesse est post annum vixisse quadringentesimum cum Sedulium citet, Theodosiani ævi scriptorem: immo et post quingentesimum fuerit, cum Boëthii meminerit. Et vero commentarius ejus cento ex Servii, Hygeni Mythologicis, et Astronomico Arateo, et quibusdam aliis, quos ad verbum exscribit. Est

idem, qui Argumenta reliquit Ovidianæ Metamorphoseos. Etsi non ignorem a quibusdam Lutatium dici. Prius nomen agnoscit et Boccacius de Genealogia Deorum, lib. i. pag. 8. 'Lactantius, insignis homo, doctusque, super Statium scribens.' Nec displicet quod suspicantur easdem videri glossas, quæ Placidi dicuntur. Mirum vero Martialem, cum adeo celebret Stellam Poëtam, de quo inferius dicam, non meminisse Statii, tanti amici Stellæ, ut ei miserit primum Sylvarum. Nempe ab invidia id profectum videtur. Non ferebat Martialis Papinium tantopere in gratia esse apud Domitianum, idque ob extemporalem in carmine felicitatem, qua Martialis longe vincebatur. Parum amicum Papinio fuisse Martialem ex eo colligitur, quod nunquam æqualis sui meminerit: tum aliis, quæ legas apud Gevartium ad Sylvarum, lib. i.

DE

P. PAPINIO STATIO

VETERUM, SEMIVETERUM, NEOTERICORUM

COMMEMORATIONES, JUDICIA, ELOGIA, &c.

D. Jun. Juvenalis Sat. VII.

CURRITUR ad vocem jucundam, et carmen amicæ
Thebaidos; lætam fecit cum STATIUS Urbem,
Promisitque diem; tanta dulcedine raptos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur: sed cum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Jul. Capitolinus in Gordianis.

Scripsit præterea, quemadmodum Virgilius Æneidos, Statius Achilleidos, et multi alii Iliados, ita etiam ille, Antoniniados.

Ol. Nemesianus Ecloga I.

Hic in sylvis præsens tibi fama benignum
Stravit iter.

Sunt verba Papinii, Theb. XII. 812.

Servius, ad Æn. X. 275.

Bene hoc Statius ad ipsa arma transtulit, dicens:
Armaque in auro Tristia.

Lutatius Placidus ad Theb. VII. 62.

Quare adultero Marti Vulcanus habitaculum fabricasset argutissime divinus hoc loco Poëta dissolvit.

Scholiastes Antiquus ad Verba Juvenalis superiora.

Amicæ] Gratæ. Significat Poëma Statii de bello Thebano. *Lætam Urbem*] Ideo quia libenter audiebat. Est enim et Poëma ipsum delectabile, et ipse dicitur bonam vocem habuisse. *Sed cum fregit*] Post tantum favorem audientium, nisi cantionem inauditam Pantomimo vendidisset, non habebat unde se sustentaret.

Auctor Vetus Vitæ Papinii.

Constat fuisse Statium temporibus Vespasiani Imperatoris, et pervenisse ad Imperium Domitiani. Fuit nobili ortus prosapia, clarus ingenio, et doctus eloquio.

C. Sulpitius Severus, Dialogo III.

Nimirum, ut dixit Poëta nescio quis, utimur enim versu Scholastico, quia inter Scholasticos fabulamur: 'Captivumque suem mirantibus intulit Argis.'

Claudianus Mamertus de Statu Animæ, lib. I. cap. 20.

Unde non Poëtice, sed Philosophice Papinius ait:
odi artus fragilemque hunc corporis usum,
Desertorem animi.

C. Sollius Apollinaris Sidonius, Carm. V. ad M. Felicem.

Non quod Papinius tuus meusque,
Inter Labdacios sonat furores,
Tunc cum forte pedum minore rhythmo
Pingit gemmea prata Sylvularum.

Idem Carm. XXIII.

Si quis carmen prolixius eatenus duxerit esse culpandum, quod Epigrammatis excesserit parcitatem, istum liquido patet, neque Balneum Etrusci, neque Herculem Surrentinum, neque Comas Fl. Earini, neque Tibur Vopisci, neque omnino quicquam de Papinii nostri Sylvulis lectitasse, quas omnes descriptiones, Vir ille præjudicatissimus non distichorum aut tetrastichorum stringit angustiis, sed potius, ut Lyricus Flaccus in Artis Poëticæ volumine

præcepit, multis, iisque purpureis locorum flosculis, primas sæpe inchoatas materias decenter extendit.

An. Manl. Sever. Boëthius, de Musica, lib. I.

Id etiam fuit antiquis in more positum, ut luctibus cantus tibiæ præiret. Testis est Papinius Statius hoc versu :

Cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes.

Ennodius Carm. LXVI.

'Pierius menti calor incidit.'

Nota verba Papinii.

Isidorus lib. de Rerum Natura, cap. 30.

Si lignum ligno teras, ignem emittit. Unde et Papinius :

Fulguraque attritis quoties micuere procellis.

Idem Orig. lib. III. cap. 70.

'Fertur quod hæc stella oriens Luciferum, occidens Vesperum facit, de qua Statius :

et alterno deperditur [deprenditur] unus in ortu.'

Serv. ad Æn. VIII. 590.

Idem lib. XIV. cap. 8.

'*Æstiva*, sunt loca umbrosa, quibus per æstatem vitant pecora Solis ardorem. Statius : Et umbrosi patuere æstiva Lycæi.' Sunt verba Servii ad Georgicum III. 472.

Aymoinus de Gestis Francorum, lib. IV. cap. 1.

'Nequeo sine lacrymis ærumnas meæ referre Orbitatis:

Fraternas acies alternaque Bella,

quæ profanis decertata sunt odiis.'

Sunt verba Clotharii Regis ad Brunichildin, mox crudeliter perimendam.

Gunterus, Ligurini, lib. V. 318.

'Ergo dato passim varias rumore per urbes.'

Versus est totus, præter primam vocem, Papinii Achilleidos lib. II. 352.

Wipo, Panegyrico ad Henricum III. Imperatorem.

Ex nostris monitis callebat STATIUS auctor
Thebanos juvenes mistis discernere flammis.

Petrus Mauritius Abbas Cluniacensis.

Vos o præcipui cultores Philosophiæ,
  Quos eadem propriis educat in laribus;
Ejus vos, inquam, poti pastique papilla,
  Quos proprio studiis imbuit ore sacris.
Naso, Flacce, Maro, Stati, Lucane, Boëthi,
  Et quicumque tuum carmine comis opus:
Hujus Livoris vos tangere mucro minatur,
  Hic et de vestro cogitat exitio.
Vos etenim lædet, qui lædere non timet illum,
  Quem socium vobis Calliopæa dedit.

Gul. Brito initio Philippidos.

Aut qui tam sapido Thebaida carmine scripsit,
Ut queat ad plenum digno memorare relatu
Tot victos hostes, tot bella, tot obsidiones.

Idem, lib. IX. extremo.

O nunc Lucani ruat in me, sive Maronis
Spiritus; aut saltem Thebani vatis imago.
—— tantum ut merear vestigia lambere sola,
Unius similis in carmine factus eorum.

B. Bernardus de Conversione ad Clericos, cap. 8.

Tunc mihi id modicum consolationis, quod utcumque mendico, tentas surripere? Dixit, et cum indignatione et furore recedens, 'teneo,' inquit, 'longumque tenebo.' Papin. Theb. II. 429.

Cosmas Pragensis initio Chronici.

Id solum operæ pretium duxi in meo opere, ut vel tu, cui a Deo collata est Sapientia, vel alii potiores scientia, sicut Virgilius habuit Trojæ excidia et Statius Thebaida, ita ipsi hoc meum opus habeant pro materia, quo suam scientiam posteris notificent, et nomen sibi magnificent.

Gulielmus Pictavus in Rebus Gestis Gulielmi Conquæstoris, cap. 64.

Tydeus adversum insidiatos quinquaginta rupis petivit opem, Gulielmus par, haud inferior loco, solus non extimuit mille. Scriptor Thebaidos vel Æneidos,[1] qui libris in ipsis, Poëtica lege, de magnis majora canunt ex actibus hujus viri æque magnum plus dignum conficerent opus vera canendo.

Hermannus Contractus Comes, in Chronico.

Anno Christi LX. Statius Poëta clarus erat.

Honorius Augustodun. in Chronico.

Domitianus, frater Titi, quindecim annos, menses quinque. Statius Poëta claruit.

Silvester Giraldus, initio Libri de Miris Hiberniæ.

Egregius Poëta, Statius.

Alanus Anti-Claud. lib. XI.

ut Sollius implicat, explicat alter
Ut Naso, vernat ut Statius, ut Maro dictat.

Helmoldus Chron. Slav. lib. I. c. 43.

Quadam die, multis arbitris coram positis interrogavit Vicelinum, in Scholis positis quid legisset? Illo perhibente se Statii Libros Achilleidos legisse, consequenter requisivit, quæ esset materia Statii?

Gulielm. Pictaviensis, in Gestis Gulielmi Regis Anglor. et Duc. Norm.

Cum Haraldo tali, qualem Poëmate dicunt Hectorem vel Turnum, non minus auderet Gulielmus congredi singulari certamine, quam Achilles cum Hectore, vel Æneas cum Turno. Tydeus adversum insidiatores quinquaginta rupis petivit opem. Gulielmus par, haud inferior loco, solus non extimuit mille. Scriptor Thebaidos vel Ænei-

1 Pro summis duobus auctoribus tum fuerunt Virgilius et Statius, etiam in illis barbaris pugnatoribus.

dos, qui libris in ipsis Poëtica lege, de magnis majora canunt, &c.

Ordericus Vitalis Histor. Eccles. lib. III. in finem.

Guido, Præsul Ambianensis, metricum carmen edidit, quo Maronem et Papinium, gesta Heroum pangentes imitatus, Senliacum bellum descripsit.

Auctor de Disciplina Scholarium, cap. 1. Boëthius quidam.

Senecæ traditio, Lucani inexpletio, Virgilii prolixitas, et Statii Urbanitas sunt indaganda.

Guido Adduanensis in Historia Palæstina, cap. 12.

Cum nuntii Salutis adveniant, sinistra prænuntia 'Pessimus in dubiis augur timor.' Papin. initio libri tertii Thebaidos.

Joann. Saresberiensis Policrat. lib. I. cap. 13.

Potuerat apud Statium præsagio volucrum Græcorum exercitus confortari.

Idem Metalog. lib. III. cap. 1.

Polynices ab Adrasto genus interrogatus, ait Utrumque complectens: 'Cadmus origo patrum, tellus Mavortia Thebæ.' Theb. I. 680.

Auctor Chronici Laurishamensis, a M. Frebero editus p. 92.

Ipse quoque Palatinus Rheni Comes, frater Imperatoris Conradi præsentia, ejusdem Ecclesiæ advocatus, divinam animadversionem sensit et expertus est:

Fraternas acies, cognataque regna profanis
Decertata odiis.

Gerbertus Epist. CXXXIV.

Si ergo te cura tantarum retinet rerum, volumen Achilleidos Statii diligenter compositum nobis dirige.

Idem Epistol. CXLVIII.

Prægravat affectus tuus, amantissime frater, opus Achilleidos, quod bene quidem incepisti, sed defecisti dum exemplar defecit.

Continuator Matthæi Parisii. In Anno M. CC. LII.

Nunc cum in se tenebrosus sit qui rex appellatur, qualiter illuminabit obfuscatos? Unde Statius: 'Tunc omnia jure tenebis Cum poteris Rex esse tuis.'[2]

Everhardus Labyrintho.

Statius eloquii jucundus melle, duorum
Arma capit fratrum, sub duce quæque suo.

Ibid. paullo ante.

Statius Æacidem stantem cultu muliebri
Virtutem prodit calliditate viri.

Nicol. Clemangius Epist. v.

Statius Papinius omnium inter Heroicos Latinos, uno excepto Virgilio, gravissimus: studiosissimaque Virgilii imitatione, alter quasi Virgilius.

Joannes Boccatius, Geneal. Deor. lib. XIV. c. 20.

Hesiodum, Euripidem, Statium, Claudianum, conspicuos vates.

Rodericus Zamorensis, Speculo Vitæ Humanæ, cap. 3.

Hinc Seneca noster Cordubensis pro immenso se munere habiturum gratiam et famam apud posteros precabatur, et Statius præsentem honoris et famæ gloriam benignum iter Operibus suis ad posteros stravisse dicebat, et Ovidius Naso, sibi nomen indelebile futurum lætabatur.

Ang. Decembrius de Politia Literarum l. I. p. 29. 30.

Statius in familiaribus complectendus est, et Juvenalis præcipua commendatione, qui de Romanis in eum plaudentibus dixit: 'Curritur ad vocem,' et Virgiliana, quoad potuit, imitatione. Hujus duplex opus, Thebaidos majus, et minus Achilleidos multæ delectationis opusculum.[3]

2 Sunt verba Claudiani. Apppa- ret tamen utrumque hunc summum Poëtam isti scriptori fuisse familiarem.

3 Posteriora hæc verba corrupta sunt apud Decembrium; utique enim de Sylvis sunt scripta.

Idem lib. VI.

Statius, Virgilii æmulator.

Domitius Calderinus Præfatione ad Sylvas.

Incidi in lib. V. Sylvarum Statii, opus granditate Heroica sublime, argumentum varium, doctrina remotissimum, quod nemo ante nos aut ausus est aut potuit attingere.

Angelus Politianus.

Hujus uberiorem de Laudibus Papinii Tractationem vide in Oratione quam habuit Sylvas Prælecturus.

Joan. Jovianus Pontanus de Fortitudine lib. I. c. 8.

Amphiaraum vivum armatum, ad inferos ruere magis quam descendere faciunt, qui ne quidem aut arma manu aut fræna remittit; verum sicut erat rectos defert in Tartara currus, ut magnifice ac luculenter de eo Statius canit.

M. Ant. Sabellicus, Annotat.

Velles Papinium Statium tam dextro genio Thebas fortissimumque Achillem, quam Sylvas decantasse. Si non majus nomen, majorem certe gratiam inde haud dubio reportasset. Nulli unquam Poëtarum, quod sciam, magis proprium fuit subito œstro incalescere, atque ubi incaluisset, fortius feliciusque debacchari, ut quantumcumque Phœbum hauserit: ac nescio an etiam majorem, eodem calore confestim reddat. Cuperes, dixi, omnem ejus operam in Sylvis locatam, nibil est illis amabilius, floridius, magisque Poëticum.

A. Janus Parrhasius Epist. Quæstion. 55.

Papinius, Poëta celeberrimus, et ob exactam rerum notitiam, suumque peculiare dicendi genus, non omnibus satis obvius. Cujus ego studiosus cum semper fuerim, &c.

J. Baptista Pius[4] ad Sidonium Epistolar. lib. II.

Papinius, elegantissimus Poëta.[4]

4 Pius iste alioquin frivolus nugator, Poëta tamen sic satis aliquando bonus fuit.

Philippus Beroaldus ad Propertium, lib. II. El. 33.

Lege Statium in Theb. X. mortem Capanei luculentissimis versibus enarrantem.

Mariangelus Accursius in Diatribis, pag. 93.

Ejusdem significationis intellectum latenti sed acri judicio subesse in doctis tantorum operum orsis apud Ovidium Papiniumque, crediderim.

Baptista Mantuanus, VI. Sylv. 1. ad Jovian. Pontan.

Te, virides inter Laurus, Bajanaque Tempe,
Per loca, quæ fertur coluisse Papinius olim,
Pierides aluere Deæ.

Conradus Celtes, ad Gunteri Ligurinum.

Proximus es vati, quem Mantua docta creavit,
Et qui Pompeii et Cæsaris arma canit.
Nec Stilico tantum, vel Honorius, aut Majoranus,
Nec qui Scipiadas Porciadasque sonat:
Per freta nec tumidum qui cantat Iasona vectum,
Æaciden vel qui Thebaidemque tonat.
Gesta Ducis Macetum totum vulgata per orbem
Qui colit, Heroicis cedat et ille tuis.

Ludovicus Cælius, Antiq. Lect. lib. XXVIII. c. 27.

Papinii verba sunt, ex doctis illis Sylvulis.

Henr. Glareanus Notis in Terentium, fine Eunuchi.

Virgilianæ Æneidos felix imitator Statius.

Joachimus Vadianus de Poëtica, cap. 28.

Statius, vates doctus et copiosus, qui ne conferri quidem suum Poëma Maroniano voluit, et decus tamen nomenque se secuturum haud temere sperat.

Lud. Vives de tradendis Disciplinis, lib. III.

Juvenalis multis in locis asper est et durus; materiæ suæ conveniens,[5] mollis et suavis Statius.

5 De Sylvis loquitur Vives; alioquin homo parum Poëticus.

Nic. Gerbelius, Græciæ lib. v.

Statius, lib. ix. Thebaidos Ismenum fluvium venustissimis versibus depingit.

Idem lib. v.

Sed qua culpa Papinii versus omitterem, elegantissimos illos, quibus admirabili suavitate Alphi Amores decantat.

Fr. Floridus Sabinus Subsec. Lect. lib. ii. cap. 19.

Statius, excellens Poëta.

And. Tiraquellus de Jure Primogenit. cap. 17. § 5.

Papinius in Libris Thebaidos id bellum bellissime descripsit.

Petrus Faber, Agonist. lib. i. cap. 10.

Utrumque circa discobolos usurpari solitum, significat Papinius, his elegantissimis carminibus.

Christoph. Milæus, Histor. Universal. lib. v.

Heroicam dignitatem Silius exprimens, Statius consequitur.

Joann. Picardus, Celtopædiæ l. v. pag. 205.

Statius Papinius Poëta eruditus et facundus, multa eaque elegantissima reliquit Poëmata.

Julius Cæsar Scaliger.

Ejus laudes ampliores, et Judicia varia legenda sunt in Libris de Poëtica, præcipue Hypercritico.

Josephus Scaliger ad Chronicon Eusebii. Num. 229.

Duplices Caryæ sunt, alteræ Laconicæ, alteræ Arcadicæ, Laconicæ erant Dianæ sacræ. Pausanias, Laconicis. Celebritatem et choreas καρυάτιδα, vocat Hesychius, et manifesto tangit Statius quarto Thebaidos, accuratissimi Operis.[6]

6 Recensionem cum Wowerio posthuma CCCLXXIV.
suam pollicetur Scaliger, Epistola

Idem ad Ætnam.

De Amphirai morte extant magnifici versus in Thebaide Statii.

Adr. Turnebus Adversar. lib. XXVI. cap. 18.

Optimus Poëta, Papinius.

Is. Casaubonus ad Suetonii Domitianum.

Statius, eximius Poëta.

Idem ad ejusdem Caligulam.

Optimus Poëta, Statius.

J. Lipsius, Centur. I. Epist. 13.

Papinius sublimis et celsus Poëta, non hercle tumidus.

Idem Epigrammate ad Bernartium.

Papinius Poëta magnus,
Vel dicam potius, Poëta summus.
Certe proximus est Poëta summo,
Quod mecum fateatur ipse Livor.

Idem, Physiolog. Stoicæ lib. III. cap. 17.

Docte, ut multa, Statius.

Idem, ad Taciti Annal. III.

In Statio Luxuria ingenii non indecora.

Dion. Petavius ad Themistii Oration. IV.

Præclare istud et graphice describit Statius, lib. VI.

Gilb. Gaulminus, ad Cypri Theodori Prodromi Amanthum cap. 4.

Sciebat hoc Papinius, Poëtarum doctissimus.

Joan. Meursius, ad Librum de Gloria, Auctario, c. 29.

Statius Papinius, Poëta eximius.

Lud. Cresollius, Præfatione Vacationum Autumnalium.

Papinius, Poëta, meo judicio, maximus.

Famianus Strada, in Prolusionibus, pag. 359.

Invitatus a Sadoleto Pontanus, doluit mortali voce Statium esse referendum, qui aut suo aut Apollinis ore deberet audiri. Nihil tamen Statii perire dixit, dum reverebatur potius quam audiebatur; cum Statianæ magnificentiæ proprium sit, ut nequeat cujusquam in ore vilescere.

J. Rykkius, de Capitolio cap. 28.

Statius in tertio amœnissimæ Thebaidos.

Idem cap. XLVI.

Probatissimus Scriptor et gravissimus Poëta Statius.

Math. Raderus ad Martial. lib. X. Epig. 4.

Nobilissimus Papinius, cujus aurea Thebais, XII. Libris comprehensa, hodie legitur.

St. Claverius ad Claudianum.

Statius, generosus, et subito calore admirabilis.

Jos. Gonsalius Salasius ad Petronium pag. 107.

Apud Statium elegans perfectaque omnibus suis numeris id genus descriptio.

Car. Paschalius de Coronis lib. II. cap. 17.

Doctissimus Poëta, Papinius.

Idem, lib. VI. cap. 3.

Statius, omnis Antiquitatis peritissimus.

Idem, lib. VI. cap. 14.

Doctissimus Poëta, Statius.

Julius Nigronus de Vitanda Obscœna Lectione, c. 6.

Multa quoque in Ovidio sunt, quibus non offendaris, Libri Tristium, de Ponto, et Fastorum. In Virgilio,[7] Latinorum Homero, in Statio, si paucula vites, cetera non vetantur.

7 Bene Virgilio Papinium jungit. Bene etiam Παιδεραστίαν hujus amolitur.

Marius Salomonius Alberticus, Jc. Comment. ad Leg. Gallus, pag. 9.

Statius Cæcilius Comicus, et Statius Papinius Heroicus, Poëtæ celebres fuerunt.

Jacobus Pontanus, Attic. Bellar. Part. II. pag. 337.

Cur, quæso, Statius, sublimis ille et celsus Poëta Lipsio, et præ omnibus veteribus ac recentibus Virgilianæ majestati propior Scaligero, cur Claudianus, tam rotundus et venustus Poëta, diligentium et bene literatorum Interpretum luce destituti, in tenebris tamdiu deserti jacent? Gratiæ debebuntur magnæ Scoto cuidam, et alteri Hispano, et tertio Germano, si præstiterint quod promiserunt. Promiserunt autem omnes in utrumque Commentarios. Quod Deus Opt. Max. bene fortunet.

Casp. Cunradus Prosopographiæ Melicæ Millenario II. pag. 185.

PUBLIUS STATIUS PAPINIUS, POETA.

Proximus es summo, Vatum nisi summus haberis:
Virgilius præeat! te via pone tenet.

Samuel Dresemius, ad lib. V. Josephi Devonii.

Papinius: 'Fortius incursant Tyrii.' Unde Silius affirmavit se, cum lib. XV. 'Acrius hoc Italum pubes incurrit.' Ut multa alia ex illo deducta, quibus æstimium magni illius Poëtæ augetur, cujus nomen nequaquam tam frivolis recessibus obscurari debuit, cum et Vir doctus, et Consularis, et aliquandiu forte σύγχρονος, tanti post unicum Virgilium illum fecerit.

Idem.

Maximi Poëtæ, Homerus, Virgilius, Statius.

L. Vitruvius Roscius, de Ratione Docendi, p. 77.

Post Virgilium Statii Papinii Thebais optime relinquetur. Nam cum ad illius imitationem composita sit, minor erit labor in discendo.

Josephus Castalio, Observat. Dec. III. cap. 9.

Papinius Statius, Linguæ Latinæ auctor optimus.

Joan. Baptista Giraldus Epistolarum Variorum Editarum a Thoma Porcachio lib. XVII. p. 897.

Aristotele insegna che la Epopeia non è ristretta a spatio di tempo, come è la Tragedia, che al sommo non puo passare due giorni. La quale autorità di Aristoteli ha confirmato Vergilio con l'Eneide, Homero con l'Odissea, Silio Italico con l'Africa, et piu di tutti l'haurebbe confirmata Statio, se havesse compita la sua Achilleide, la qual morte gli interruppe.

Albertus Lollius Ejusdem Operis lib. XIV. p. 566.

Non vi aggrevi anco, per amor mio, dare un' occhiata à Statio, nel primo delle Selve, dove egli essalta molto la Villa Tiburtina di Manlio Vopisco. Et nel secundo delle medesime, quando ei comenda tanto il Surrentino di Pollio. Et nel quarto pur delle Selve dove ei si dilegua proprio di tenerezza, dipingendo il bel sito della Villa (sic legendum) di Sep. Severo.

Franciscus Sansovinus in Chronologia Universali, Anno Christi 92.

Huomini Illustri, Urbio Crispo, Oratore; Statio, Juvenale, Martiale, Poëti, &c. floriscono nelle lettere.

ELENCHUS ALPHABETICUS

NONNULLORUM SCRIPTURÆ COMPENDIORUM

QUÆ IN VV. LL. OCCURRUNT.

Ald. 1.	Editio Aldina an. 1502.
Ald. 2.	——————— an. 1519.
Aldd.	——————— utraque.
Amstel.	Editio Amstelodamensis e recensione Heinsii, an. 1624.
Antidiatr.	Antidiatribe Crucei, quam scripsit contra Gronovium.
Argent.	Editio Argentoratensis ap. Lazarum Schurerum, an. 1517. Achilleidos libros complectens.
Barth.	Caspar Barthius in Editione sua Cygneæ 1664.
Basil. 1.	Editio Basileensis an. 1531.
———2.	——————— an. 1541.
Behot. 1. 2.	Duo codd. manuscripti, quorum VV. LL. descripsit Adrianus Behottius.
Bern.	Joannes Bernartius in Edd. Plantt.
Brix.	Editio Brixiensis an. 1485.
Buslid.	Codex Buslidianus, quem laudant Bernartius et Gevartius.
Cald.	Domitius Calderinus in Editione Romana an. 1475.
Colin.	Editio Parisina Colinæi an. 1530.
Cruc.	Emericus Cruceus in Editione sua Paris. 1618.
Dan.	Codex manuscriptus P. Danielis, quem citat Fridericus Lindenbrogius.
Delph.	Editio Delphina curata a Claudio Beraldo, Paris. 1685.
Diatr.	Diatribe Joannis Friderici Gronovii in Sylvarum libros, Hag. Com. 1637. Altera Editio auctior et emendatior cum Notis Handii prodiit Lips. 1812.
Domit.	Domitius Calderinus in Editione Romana.
Exc. Burg.	Excerpta ex codice Ms. membranaceo Achilleidos libros complectente, quæ nobiscum communicavit V. D. Georgius Burges.
Exc. Cantab.	Excerpta codicis Cantabrigiensis penes Editorem.
Exc. Heins.	Excerpta ex codd. in Vaticano Romæ servatis, quæ citat Heinsius.

Fabr.	Codex Nicolai Fabri, quo usus est Lindenbrogius.
Florent.	Codex chartaceus Florentini, cujus Excerpta a Frid. Lindenbrogio acceperat Gronovius.
Gevart.	Janus Casperius Gevartius in Papinianarum Lectionum libro, et Ed. sua Lugd. Bat. 1616.
Grasser.	Joannes Jac. Grasserus in Ed. sua Antwerp. 1613.
Gronov.	Joan. Frid. Gronovius in Diatribe, Elencho Antidiatribes, et Ed. sua Amst. 1653.
Grut.	Janus Gruterus in Editione Commeliniana an. 1600.
Gryph. 1.	Editio Gryphiana an. 1547.
——— 2.	——————— an. 1559.
Hand.	Ferdinandus Handius, qui priora tria Carmina libri primi Sylvarum cum Notis Gronovii, Marklandi, aliorumque et suis edidit Lips. et Lond. 1817.
Jortin.	Joannes Jortinus nostras, cujus Emendationes in Statium extant in Obss. Misc. Vol. I. et II.
Lang.	Codex Caroli Langii, quo usus est Bernartius.
Laurent.	Codex vetustissimus Bibliothecæ S. Laurentii Leodiensis, quem citat idem Bernartius.
Leid.	Codex Leidensis, inter Vossianos n. 246.
Lindenbrog.	Fridericus Lindenbrogus (Tiliobroga) in Editione sua Paris. 1600.
Lipsian.	Codex Lipsianus, quem adhibuit Bernartius.
Markl.	Jeremias Marklandus in Editione Sylvarum Lond. 1728. et Lips. 1729.
Medic.	Codex Medicæus, cujus Excerptis usus est Gronovius.
Merseb.	Codex Merseburgensis, cujus VV. LL. hic illic in Commentario commemoravit Barthius.
Morel.	Fed. Morellus in Observationibus ad Sylvas Paris. 1601.
Obss. Misc.	Miscellaneæ Observationes in Auctores Vet. et Recent. cura Burmanni Amst. 1732—1751.
Palat.	Codex Palatinus.
Paris.	Codex Parisiensis ab Handio citatus.
Parm.	Editio Parmensis an. 1473. per Franciscum Puteolanum correcta.
Petav.	Codex P. Petavii, quem citat Lindenbrogius.
Petreus.	Codex Petrensis, quem possidet Collegium S. Petri Cantab.
Peyrar.	Joannes Peyraredus, cujus Emendationes in Statium partim extant in Editione Marollesii; partim laudantur in Epist. 3. Sarravii ad H. Grotium.
Pith.	Codex Francisci Pithœi J. C. quem citat Lindenbrogius.
Plant. 1.	Editio Plantiniana an. 1595.
——— 2.	——————— an. 1599.
Put.	Codex Puteaneus, quo usus erat Lindenbrogius.
Reg.	Codex Regius ejusdem Lindenbrogii.
Rhod.	Codex Joannis Rhodii, quo usus erat Gronovius.

Rom. 1.	Editio Romana an. 1475.
—— 2.	———————— altera ejusdem anni.
Salisb.	Codex Archiepiscopi Salisburiensis.
Sen.	Codex Senensis omnium antiquissimus, qui hodie servatur in Bibliotheca regia Gottingensi.
Taurin.	Codex Taurinensis, quem citat Burmannus in Obss. Misc. Vol. I. et II.
Til.	Frid. (Tiliobroga) Lindenbrogius in Editione sua an. 1600.
Tol.	Codex Toletanus.
Urat.	Codex Uratislaviensis, membranaceus, in Bibliotheca Rhedigeriana n. 153.
Vat. 1.	Codex Vaticanus n. 3283.
—— 2.	———————— n. 3871.
—— 3.	———————— n. 3595.
—— 4.	———————— n. 3282.
Veen.	Editio Veenhusenii cum Notis Variorum, an. 1671.
Venet. 1.	Editio Veneta an. 1472. omnium princeps.
Venet. 2.	———————— an. 1475.
Venet. 3.	———————— an. 1483.
Venet. 4.	———————— an. 1490.
Vicent.	Editio Vicentina an. 1481.
Vindob.	Codex Vindobonensis membranaceus, olim in Biblioth. Budensi; nunc autem in Biblioth. Imperiali German.

P. PAPINII STATII [1]

SYLVARUM*

LIBER I.

AD STELLAM.[2] †

Diu multumque dubitavi,[3] Stella juvenis optime, et in studiis nostris[a] eminentissime[4] qua parte voluisti,[5] an hos

1 *P. Papini Statii Surenti* Venet. 1. in Biblioth. Par. *P. Papini Statii Surculi* Venet. 1. in Biblioth. Vimariensi; et sic etiam Venet. 2. *Statii Pampinei Surculi Tholosani* codex Behottii; *Pampinei* Fab. *Statii Pampinii Sursuli* duo Gudiani; *Papinii Sursuli Statii* Gud. tertius; *Pampinii Sursuli Statii* unus Paris. *Papinii Surculi Statii* alter Paris. et sic legit Til. ex plerisque, ut ait, codd. ut et Juretus ad Symmachi lib. I. ex codice D. Benigni Divionensis; et sic etiam legunt Morel. et Cald. *Papinii Surculi* Buslid. Lang. et Petav. *Statii Aquilini* Leid. *Statii Papinii Neapolitani* Drakenb. Uratisl. Aldd. 1. 2. Colin. Basil. et Gryph. 1. 2. *Pub. Papinii Statii* plerique codd. Gevartii; et Buslid. signate ita habebat initio Theb. III. VI. et VIII. *P. Papinii Statii* Vicent. *Papinii Statii* Rom. *P. Statii Papinii* in aliis vett. *Statii* Put. Ratisb. et Erford. nullo alio addito nomine.—2 *Statius Stellæ suo salutem* Gro-

NOTÆ

* *Sylvarum*] Sylvæ, Poëmata sunt subito calore effusa, et quasi extemporalia. Quod nomen eo sensu his libris convenire, vel ex Statio ipso discas, qui in Epistolis passim prædicat, et excusat suam in fundendis ejusmodi Carminibus celeritatem. Quod confirmatur a Quintiliano lib. x. cap. 3. ‘Diversum est,’ ait, ‘huic eorum vitium, qui primum discurrere per materiam stylo quam velocissimo volunt, et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt. Hoc Sylvam vocant. Repetunt deinde, et componunt, quæ effuderant.’ Hæc vero Poëmata subito calore effusa, ‘Sylvas’ nominarunt veteres, vel a multiplici materia, vel a frequentia rerum inculcatarum, vel ab ipsis rudimentis: rudia namque Poëmata, et sic effusa, postea castigabant. Vide et A. Gellium lib. ult. cap. 11. ‘Qui variam,’ inquit, ‘et miscellam et confusaneam doctrinam conquisiverunt, eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt, namque

libellos,[b] qui mihi subito calore[c] et quadam festinandi voluptate fluxerunt,[6] cum singuli de sinu meo prodiissent,[7] [d] congregatos ipse dimitterem.[e] Quid enim? *** quoque [8]

nov. Barth. Veen. et Delph. *Epistola ad Stellam* in quibusdam aliis. In codice Leidensi hoc et reliquorum librorum Prœmia desiderantur.—3 Venet. 1. quæ in Biblioth. Parisiensi servatur, *cogitavi*. Cf. Cic. Orator. cap. 1.—4 ' Hæc vox non est in cod. Merseburg. Si Statiana, videtur trajicienda: *et in studiis nostris, qua parte voluisti eminentissime*.' Barth.—5 N. Heins. conj. *quaqua parte voluisti*: Scriverius vero correxit: *quia patriis noluisti*; utrumque improbat Hand.—6 Ita Venet. 1. Parm. Vicent. Urat. et Par. quod restituerunt Jans. et Gronov. *fluxerant* Rom. Venet. 2. 3. 4. Brix. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. 1. 2. Basil. Bern. Gevart. Till. Cruc. et Markl. *effluxerant* Burmannus, ut olim conj. Markl.—7 Hæc lectio Domitio Calderino debetur in Rom. et hinc recepta est in aliis edd. probante Marklando; *de sinu meo pro congregatos* in scriptis codd. spatio relicto ubi integram dictionem esse oportuit; ita etiam Venet. 1. et Parm. *prodiissent* plane legitur in codd. Urat. Drakenb. et Paris. *prodissent* Til. *prosiluisset* maluit Barthius.—8 *Quid enim oportet hujus quoque* codd. Urat. Drakenb. et Par. ' Has duas dictiones, *oportet hujus*, quoniam mutilata hac particula desiderabantur in omnibus codd. suggesimus.' *Cald.* Calderinus non uno in loco scriptos libros bonæ notæ adhibuit, et quæ ex iis hauserit, emendationes suo nomine commendasse videtur. Hinc Marklandus: ' Hunc locum ex ingenio supplevit Domitius [Calderinus,] cum in omnibus codd. desiderarentur voces, *oportet hujus*.' Deinceps receptæ sunt in Venett. 2. 3. 4. Brix. Aldd. 1. 2. Colin. Basil. Gryph. 1. 2. Bern. Gevart. Til. Heins. Gronov. Veen. et Delph. ' pessimo exemplo,' inquit Markl. qui eas delevit. Denuo restituit Hand. in ed. an. 1817. ' Unum illud *me* fortasse inserendum: *me ornari, &c.*' Lenz. Barthius tentavit: *Quid enim? Editionis quoque auctoritate onerari?* Idem in

NOTÆ

alii Sylvarum inscripserunt, alii Musarum.'

† *Stellam*] De Stellæ genere, studiis, et muneribus agemus ad Epithalamion Stellæ et Violantillæ.

[a] *Studiis nostris*] Id est, Poëticis. Stella enim erat Poëta, ut videmus Epithalamio.

[b] *Libellos*] Notandum hic, Statium singula opuscula Libellos, non Sylvas vocare secus ac fecerunt doctissimi viri, ut Politianus, Parrhasius, Domitius, Turnebus et alii, qui unum quodque et singulare Poëmation Sylvam appellare non dubitarunt.

[c] *Subito calore*] Quo scilicet Poëtæ deproperant animo versus, quorum cursum ægre manus exceptrix assequatur. Princeps in talibus, ne Ovidio quidem semper excepto, Papinius noster. Apte autem *calori* jungitur *subiti* epitheton: utraque enim vox meditationi anxiæ opponitur. Is calor Poëtarum ingeniis insitus est, quo possunt ἐξ αὐτοσχεδίης καλὸν ἀείδειν, *ex tempore optime canere*, ut de Mercurio prodit Homerus in hymn. Soli Vinicio hanc laudem, ingenium in numerato habere, tribuebat Augustus, teste Seneca in controversiis.

[d] *Cum singuli de sinu meo prodiissent*] Ita Domitius, cum in veteri codice reperisset: *de sinu meo pro congregatos, &c.* Magis tamen sententiam expleret vox longior *prosiluissent*.

[e] *Dimitterem*] Id est, ederem, publicarem.

auctoritate editionis onerari, cum adhuc pro Thebaide mea (quamvis me reliquerit) timeo?[f] Sed et Culicem[g] legimus, et Batrachomyomachiam[9] [h] etiam agnoscimus: nec quisquam est illustrium Poëtarum, qui non aliquid operibus suis[10] stylo remissiore præluserit.[11] [i] Quid? quod hæc[12] serum erat continere, cum illa vos certe, quorum honori data sunt, haberetis. Sed apud ceteros necesse est mul-



ineditis scripsit: *Quid enim quoque auctoritate me editionis onerari?* Vir doctus, quem Hasius Morellum esse putat, in Parmensi exemplo interpolavit: *Quid enim necesse, hujus quoque, &c.* Ante Gronovium ediderunt: *Quid enim oportet .... onerari? quod, &c.* ille vero: *Quid enim oportet, quod adhuc .... timeo?* Corrigenda igitur erat interpunctio. Mox *quod adhuc* Par. cum Venett. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. 1. 2. Colin. Basil. Gryph. 1. 2. Bern. Gevart. Til. Heins. Gronov. Barth. Veen. et Delph. et nuper recepit Handius: *quo adhuc* cod. Urat. cum Venet. 1. Hinc Marklandus scripsit *quom*, (*quō*,) i. e. *quum*. Handius vocem *quod* interpretatur 'quanquam.' Cf. Muret. ad Catull. xx. p. 36. Heins. ad Ovid. Epist. xvii. 51. et Burm. ad Anthol. Lat. Tom. ii. p. 484.—9 Venet. 1. *batracomachiam*: N. Heins. conj. *Batrachomyomachiæ ignoscimus:* Barthius in ineditis notavit, vocem *etiam* non fuisse in cod. Merseburg. Heynius in Prœmio ad Culicem p. 4. scripsit *cognoscimus* pro *agnoscimus.*—10 Marklandus legi jussit *seriis*, quod in libris scriptis exarari solitum *siis*; 'unde minima mutatione *suis*.' Hoc damnat Lenzius.—11 Gronovius ad Senec. Herc. Fur. 222. contendit ubique restituendum esse *proludere* et *prolusio*, etiam non assentientibus libris, ut hoc loco. Quæ sententia ab Heinsio, ad Ovid. Art. Am. iii. 115. a Duckero ad Flor. iv. 2. 2. et ab aliis accepta. Vide etiam Freinsh. ad Flor. l. l. Burm. ad Virg. xii. 106. et nos ad Catull. Epithal. Pelei 382.—12 Lenz. malit *hæc* exterminari, propter *illa ... illis*, quæ sequuntur. N. Heins. conj. *quod et*

NOTÆ

[f] *Quid enim [oportet hujus] quoque auctoritate editionis onerari, cum adhuc pro Thebaide mea (quamvis me reliquerit) timeo*] Hic satis sibi incumbere oneris ait Poëta, quod Thebaidis editioni auctoritatem accommodaverit, quod se auctore edita sit Thebais; ne nunc gravet se novo onere, Sylvas quoque publicando: præsertim cum adhuc timeat pro Thebaide, cum jam a se discesserit, cum jam publici juris facta sit: 'relinquere' enim nos dicuntur opera, quæ edimus.

[g] *Culicem*] Poëmation Virgilii, quo mortem Culicis pastoris deflet, quodque juvenis composuit. Martialis: 'Quomodo vix Culicem fleverat ore rudi.' Et Papinius Genethliaco Lucani: 'Ante annos Culicis Maroniani.'

[h] *Batrachomyomachiam*] Id est, ranarum et murium pugnam, quam lusit Homerus: sunt tamen aliqui, ut Plutarchus, qui negent hoc opus esse Homeri.

[i] *Præluserit*] Exercitio, velut ante capta arma et bellum initum. Et Citharœdi dicebantur 'præludere' vel 'proludere,' cum prætentabant et experiebantur chordas. Ita in Achilleide ad Domitianum: 'Magnusque tibi præludat Achilles.' 'Proludere' simili sensu aliis scriptoribus.

tum illis pereat ex venia,[13] cum amiserint, quam solam habuerunt,[14] gratiam celeritatis:[j] nullum enim ex illis biduo longius tractum; quædam et singulis[15] diebus effusa: quamvis metuo, ne verum[16] istuc versus quoque ipsi de se probent. Primus libellus sacrosanctum habet testem:[k] sumendum enim erat a Jove[l] principium. Ceterum hos versus, quos in Equum Maximum feci, indulgentissimo Imperatori postero die, quam dedicatum erat[17] [m] opus, tradere jussus sum. Potuisti illud (dicet aliquis) et ante vidisse. Respondebis illi tu, Stella carissime, qui Epithalamion[18] tuum, quod mihi injunxeras, scis biduo[19] scriptum. Audacter mehercule,[20] sed tamen CCLXXVII. hexametros[21]



serum erat. Mox Rom. *quom illa.*—13 Barthius in ineditis notat 'Ms. C. *ca.*' Hoc quidem esset *causa*; sed *venia* ponitur pro gratia aut excusatione, cui severum judicium opponitur.' *Hand.* Cf. Quintil. Inst. x. 1.—14 Hæc lectio est a Gevartio. Sen. omnes Vatt. Mers. Leid. Vindob. Par. Urat. aliique codd. cum Venett. 1. 2. 3. 4. Par. Rom. Brix. Vicent. Aldd. 1. 2. Colin. Basil. Gryph. 1. 2. et Bern. exhibent *habuerint*, quod revocavit Handius.—15 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. et Vicent. *et in singulis*. Aldus præpositionem primus omisit, et post eum omnes. Handius restituit.—16 Parm. *quamvis me ore verum*; et in margine *metuo ne*; Codex Barthii *quamvis nemo*; Paris. *quamvis metuo verum*; Venet. 1. *quamvis in meone verum*; Vicent. *quam quis metuo ne verum.* At, ut jam Calderinus restituit in Rom. *quamvis metuo ne verum*, ita legitur in Urat. Mox, 'pro *versus* Venet. 1. exhibet *usus*,' inquit Handius. At *usus* nihil aliud est quam (*v̊sus*) *versus*, nota contractionis omissa.—17 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Aldd. 1. 2. Colin. Basil. Gryph. 1. 2. Plant. Til. Cruc. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *dedicaverat*; Vicent. *dedicaveram.* 'Scriptum fuit *dedicatum erat*, et litera *t* elisa, *dedicaverat.*' Markl. Vulgatam restituit Handius. Mox pro *jussus sum* Urat. habet *uisum*; Venet. 1. *jussum*, omisso verbo substantivo.—18 *Epithalamium* Gryph. 1. 2.—19 Parm. *scis triduo*; Urat. *scibis*; deest in Venet. 1.—20 Venet. 1. *mehercles*; Parm. Rom. 1. 2. Brix. Vicent. Venett. 2. 3. 4. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. et Basil. *mehercle*, quod restituit Handius. Inde a Gevartio editum *mehercule.*—21 Urat. *sed tamen hexametros*; Parm. et Venet. 1. *sed tantum tamen exhametros.* In Domitii Calderini codd. etiam numeri de-

NOTÆ

[j] *Cum amiserint, quam solam habuerunt, gratiam celeritatis*] Ut Statius a *calore* aut *celeritate* scriptis suis gratiam captat, sic Plinius a 'novitate.' Epist. lib. I. 2. 'Edendum autem ex pluribus causis, maxime quod libelli, quos emisimus, dicuntur in manibus esse, quamvis jam gratiam novitatis exuerint.'

[k] *Testem*] Celeritatis nempe suæ.

[l] *Jove*] Domitiano. Et blanditur Domitiano, qui omni dubitationis specie remota, Deus palam haberi et appellari volebat. Infra Kalendis Decembribus: 'Dum nostri Jovis hi ferantur imbres.'

[m] *Dedicatum erat*] Statuæ enim et imagines dedicari solitæ.

habet. At fortasse[22] tu pro collega mentieris.[n] Manlius certe Vopiscus, vir eruditissimus, et qui præcipue vindicat a situ[23] literas jam pæne fugientes, solet ultro quoque nomine meo gloriari, et[24] villam Tiburtinam suam descriptam a nobis uno die. Sequitur libellus Rutilio Gallico Valenti[25] dedicatus: de quo nihil dico, ne videar defuncti testis occasione mentiri. Nam[26] Claudii Hetrusci testimonium est, qui Balneolum a me suum intra moram[27][o] cœnæ recepit. In fine[p] sunt Kalendæ Decembres; quibus utique creditur:[28][q] noctem enim illam felicissimam[r] habent, et voluptatibus publicis inexpertam.[s]

erant, quos ille in Rom. ex sensu addidit. Mirum vero, quod omnes editiones usque ad Gronovianam exhibeant: CCLXXII. et quod Barthius 278. versus numeraverit.—22 Ita legi jussit Marklandus cum antea editum fuisset: *Et fortasse*, cum interrogationis nota. Sed Bernartius jam notaverat corrigendum esse *At*. Hopfius conjecit *Sed*. Gevartius et Gronovius, non expedita ratione, sententiam per interrogationem efferebant. Omnes vero codd. et edd. vett. præbent *Et*, quod revocavit Hand. Mox, Par. *mentiris* pro *mentieris*.—23 Lenz. conj. *ab exitu*; et postea: *a situ l. j. p. jacentes*, vel *senescentes*. Cf. Cic. de Orat. II. 2. 7. *vendicat a s. l. j. pene* Urat. Nihil autem corrigendum esse putat Handius.—24 Hand. delet *et* cum codice Urat. et Parm. *et villam* non habebat codex Barthii, qui pro *meo* præbebat *eo*. Hoc sibi vindicat Marklandus, quomodo *At* pro *Et* supra: 'Recte puto me emendasse: *nomine eo gloriari, villam, &c.* id est, ea causa.'—25 Ita omnes edd. *Gallico est valenti* codex Urat. *ualēti* Venet. 1. Heinsius correxit, *convalescenti*, quod necessarium putavit Hand. Idem Scriverius ita notavit: *GalliCŌvalescenti*.—26 *Nam Claudi hetrusci* Venet. 1. *Etrusci* Urat. et Drakenb. *Hetrusci* Til. Gevart. et Markl. Barthius in Animadv. emendavit: *Palam Claudii Hetrusci testimonium est:* In notis scriptis hæc: '*Exstat* dixisset Cicero: Ms. *testimonium unum est*.' Ecce iterum Marklandus: 'Lege: *testimonium extat; qui, &c.* hoc modo sensus expletur.'—27 Urat. *suam intra moram*.—28 Urat. *uti creditur*. Markl. mallet *credetur*. Cf. Senec. in Ludo de Mort. Claudii. Mox *habent* non habetur in Urat. et Venet. 1. ille præterea dat, *ex voluptatibus*. Denique pro *inexpertam* Hopfius conj. *non inexpertam*.

NOTÆ

[n] *Pro collega mentieris*] Poëta scilicet pro Poëta. Et *collega* hic pro socio et consorte studiorum. Epith. Stellæ: 'Tecum similes junctæque Camœnæ, Stella, mihi, multumque pares bacchamur ad aras.' Collegæ proprie dicuntur qui sunt ejusdem ordinis et conditionis, et qui sunt in legatione et magistratu socii. Divus Cyprianus Episcopos vocat 'collegas suos.' Ep. L.

[o] *Moram*] Spatium et tempus.

[p] *In fine*] Scilicet libri primi.

[q] *Quibus utique creditur*] Quod hoc opusculum scriptum sit celeriter.

[r] *Noctem enim illam felicissimam*] Videl. Kalendas Decembres: et notat hic Papinius spectacula, quæ illa nocte ad lychnuchos Domitianus edidit. Vide et Suetonium et Xiphilinum Domitiano.

[s] *Inexpertam*] Qualem nunquam antea sensit populus Romanus.

I. EQUUS MAX. DOMITIANI.

Describit Poëta statuam equestrem, quam Domitiano Imperatori Senatus populusque in foro Romano statuerant.

QUÆ superimposito moles geminata Colosso

Quæ moles, duplicata superimposito colosso, stat, replens Romanum forum? An



Titulum primi carminis hujus in scripto notavit Gronovius: *Domitiani Aug. æneus equus in foro dicatus.* In codice Urat. desideratur inscriptio. Venet. 1. habet: *In Equum Maximum Imp. Domici;* Rom. et reliquæ omnes: *Equus Max. Domitiani.*—1 Urat. et Vindob. et edd. antiq. omnes exhibent separatis verbis, *super imposito.* Markl. primus in unum vocabulum conjunxit. *Quæ, Superi, imposito, &c.* Ptolomæus Flavius in Conject. cap. 28. quod repudiavit Gevartius, et signo, quod hyphen nominant, interposito, scribi jussit *super-imposito*, et vs. 59. *super-ingesti.* Probasse videtur Gronovius. *Quæ superimpositi m. g. Colossi* malit Cruc. improbantibus Barth. et Markl. Pro *moles* Urat. et Vindob. a manu rec. habent *sedes.* Codd. Voss. Drakenb. et Par. cum Rom. Vicent. Brix. Venett. 2. 3. 4. Ald. 1. et Gryph. 1. 2. *gemmata*, quod probarunt in commentariis Cald. Morel. et Bern. ita etiam correxit Rhædus. Sed codd. Sen. Lips. Urat. Vindob. et Par. in marg. præbent *geminata*, ut est etiam in Venet. 1. Parm. Ald. 2. Til. Cruc. Gevart. Gronov. Veen. Delph. et Markl. probante Handio. Eadem varietas occurrit in Præf. libri tertii. Barthius conj. *geniata*, et de Geniis in heroum et principum monumentis ita explicavit, ut voc. *complexa*, quod sequitur, ad fulgorem et

NOTÆ

1 *Geminata*] Apposite *geminatam*, seu duplicem aut duplicatam molem, equi scilicet, et equitis dicit Poëta: Nam totum operis conspectum, equum inquam et sessorem una complexus, eleganter *geminatam*, id est, duplicem molem dicit. Solus equus basi insistens per se magnam molem constituebat; cum vero colossus Imperatoris equo impositus est, *geminata* et duplicata dici debuit. Potest etiam commode, ait Gevartius, *geminata* hic explicari, 'conjuncta,' 'connexa,' et 'copulata:' ita verbum 'geminare' usurpat Statius pro copulare, et conjungere. Sic Epithal. Stellæ: 'Dat Juno verenda Vincula, et insigni geminat Concordia tæda.' Eodem modo Horatius arte Poëtica: 'Non ut Serpentes avibus geminentur, tigribus agnæ.' Sic eo sensu dici potest, *molem*, id est, equum basi insistentem, *geminatam* fuisse, id est, conjunctam et connexam imposito illi Domitiani colosso. Et hic *colosso* dandi est casu, non auferendi. Ita etiam illud Taciti interpretandum, Annal. lib. I. 'M. Agrippam geminatis Consulatibus extulit.' Nam, ut recte annotavit hic Lipsius, per 'geminatos consulatus' intelligit Tacitus conjunctos, et sese mutuo subsequentes, ita ut per duos annos continuos Agrippa consul esset, quod sane erat rarissimum. Ceterum alii sunt qui legunt *gemmata*, et interpretantur, radiantem ac splendentem, ex illo Martialis: 'Nec te detineat miri radiata colossi Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.' Sed falluntur. In primis errant in eo, quod dicant Martialem fecisse hæc carmina in hanc Domitiani statuam. Nam, ut recte ad illum locum notavit Raderus, Martialis ibi agit de colosso Neronis, cujus caput a Vespasiano ablatum est, et solis impositum, adeoque totus colossus soli consecratus. Unde

Stat Latium complexa forum? Cælone peractum
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
Effigies lassum Steropem Brontemque reliquit?

opus in cælo peractum huc decidit? An statua conflata in fornacibus Siculis reliquit

amplitudinem Genii referret.—2 *Stat latum* Urat. Vide Drakenb. ad Silium XVII. 433. et Lips. de Magn. Rom. III. 7. Codd. Urat. Sen. et Lipsii, *cælone per auras;* idem citant Barth. et Bern. reposuit Morel. exponens Græco vocabulo *οὐρανοπετές·* et probat Voss. de Analogia I. 32. p. 515.—4 Ita Sen. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Urat. et Capil. cum Venett. 1.

NOTÆ

recte Martialis eum hic 'radiatam molem' vocat, innuens, nimirum, radios solis capiti circumpositos, quos septem fuisse, et singulos duos et viginti pedes et semis longos tradit P. Victor. Quidam per *molem geminatam* intelligunt basin et statuam equestrem illi impositam. *Colosso*] Intelligit statuam colosseam Domitiani equo impositam. Colossus autem enormem statuam significat, ut declarat Plinius lib. XXXIV. cap. 7. 'Moles quippe excogitatas videmus statuarum, quas colossos vocant, turribus pares.' Eæ statuæ primitus solis Diis dicatæ fuerunt, sed mox crescente in dies adulatione, principibus etiam delatæ, ut fulmina, astra, coronæ radiatæ. Quin et ipsi in numerum Deorum relati. Ceterum de origine et honore statuarum, et generibus, et figuris consule Plinium lib. XXXIV. cap. 4. 5. 6. et 7.

2 *Latium forum*] Forum hoc erat in octava regione Romæ, et Romanum vocabatur. Dixit autem Poëta *Latium*, quia Roma in Latio sita erat. *Cælone* [*Cælone*] *peractum fluxit opus*] Dubitant interpretes, an hic Poëta opus ex *cælo* delapsum, an *cælo*, id est, sculpendi instrumento perfectum intelligat: dicuntque potuisse hic vocem cælo usurpare, eo sensu quo in Surrentino Pollii II. Sylvar. 'Aut Polycletæo jussum est quod vivere cælo.' Et III. Sylvarum Hercu. Epitr. 'Laborifero vivant quæ marmora cælo Praxitelis.' Et Martial. 'Quis te Phidiaco formatam Julia cælo.' Sed hæc interpretatio stare non potest cum verbo *fluxit*, quod arti sculptoriæ nulla ratione convenit. Itaque *cælo fluxit*, idem hic est, quod cœlo decidit. Petit enim admirabundus Poëta, an illa mira statua deciderit e cœlo, an ab Vulcano, aut Pallade excusa fuerit. Arbitrabantur enim antiqui vetustissimas, ac multa arte elaboratas Deorum imagines e cœlo decidisse, ut de statuis Cereris ac Cybeles, item Palladio, et Ancilibus persuasum illis erat. 'Fluere' enim pro delabi sumitur. Papinius alibi de nocte: 'Defluit in terras, mutumque amplectitur orbem.' Ita Virgilius Æneid. II. 'Quem tota cohors imitata, relictis Ad terram defluxit equis.' Et Livius lib. II. 'Nec quicquam equitis vulnere retardato, moribundus Romanus, labentibus super corpus armis, ad terram defluxit.'

3 *Siculis caminis*] Per *Siculos caminos*, intelligit officinam Vulcani, quam non solum in insulis Vulcaniis, ac Lemno, sed etiam in Ætna monte Siciliæ veteres posuerunt; ut omnibus notum est.

4 *Lassum Steropem Brontemque*] Brontes ac Steropes, una cum tertio

An te Palladiæ talem, Germanice, nobis
Effinxere manus, qualem modo fræna tenentem
Rhenus, et attoniti vidit domus ardua Daci?
Nunc age, fama prior notum per sæcula nomen
Dardanii miretur equi, cui vertice sacro
Dindymon, et cæsis decrevit frondibus Ida:

fatigatos Steropen et Bronten? An, Germanice, manus Palladis talem te nobis excuderunt, qualem Rhenus et consternati Daci modo spectaverunt equo insidentem. Nunc age, antiquitas stupeat equum Trojanum in omni ævo celebratum, cui fabricando Dyndimus sancto jugo diminutus est, et Ida decrevit amputatis arboribus.

2. 3. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. aliis; *Effigiem* Venett. 1490. 1494. 1498. et Petit. quod placet Parrhas. et Bern. repugnat Cruc. *lassos* conj. N. Heins. ‘Comma, quod vulgo positum post *Effigies*, abolendum erat.’ *Hand.* —6 *Effigere* Urat. et Venet. 1. *qualem non frenu* Urat. *frenu terentem* Merseb. —7 Vir doctus in exemplo Gottingensi conj. *timuit*, aut *tremuit* pro *vidit*.— 8 Idem V. D. in exempl. Gotting. conj. *Nunc age, famu prior, notum p. s. nomen D. mireris equi:* codex Merseb. Barthii *per sæcula numen*.—10 *Dindymos* Par. et ita correxit Til. in exemplo suo. A Græcis mons Phrygiæ nominatur *Δίνδυμον* et *Δίνδυμα*. Sed vide Propert. III. 21. (22.) 3. *Idu* omnes edd. *Iden* Urat. *Ide* voluit Vossius, ut notat Burmannus, et V. D. in exempl. Gotting. quod reposuit Handius: Rhædus correxit *Idam*, ut videtur, non

NOTÆ

Pyracmone, Cyclopes et ministri Vulcani. De Pyracmone mentio habetur Theb. II. 599. Meminit vero horum ab ea mente, qua Cyclopibus ingentia opera, et quæ admirationi erant, ascribebantur.

5 *Palladiæ*] Hoc dicit gratia ipsius Domitiani, qui Palladem devotissime colebat. Excellentioris etiam artificii opera Palladi attribuebantur.

Germanice] Germanicus, cognomen Domitiani a devictis Cattis, et Marcomanis Germaniæ populis: quod sæpissime in ejus nummis legitur: quodque cognomen non cepit, nisi jam decies consul. Certe in 11. et 14. consulatibus nummi habent tropæum, cum inscriptione, GERMANIA CAPTA. Primus autem, hoc Germanici cognomento claruit Drusus Imper. Tiberii frater, et pater Germanici.

7 *Rhenus*] Rhenus nobilissimus fluvius dividens Galliam a Germania. *Domus ardua Daci*] Non hic intelligenda regia Dacorum, non mons sacer, non templum in monte, ut volunt quidam interpretes, sed ipsa tota gens montes colens. Florus lib. IV. ‘Daci montibus inhærent.’ *Daci*] Vide quæ diximus de Dacis Thebaid. I. 20. *Attonitum* vero *Dacum* dicit, cum montes suos occupatos vidit a legatis Domitiani.

9 *Dardanii*] Id est, Trojani. Trojani enim a Dardano originem ducebant, Troasque etiam ‘Dardania’ ab eodem vocabatur.

10 *Dindymon, Ida*] Dindymus et Ida Phrygiæ montes, quorum prior erat sacer Cybele: unde dicit superiori versu, *vertice sacro*.

Hunc neque divisis cepissent Pergama muris,
Nec grege permixto pueri innuptæque puellæ,
Ipse nec Æneas, nec magnus duceret Hector.
Adde, quod ille nocens, sævosque amplexus Achivos;
Hunc mitis commendat eques: juvat ora tueri
Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem.
Nec veris majora putes; par forma decorque,

Hunc Domitiani neque Pergama cepissent dejectis mœnibus, nec pueri et intactæ permixtim virgines, nec ipse Æneas, nec ingens Hector potuissent trahere. Adde quod ille Trojanus noxius erat, et intus continebat diros Græcos: hunc autem benignus eques commendat. Gratum est intueri faciem temperatam signis belli ac pacis. Nec credas veram excedere. Æqualis forma et venustas, æqualis honor est in vultu.

intellectis verbis superioribus.—11 Codd. Urat. Vindob. et Par. cum Venet. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. &c. *discissis;* Markl. conj. *divisis*, quod probavit Heynius ad Virg. Æn. II. 234. et Lenzius, collato loco III. 1. 16. *discussis* codex Leid. ut conj. Schraderus in notis ineditis: *discisis* V. D. in libro Gotting. 'Vocabulum *cæpissent*, in prima editione pro more sæculi scriptum, ab editoribus depravatum est in *cœpissent*. Una illa famosa Grasseri editio recte exhibet *cepissent*, quod jam ante Marklandum agnovit Barthius, adducto loco Virg. Æn. IX. 644. 'Nec te Troja capit.' *Hand.*—12 Cruc. in notis p. 21. *permixti*. Pro *innuptæque* alii *nuptæque*. Vide Theb. IV. 16.—15 *Nunc mitis commendat equos* cod. Urat. 'Interpunctionem correxi puncto (quam periodum vocant) post *eques* posito.' *Hand.*—16 Codex Merseb. *placidamque quærentia pacem* ex compendio *q̃rentia*. N. Heins. conj. *placitamque g. pacem.* Cf. Virg. Æn. I. 294. et Ovid. Met. II. 158.—17 Parm. *fama*

NOTÆ

11 *Divisis muris*] Alludit ad historiam Virgilianam de equo Trojano sic recepto. Æn. II. 'Dividimus muros, et mœnia pandimus urbis.'

12 *Pueri innuptæque puellæ*] Ibidem: 'Circum pueri, innuptæque puellæ.'

13 *Ipse nec Æneas, nec magnus duceret Hector*] Æneas et Hector, heroës fortissimi, et notissimi ex Iliade et Æneide.

14 *Amplexus Achivos*] Equus enim Trojanus continebat in alvo Achivos seu Græcos, sic dictos ab Achaia provincia Græciæ.

15 *Juvat ora tueri Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem*] Papinius, adulans suo more Domitiano, vult formæ Domitiani eam temperaturam esse, ut in ejus vultu bellum, et pax, seu potius terror, ac benignitas elucerent. Ea autem est hæc commendatio ac dignitas oris, quam in duce belli requirit Aristoteles, nimirum, ut ita sit gratus aspectu, ut etiam terreat. Quod in eodem Domitiano felicissime ac elegantissime Martialis expressit lib. VII. Epigr. 5. de Cattis agens: 'Terrarum dominum propius videt ille, tuoque Terretur vultu barbarus, et fruitur.' Non itaque hic intelligendæ sunt cicatrices seu vulnera in vultu Domitiani, qui nequidem bellum viderat, ut patet ex historia. Nec minus intelligendus pulvis bellicus, quo magnos duces e bello redeuntes conspersos Poëtæ describunt, ut quidam volunt.

Par honor: exhaustis Martem non altius armis
Bistonius portat sonipes, magnoque superbit
Pondere; nec tardo raptus prope flumina cursu
Fumat, et ingenti propellit Strymona flatu.
Par operi sedes: hinc obvia limina pandit,
Qui fessus bellis, ascitæ munere prolis,

Equus Thracius finito bello non superbior vehit Martem, et cum gloriatur magno onere, et latus citato cursu prope fluvios fumat, et protrudit Strymonem forti halitu. Locus convenit operi. Hinc ille pandit obvias fores, qui fatigatus bello civili, pri-

pro *forma.*—18 Parm. Venet. 1. Venet. 1498. Vatt. 1. 3. 4. Fabric. Lips. et Par. *non altius;* unde N. Heins. conj. *exutis Martem non altius armis, &c.* et Handius edidit: *exutis M. non altior, &c.* Cf. Sil. Ital. IX. 86. Ovid. Heroid. XIII. 147. et Stat. Sylv. III. 3. 144. *non altius* præferunt etiam Bern. in comment. Til. Barth. et Grotius in Epist. ad Gronov. Marklandus dubius hærebat. *non amplior* conj. Bern. quod receperunt Gevart. Gronov. et Daum. probavit Rhædus in ineditis. *non amplius* correxit Calderinus, unde legitur in Rom. Venett. 2. 3. 4. Petit. Aldd. Grasser. et Til. et ita codd. Vat. 2. et Leid. *non altior* Urat. *acrius* conj. Lenz. ex vs. 47.—20 Markl. conj. *nec tanto,* quod et Gevartio et Peyraredo in mentem venerat. Marolles notat, alios legisse *nec tarda.* Venet. 1. *rapto* pro *raptus.* Heins. conj. *nec tanto r. p. f. nisu.* Vir doctus in exempl. Gotting. ita: 'Forte: *cum tardo rapidus prope flumina cursu Fumat;* nisi fortasse dederit poëta: *cum rapido raptus prope fulmina cursu Fumat;* ut *prope fulmina* sit instar fulminis.—21 N. Heinsius conjecit *Spumat.* At cf. Virg. Æn. XII. 337. Georg. II. 542. et Minuc. Fel. Octav. 7.—22 Interpunctionem correxit Barthius sublatis colis post verba *pandit* et *prolis.*—23 *Qui fisus bellis* conj. Markl. tentabat etiam: *Qui fretus bellis,* vel: *Qui suetus bellis.* '*fisus* Marklandi jejunius quam *fessus,* nec bene convenit cum sequentibus.' *Lenz. adsertæ m. prolis* Parm. Venett. 3. 4. Rom.

NOTÆ

18 *Exhaustis armis*] Finito bello, seu post victoriam.

19 *Bistonius*] Thracius. Bistones enim gens Thracia.

20 *Nec tardo, &c.*] Legit Gevartius *tanto,* aitque ipsum Martis equum non tanto cursu seu impetu rapi ad Strymona, ut videtur hic Domitiani equus: quia addit, *cursum minatur.* In quo fallitur: non enim *cursum minatur* significat currit, sed solum videtur jam jam cursum arrepturus. Simplex est hic descriptio equi Martis, cujus pernicitatem comparat Poëta cum rapiditate fluvii celerrimi.

21 *Propellit*] Aut est, introrsus trudit undas Strymonis, quæ littori alliduntur, aut easdem etiam urget, flatu protrudit, velut lentius currentes. *Strymona*] Strymon, fluvius Thraciæ de quo sæpius diximus.

22 *Sedes*] Per *sedem* posset intelligi basis, cui insistebat equus cum colosso, quæque pari artificio elaborata erat. Sed potius credo intelligi debere forum Romanum, in quo ille equus positus erat, et hoc ex circumstantibus ædificiis, quæ numerat hic Poëta. *Hinc obvia limina pandit*] Intelligit ædem Julii Cæsaris, quæ erat in foro Romano. Hæc ædes interfecto Cæsare dicata fuit, ex Appiano; ex Dione vero, eo adhuc vivente, Antonio quasi sacerdote ac flamine.

Primus iter nostris ostendit in æthera Divis.
Discitur e vultu quantum tu mitior armis;
Qui nec in externos facilis sævire furores
Das Cattis Dacisque fidem: te signa ferente

mus monstravit nostris Divis viam in cœlos, beneficio adoptivi filii. Noscitur e tua facie, quam in armis sis lenior; qui nec severus in exterorum furores, das fidem

Brix. Vicent. Aldd. 1. 2. Colin. Basil. Gryph. 1. 2. &c. cum Sen. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Urat. et Capil. probantibus Toll. ad Auson. p. 670. Bessel. in Misc. Philol. II. 3. et Burm. *adsectæ m. prolis* Florent. et Venet. 1. *adscitæ* Grotius in Epist. 673. Lips. in Epist. Kal. Nov. 1598. et Gronov. in Diatr. ut est etiam in Venet. 2. quod receperunt Daum. et Markl. *assertæ* genuinum existimat Wernsdorf. *insertæ* conj. N. Heins. Cf. Ovid. Met. XIII. 38. Vide etiam Barth. ad Claud. p. 927.—25 Cod. Urat. et Venet. 1. *Discit et e vultu*, quemadmodum sæpe confunduntur compendium syllabæ *tur* et vocula *et*. Barth. in Advers. XXXI. 4. interpunctionem fecerat post *mitior*, ut *armis* conjungeretur cum verbis quæ sequuntur. Errorem ipse postea cognovit.—27 Cod. Leid. cum Rom. Venett. 2. 3. 4. 5. Vicent. Brix. et Aldd. *Catis*; Urat. et Venet. 1. *captis*. Primus Bernartius edidit *Cattis*; Lindenbrog. et Cruc. *Catthis*. Vide Interpp. ad Frontin. Strateg. III. 3. 23. Duo codd. Barthii, *te regna ferente*, probante Gronovio.—28

NOTÆ

23 *Qui fessus bellis, ascitæ munere prolis, Primus iter nostris ostendit in æthera Divis*] Notat Julium Cæsarem, qui primus Imperatorum relatus fuit in numerum Deorum, id procurante Augusto Cæsare filio ejus adoptivo, cum ludis quos primo consecratos ei edebat cometes per septem dies continuos fulsisset, creditumque esset animam esse Cæsaris in cœlum recepti. Vide Suetonium Julio cap. 88. Plinium lib. II. cap. 25. Propert. lib. IV. Lucan. lib. VII. Ovid. Fast. III. *Ascitæ*] *Asciri*, proprium adoptionis verbum. Tacitus: 'Germanicus asciri per adoptionem a Tiberio jussit.' Idem alibi: 'Plerique fictis adoptionibus asciscerent filios.' Valerius Max. 'Adoptatos et ascitos.' Suetonius: 'Testamentoque semper in bona et nomen ascitum.' Ipsemet Statius Epicedio in Glauciam: 'Interius nova sæpe ascitaque serpunt Pignora connexis.' Ita Gronovius, et bene.

24 *Nostris Divis*] Id est, Imperatoribus qui et ipsi, ad exemplum Julii Cæsaris, etiam Dii crediti sunt. Consecrationis vero ritum fuse describit Herodianus in Severo.

25 *Discitur e vultu quantum tu mitior*] Speculum enim mentis est vultus. Eleganter Achilles Tatius lib. VI. Ὁ γὰρ νοῦς οὔ μοι δοκεῖ λελέχθαι καλῶς εἶναι ἀόρατος τὸ παρὰ πᾶν· φαίνεται γὰρ ἀκριβῶς, ὡς ἐν κατόπτρῳ, ἐν τῷ προσώπῳ. *Illud mihi non recte dictum videtur, mentem omnino cerni non posse; in vultu enim tanquam in speculo perfecte cernitur.*

27 *Das Cattis Dacisque*] De expeditionibus Domitiani in Cattos Dacosque, consulendus Suetonius Domitiano cap. 6. et Dio apud Xiphilinum. Ceterum observandum est hic, hanc equestrem statuam Domitiano fuisse delatam a Senatu populoque Romano, ob hanc Dacicam expeditionem.

Et minor in leges iret gener, et Cato castris.

Cattis et Dacis. Si bellum movisses, et gener Pompeius te inferior subiisset tuas

D. Heins. legit: *Et minor in leges iret g. e. C. nostras*, probante Gevartio. Marklandus: *Et m. i. l. i. g. e. C. justas*, ut sensus sit: Pompeius et Cato summisissent se legibus et conditionibus tuis, æquis sc. mitibus, et justis, utpote tuis. Et sic explicant Calderinus, Barth. Wernsdorf. et Lenz. In libris scriptis nulla varietas, nisi quod Merseb. exhibebat *irent*, quod solus Barth. prætulit. N. Heinsio aliquando placuisse videtur patris sui correctio: *leges .... nostras;* sed in suo libro correxit *in leges isset.* Hopfius secundum Theb. VII. 370. emendavit: *in leges juret gener et Cato castas*, vel *cedat*. Schraderus in notis ineditis: *in leges iret gener et Cato castra.* Cruc. *in leges i. g. e. C. justas.* 'Quæ omnia non probari possunt. Equidem ne interpunctionem quidem mutandum existimavi. Nam Poëta non sine vi singulari adhibuit incisionem, quæ ab usu bucolicorum appellatur, ita ut voc. *castris* proprie ad

NOTÆ

Te signa ferente Et minor in leges iret gener, et Cato castris] Interpretes verba hujusce loci varie explicuerunt. Omnium tamen sententiæ in eundem sensum conveniunt, nimirum, Pompeium et Catonem Domitiano, si dux fuisset Cæsarianis castris, vexilla summissuros et cessuros. *Te signa ferente*] Id est, te duce Cæsarianarum partium, te Julii Cæsaris personam sustinente. *Minor gener*, est Pompeius, qui Juliam Cæsaris filiam uxorem duxerat. Et voce *minor* alluditur cognomentum 'Magni,' quod soli sibi tributum Pompeius vindicabat, aliisque invidebat, quippe qui parem ferre non sustineret. Sed *minor* tunc, cum victus est a Cæsare, qui demum magnus, immo major agnitus est. Eo respexit Manilius lib. IV. 'Quis te Niliaco periturum littore, Magne, Post victas Mithridatis opes, Pelagusque receptum, Cum jam etiam posses alium cognoscere Magnum, Crederet, ut corpus sepeliret naufragus ignis.' De Pompeio vide Historicos Romanos, et Plin. lib. VII. cap. 26. ubi breviter Pompeii Magni titulos et triumphos refert. *In leges iret*] Omnes, qui hunc locum attigerunt, *ire in leges*, vexilla summittere et cedere, interpretati sunt. Gronovio soli hæc explicatio non placet. Et postquam, multis adductis auctorum testimoniis, probavit, 'regnum' et *leges* esse res omnino diversas et sibi oppositas, *leges* vero et 'libertatem' rem unam eandemque prorsus, vult hanc esse mentem Statii: Si tuis auspiciis partes quæ erant Cæsaris administratæ essent, si tu regnum Romæ instituere voluisses, ultro gener Pompeius, ille solus olim magnus, et parem ferre indignatus, nunc lubens te *minor*, vi, armata manu, *castris* libertatem adoriretur, invaderet: nec minus Cato. Addit Gronovius, ut suam sententiam firmet, haberi in duobus Mss. Barthii: *te regna ferente*, id est, regnum introducente. Idem Gronovius putat etiam hic per *leges*, intelligi posse has, quas Cæsari armato Senatus infelici magnanimitate imponere voluit, de quibus videndi Suetonius in Julio cap. 28. Dio lib. XL. Et in has leges, earumque rogatores et defensores, Pompeius et Cato, capita illa adversarum partium, ultro cum Domitiano ivissent, armati movissent, si ille Cæsar fuisset. *Cato*] Uticensis hic intelligendus, qui accepto nuntio Uticæ, ubi erat, Scipionem et Jubam a Cæsare prope Thapsum urbem victos fuisse, castrisque exutos, se ipsum

At laterum passus hinc Julia tecta tuentur,
Illinc belligeri sublimis regia Pauli.

leges, et Cato transiisset in tua castra. At hinc Julia templa contemplantur spatia laterum tuæ statuæ: illinc celsa basilica strenui Pauli: genitor tuus ac Concordia

Catonem referretur.' *Hand.*—29 Barthius, non potest, inquit, aliter intelligi, quam si *pansus* scripsisset Statius. Heins. e Theb. IV. 173. revocandum putavit: *At laterum tractus hinc, &c.* improbante Handio. Lipsii codex, Urat. Par. Venet. 1. et Parm. *tecta*, quod revocavit Marklandus, probantibus Bern. et Hand. Duo alii Lipsiani, Leid. Rom. Vicent. Venett. 2. 3. 4. Petit. Aldd. Colin. Basil. Gryph. 1. 2. Bern. Gevart. Till. Heins. Morel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *templa.* Sæpe confunduntur *tecta* et *templa.* Vide Burm. ad Lucan. v. 19.—30 *Pauli* in codd. non *Paulli,* quod notasse sufficit.—32

NOTÆ

ense confodit, ne in Cæsaris potestatem veniret. Vide Plutarchum in ejus vita aliosque historicos. *Castris*] Quidam subintelligunt præpositionem 'cum,' ut sit sensus: Pompeium et Catonem a Domitiano leges accepturos cum castris suis seu copiis. Alii præpositionem 'e,' ut apud Nostrum Theb. VIII. 'Ogygiis it sorte Creon.' Imitatione Virgilii, cujus illud Æneid. IV. 'It portis jubare exorto delecta juventus.' Ut sit sensus: Catonem exiturum e castris et arma positurum. Sed *ire castris* pro ire ad castra, mihi probabilius videtur, voce *castris* dandi casu accepto. Ut apud Nostrum Theb. IV. 'Ire ducem bello,' et apud Virgil. Æneid. XI. 'It cœlo clamorque virum, clangorque tubarum.' Et apud Silium Italicum lib. X. 'Sibi tristius illum Illuxisse diem, castris ut viderit ire Varronem, quam quo videat remeare sine armis.' Ubi 'castris ire' idem ac ad castra. Et lib. XV. 'Ire sorori (Nam castris erat in Rutilis) germatus amatæ Cogitur.' Daniel Heinsius hunc versum: *Et minor, &c.* Sic legit: *Et minor in leges iret gener et Cato nostras.* Et intelligit per *leges* partes imperatorum, quæ jam erant omnium, ideo nostras. P. Scriverius hunc versum sic legendum censet: *Et minor in leges gener et Cato Cæsaris iret.*

29 *Laterum passus*] Id est, spatia, ut designet amplitudinem laterum hujus equi. Sic de Capaneo, quem fuisse Giganteæ pæne molis scribit, Noster Theb. IV. 'At laterum tractus, spatiosaque pectora servat Nexilis innumero chalybum subtemine thorax.' *Julia tecta* [*templa*] Intelligit Basilicam Juliam, de qua Vitruvius lib. V. et Suetonius in Caligula: et vox *templum*, pro profano loco etiam accipitur. Vide A. Gellium lib. XIV. cap. 7. Codex Ms. Lipsii habebat *Julia tecta.* Quam lectionem confirmat illud Mart. lib. VI. Epig. 38. 'Et infanti Julia tecta placent;' ubi Basilica Julia designatur. Supra autem ædem Julii Cæsaris notavit: hic Basilicam Juliam.

30 *Regia Pauli*] Intelligit Basilicam Pauli, quæ erat in foro Romano, quamque Plinius lib. XXXVI. cap. 15. inter magnifica ponit opera. Dicit eam Basilicam columnis e Phrygiis mirabilem. Eam incœperat Æmilius Paulus, qui cum Caio Marcello Consul fuit. Perfecit sub Augusto Paulus Æmilius Lepidus, qui Consul anno 720. et postea censor, ut colligimus ex Dione lib. XLIX. Eam incendio destructam restauravit, 20. annis post,

Terga pater, blandoque videt Concordia vultu.
Ipse autem puro celsum caput aëre septus
Templa superfulges, et prospectare videris,
An nova contemtis surgant palatia flammis
Pulchrius: an tacita vigilet face Troicus ignis,

placido ore cernunt ejus terga. Tu autem ipse habens celsum caput circumdatum sereno aëre, emines supra delubra, et videris speculari, an novum Capitolium exsurgat magnificentius veteri invitis flammis, quæ illud combusserunt; an advigiletur ad custodiam arcani ignis a Trojanis accepti, et Vesta nunc habeat ministras explo-



Codex Leid. et Venet. 1. *puro cœlum.*—33 Omnes codd. et edd. vett. habent *superfulges.* Gronov. et Veen. *supersurges*, quod vitium est typographicum ex ed. Amstelodamensi forte illatam, ab ipso auctore in Addendis, non vero a Veenhusio correctum; nam ed. Veen. ipsa vitia typographica ubique religiosissime servat e Gronoviana translata. Et hæc est 'Editio optima,' si audiendi sint Harvodus, et, qui eum sequitur, Dibdinus, et magno venit. Leid. et Venet. 1. *superfulgens.* Forcellinus in Lexico: 'Rectius fortasse divides *templa super fulges.*—34 *At nova contentis*, Venet. 1. Vulgo, *pallatia* contra omnes codd. Virgilius semper primam in *palatia* corripit, Martialis semper producit. Wernsdorf. conj. *capitolia.*—35 *Pulchrius, an casta*, vel *Pulchrius, an sacra*, vel *Pulchrius assidua*, vel *Pulchrius intucta* conj. Lenz. *Pulchrius an tanta* Venet. 1. reliqui libri habent *tacita.* Venet. 1. *Troius ignis*, et sic correxit V. D. in exemplo Gotting. recepit Handius. Vide ad II. 1.

NOTÆ

alius Lepidus, ut refert idem Dio lib. LIV. Iterumque collapsam 35. annis post firmavit ornavitque Manius Lepidus. Vide Ciceronem ad Atticum lib. IV. Epist. 16. Dionem lib. XL. et Tacitum Annal. III. Eleganter autem *regiam* vocat, alludendo ad nomen Græcum βασιλικὴ quod *regiam* significat. *Belligerum* vocat Paulum, quia in gente Æmilia multi duces clarissimi fuerunt, præcipue Æmilius Paulus, qui Perseum Macedoniæ regem collatis signis vicit, et Macedoniam in formam provinciæ redegit.

31 *Terga pater*] Notat ædem Vespasiani in foro Romano, quam Basilicæ Pauli, ac templo Concordiæ, cujus hic mentio fit, vicinam fuisse docet P. Victor. *Concordia*] Designat templum Concordiæ, quod in eodem foro Romano erat. *Blando vultu*] Hoc enim concordiæ est.

33 *Templa superfulges*] An ex rei veritate id dicat Poëta incertum est, an hyperbolice, quo majorem colossum fuisse significet.

34 *Palatia*] Per *palatia* hic Capitolium intelligit, quod bello civili crematum restauraverat Vespasianus, ut tradunt Suetonius et Tacitus. Arserat vero rursus sub Tito, et Domitianus restituit. Vide eundem Suetonium.

35 *Tacita vigilet face Troicus ignis*] Notat ignem æternum, qui sub nomine Vestæ colebatur, quique summa cura servabatur, ne extingueretur. Florus de Numa. 'Inprimis,' inquit, 'focum Vestæ virginibus colendum dedit, ut ad similitudinem cœlestium siderum custos imperii vigilaret flamma.' Et Cicero de Legibus lib. II. 'Ei Vestæ, colendæ virgines præsunt, ut facilius advigiletur ad custodiam ignis.' Piaculum enim erat summum, si extingueretur, unaque

Atque exploratas jam laudet Vesta ministras.
Dextra vetat pugnas: lævam Tritonia virgo

ratæ pudicitiæ. Dextra prohibet prælia: Tritonia puella insistens in manu sinistra,

91. et IV. 3. 160.—37 Codex Urat. *lavium tritonia vulgo;* Venet. 1. *lævum tri-*

NOTÆ

virgo semper vigilabat noctu ad eum fovendum, et si quando interstinctus esset, verberibus a Pontifice virgines afficiebantur.

Tacita face] An quod Pythagorei silentium divinum quiddam esse existimabant, atque ob eam causam in sacris servatum? An propterea quod sacra sunt ἀπόῤῥητα, id est, arcana, et minime vulganda? An denique et tacentes Vestales ignem sacrum servabant, ob idque *tacitam virginem* dicat Horat. III. Od. 30. Dicitur *Troicus,* quod prima institutio servandi ignis, Vestaliumque Trojanis ascribenda sit.

36 *Atque exploratas jam laudet Vesta ministras*] Vesta nihil aliud est, quam ignis, seu potius Dea, cujus nomine ignis cultus. Ovidius in Fastis: 'Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.' Quæ superstitio a Persis, quibus ignis pro Deo habitus, tanquam Symbolum Solis ad Trojanos, inde ad Romanos dimanavit. Nomen vero Vestæ a Chaldæis sumtum; *Esta* enim his ignem denotat. Meminit vero *Vestæ,* quia habebat templum in foro ipsi consecratum a Numa Pompilio, ubi æternus sacerque ignis ac Palladium servabantur, et quia hinc occasionem cepit laudandi Domitianum, qui severe incesta Vestalium coërcuerat.

Ministras] Ministræ sunt virgines Vestales consecratæ Vestæ, quæ ignem sacrum summa cura servabant, ne extingueretur. Addit *exploratas,* quia, ut refert Suetonius cap. 8. Domitianus, ut Pontifex Maximus, incesta virginum Vestalium, a patre quoque et fratre neglecta, varie ac severe coërcuit. Vide etiam Plinium lib. IV. Epist. 11. ad Numitianum, Dionem lib. LVII. Eusebium in Chronico.

37 *Dextra vetat pugnas*] Varie hunc locum explicant interpretes. Domitius putat dextram manum Domitiani inermem fuisse. Politianus notavit ex Quintiliano lib. II. cap. 3. habitum esse in statuis, qui dicitur 'pacificator,' et manu elata significatur. Parrhasius dextra gestasse signum Victoriæ, quemadmodum sinistra signum Palladis; et ait, mentem Papinii videri, hostem coërceri metu Victoriæ, quæ insisteret dextræ Cæsaris. Extant hodie infiniti nummi, in quibus videmus Victoriolas imperatorum manibus innitentes. Gevartius autem tenuisse manu dextra ramum olivæ sacræ Palladi, unaque habenas: olivam autem esse symbolum pacis. Videntur etiam adhuc duo nummi ex Sambuci bibliotheca depromti; unus, in quo eques Domitianus olivam dextra tenet: alter, in quo Pallas sinistræ innititur, ut nullum de Gevartii interpretatione dubium reliquatur. Addi potest et tenuisse manu surculum lauri, sicuti, qui Romæ triumpharent, habuisse hos lauri surculum, ex Plutarcho triumphum Æmilii Pauli describente, colligimus.

Lævam Tritonia virgo] *Tritonia virgo,* est Pallas, quam Domitianus religiosissime colebat. Vide quæ diximus sub finem Theb. II.

Non gravat, et sectæ prætendit colla Medusæ,
Ceu stimulis accendat equum: nec dulcior usquam
Lecta Deæ sedes; nec si, pater, ipse teneres.
Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas,

non eam gravat, et objicit equo amputatum caput Medusæ, seu illum instimulet. Nulla sedes est gratior Deæ, nec sic ipse pater teneres. Pectus habes capax cura-

tonia vulgo.—38 Barthius conj. *Non gravat, exsertæ prætendit;* alii, inter quos Jortinus Nostras, *prætendens*, ut in codice Sen. sed hoc non probat Burm.—39 *Ceu stimulis accendit* omnes codd. et edd. vett. prob. Barth. Aldus correxit *accendat*, et post voc. *Medusæ* sententiæ finem posuit. Bern. et Parrhas. comma interposuerunt, quod omnes reliqui probarunt, præter Hand.—40 *Læta* Venet. 1. Vide Drakenb. ad Sil. Ital. VIII. 548. *nec sic* Gronov. et Veen. et sic in duobus codd. *nec si patris ipsa teneret Pectora* alii; *teneret* etiam Cruc. *nec si, pater, ipsa teneret Pectora, quæ, &c.* Calderinus; *nec si patris ipsa teneres Pectora* Tristanus in Commentaires Historiques Tom. I. p. 327.—41 Leid. *valeant mundi;* Urat. *pateant;* Venet. 1. *deducere curas*, fortasse ex Virg. Æn.

NOTÆ

38 *Non gravat*] Statius illo, *Non gravat*, tangit divinitatem ac majestatem manus Cæsareæ in colosso illo; quasi dicat effigiem illam, quæ, propter numen et pondus Deæ, vix ulla alia manu, etsi brevior, sustineri posset, ita insidere manui Cæsaris, ut eam ne *gravet* quidem. Veteribus enim persuasum erat Deorum statuas graves admodum ac ponderosas fuisse, ut eorum numine plenas, ut patet ex Claudiano: in IV. Cons. Honorii: 'Penetralibus exit Effigies, brevis illa quidem: sed plurimus infra Liniger et posita suspirat veste sacerdos Testatus sudore Deum.' *Et sectæ prætendit colla Medusæ*] Intelligit Ægidem Minervæ, seu clypeum, qui habebat in medio umbone caput Medusæ, ut sæpius jam diximus. Parrhasius conjicit equum Domitiani transversis oculis, et in Medusam quæ pone stabat in clypeo, vel ægide Minervæ, retorta cervice suspicere, sicut Equos in Æsquiliis videmus; sed non bene. Non enim habitus ipse convenire potest equo, qui *cursum minatur*, ut infra dicitur.

39 *Ceu stimulis accendat equum*] Imitatus est Poëta Hesiodum, apud quem Minerva ægidem quatiens equos Herculis ad cursum stimulat. Ἐν γάρ σφιν μένος ἧκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη, Αἰγίδ' ἀνασσείσασα. *Num ipsis animum addiderat Dea oculis cæsiis Minerva, concussa Ægide.*

Nec dulcior unquam Lecta Deæ sedes] Magna laus et ingeniosa Domitiani, dicere Minervam gratissimum habere sinistræ ejus insidere, nec ducere sibi optabilius, si pater ipse Jupiter eam teneret.

40 *Nec si* [*sic*] *pater, ipse teneres*] Mens: Tu Jupiter ipse pater Deæ, non tanta ipsius voluptate, eam ferres, teneres. Quidam codices habent *si*, quo retento erit sensus: Nec dulcior unquam sedes Deæ lecta est, nec legeretur, si ipse pater eam teneres; cum apostrophe ad Jovem. *Gronovius.*

41 *Pectora*] Gronovio debetur restitutio hujus loci, qui intellectus antea non fuerat. In hoc enim interpretes decepti sunt, quod non viderunt apponendam esse distinctionis

Et quis se totis Temese dedit hausta metallis.
It tergo demissa chlamys: latus ense quieto
Securum; magnus quanto mucrone minatur
Noctibus hybernis, et sidera terret Orion.
At sonipes, habitus animosque imitatus equestres,
Acrius attollit vultus, cursumque minatur:

rum totius mundi. Et chlamys dependet tergo, cui conflandæ, Temese exhausit sua omnia metalla. Latus armatur pacifico gladio, tam magno, quam quo Orion minatur, hyemalibus noctibus, et consternat astra. At equus imitans habitus et animos equitis, acrius erigit caput, et se præparat ad cursum. Illius cervix stat erectis

v. 720. huc delatum.—42 *Et qui se totis themes edidit* Urat. *Et quæ se totis themes edidit* Venet. 1. *quæ* etiam in Parm. Bernartius commate post v. *metallis* posito, conjunxit hæc verba cum iis quæ sequuntur. Quo cognito Behotius, ut constructionem expediret, emend. *Et cui se totis Temese dedit hausta metallis, It tergo chlamys.* Probaverunt id Cruc. Gronov. qui etiam correctionem in editione exhibuit, et Scriv. in ineditis: et sic edidit Handius. *Et cui se toties Temese dedit* Veen. Lectionem nostram exhibent Rom. Brix. Venett. 2. 3. 4. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Til. Heins. et Markl. in quibusdam tamen *themese;* inde ab Aldd. *Temese;* Leid. *themse.*—43 *Et tergo* Sen. *Et tergo dimissa* Venet. 1. *lacus ense quieto* in eadem.—44 Leid. *magnus quantus;* Venet. 1. *magnis quanto.* V. D. in exempl. Gotting. conj. *vagatur* pro *minatur.* Sed cf. Claud. Nupt. Honor. 192.—46 *Ac sonipes* conj. Handius. Marklandus legerit: *animosque imitatus eriles*, i. e. *heriles;* sed vulg. non penitus damnat. Pro *habitus* Venet. 1. habet *initus;* pro *imitatus* Urat. *mutatus:* Gevartius pro *equestris*, quod exhibent Sen. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Urat. Capil. Venet. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. et Aldd. legit *equestres;* et ita Til. et Scriv. in ineditis.—47 *Altius attollit*

NOTÆ

notam post vocem *teneres*, legeruntque consequenter *pectora;* unde necesse habuerunt in varios ac ridiculos sensus abire. Quod cum subodoratus Gronovius fuisset, locum hunc illustravit ac facilem intellectu reddidit; nam posito puncto post *teneres*, cognoscitur, Poëtam, qui hactenus vultum, latera, caput, terga, manusque statuæ descripserat, jam transire ad describendum pectus Domitiani, quod tam amplum ac augustum esse dicit, quam decet id, quod totius mundi curis distringitur, quodque potest omnia negotia mundi includere ac tractare.

42 *Et quis* [*cui*] *se*] Τὸ *cui* refertur ad vocem *chlamys* versus sequentis.

Temese] Temese urbs antiqua Cypri, fodinis æris celebris, ut tradit Stephanus de urbibus. Fuit et urbs ejusdem nominis in Brutiis Italiæ, Latinis 'Tempsa' dicta, et hæc quoque metalla æris habuit, quæ postea defecerunt. Meminit et *Temeses* Poëta in Achilleide.

45 *Orion*] De Orione vide quæ diximus ad Theb. VII. 256. Notandum solum hic quod Orion translatus fuit cum ense in cœlum, et esse sidus tempestuosum.

47 *Cursumque minatur*] Idem versu sequenti: *virusque per armos Impetus.* Hoc commendat artificem, equum fuisse habitu tam bene ad cursum efficto, ut cursum arripere jam jam

Cui rigidis stant colla jubis, vivusque per armos
Impetus; et tantis calcaribus ilia late
Suffectura patent: vacuæ pro cespite terræ
Ærea captivi crinem terit ungula Rheni.
Hunc et Adrastæus visum extimuisset Arion;
Et pavet aspiciens Ledæus ab æde propinqua
Cyllarus: hic domini nunquam mutabit habenas

jubis: velocitas in humeris mire exprimitur, et ilia late extenduntur suffectura tantis calcaribus: et vice cespitis terræ vacuæ, ærea ungula calcat collum captivi Rheni. Arion Adrasti equus hujus aspectu territus fuisset, et Ledæus Cyllarus exhorret eum, cernens ex proximo templo. Hic Domitiani nunquam mutabit habenas



malit Markl.—48 Venet. 1. *nimiusque per armos.*—51 *Ænea captivi* in edd. vett. mutavit Markl. Pro *crinem* Urat. *crimen.* Gevartius primus recepit, quod conjecerat Bernartius, et in Epist. ad Gronovium Grotius *terit.* Antea legebatur *tegit*, ut est in Sen. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Urat. et Capil.—52 *Hunc et Aristeus* Drakenb. *Acasteus* Ven. 1. *Adrastus* Vicent. *Adrasteus* Hand. qui nostr. lect. *Adrastæus* damnat; est enim ʼΑδράστειος. —53 *Ledeus* edd. vett. *ab ore propinquum* Venet. 1.—54 Urat. Leid. Ven. 1. 2. 3. 4. Rom. et Aldd. *mutavit*, quod restituit Handius. Bern. primus mutavit

NOTÆ

videretur.

51 *Captivi Rheni*] Hoc dicit, quia probabile est, superiori basis parti, quæ sustinebat equum et colossum, Rhenum fuisse insculptum, tanquam si pedibus Domitiani subjiceretur. Fingebantur autem hoc modo domitarum provinciarum simulacra calcata pedibus victorum Romanorum. Claudian. vi. Cons. Honorii. 'Colla triumphati proculcat Honorius Istri.' Mos etiam erat, his operibus publicis, quæ in honorem Imperatorum exstruebantur, insculpere victorias, quas retulerant, provincias urbesque, ac gentes devictas, imaginesque fluviorum. Eadem ratione Claudianus 'captiva' dicit 'flumina,' quia scilicet in triumphis imagines provinciarum, urbium, fluviorum, ac devictarum gentium ferebantur. Ovid. Trist. iv. 2. de simulacris in triumpho ductis: 'Crinibus en etiam fertur Germania passis, Et ducis invicti sub pede mœsta sedet.' Vide et triumphum Julii Cæsaris apud Velleium Paterculum. Ceterum hoc Rheni simulacrum ante annos hos centum Romæ superfuisse scribit Bartholomæus Marlianus Topog. Urbis lib. iii. cap. 3.

52 *Adrastæus Arion*] Arion nomen equi, qui fuerat Adrasti Argorum regis, de quo plura diximus Theb. vi.

53 *Et ab æde propinqua*] Notat templum, quod in foro erat Polluci ac Castori dicatum, quod tamen tantum Castoris vocabatur.

54 *Cyllarus*] Nomen equi Castoris. *Hic domini nunquam mutabit habenas, Perpetuis frænis, atque uni serviet astro*] Dicit Poëta equum Domitiani, non mutaturum habenas domini, id est, Domitiani, nec serviturum pluribus dominis, ut Arion, qui primo paruit Neptuno, postea Herculi, tandem Adrasto, ut patet ex Theb. vi. et Cyllarus qui duobus fratribus Pol-

Perpetuus frænis; atque uni serviet astro.
Vix sola sufficiunt, insessaque pondere tanto
Subter anhelat humus: nec ferro aut ære laborat,
Sed Genio; teneat quamvis æterna crepido,

perpetui domini, et serviet uni sideri. Terra vix potest illum ferre, et oppressa tanto onere, fatiscit subter, nec gravatur ferro, aut ære, sed equitis Genio; quamvis

in *mutabit.*—55 *Perpetuis* Leid. Par. Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. &c. *Perpetuus* Urat. ut correxit Markl. Interpunctio ante illum vulgata, ne a Gronovio quidem correcta, hæc est: *hic domini nunquam mutabit habenas: Perpetuis frenis, atque, &c.* Lenzius vero comma ponit post τὸ *habenas;* Handius post *Cyllarius* punctum, post *frænis* colon. *utque uni* Leid. *uni serviet ostro* conj. Ulitius; *uni serviet auro;* i. e. lupato, Schraderus.—56 Urat. *Vix sola sufficiunt vix esa pondere toto;* Leid. *inlesaque pondere tanto;* Drakenb. *insessaque;* Sen. et marg. Parm. *exesaque;* Venet. 1. *Viscera sufficiunt vi sessaque pondere toto;* Rom. *in lessaque p. tanto;* Parm. et Venet. Marklandi *toto.* Calderinus restituit *insessaque pondere tanto*, quod legitur in omnibus edd. recent. Unus Til. scripsit *infessaque*, ut ait, ex veteri editione, et explicavit: 'Defensa, ut impotens admodum potens.'—57 Venet. 1. Parm. et Rom. *laborāt;* Aldd. et recentiores *laborant*, quod mutavit Markl.—58 Venet. 1. *Sub gremio;* Sen. Vatt. 1. 2. Merseb. Leid. Vindob. Drakenb. Par. Urat. Capil. Parm. Rom. Vicent. et Brix. *Sub genio.* Aldus primus edidit *Sed genio*, et post eum omnes. Editio Grasseri *teneant.* In omnibus vero edd. vett. distinguuntur verba ita: *laborat, Sed genio: teneat, &c.* in edd. Handii: *laborat, Sed genio, teneat, &c.* ut jussit Gruter. V. D. in exempl. Gott. correxit *teneat quem vix crepido*, nulla conjunctivi ratione habita.

NOTÆ

luci et Castori. *Uni astro*] Quia Castor et Pollux repræsentabantur habentes stellam supra suam caput. Potest etiam intelligi *uni astro*, uni Deo; nam Papinius 'sidera' et 'astra' vocat, homines qui inter Deos relati fuerant, ut Herculem, Dioscuros, aliosque, dicens Theb. x. Virtuti descendenti e cœlo, ut Menœceum ad se devovendum pro patria accenderet, dedisse 'Astra locum, quosque ipsa polis affixerat ignes.' Et Achill. I. inducit Thetidem sic filium Achillem alloquentem: 'Si mihi, chare puer, thalamos sors æqua dedisset Quos dabat, ætheriis ego te complexa tenerem Sidus grande plagis.' Sicque inesse potest huic verbo tacita adulatio Domitiano, qui se Deum haberi volebat.

58 *Sed Genio*] Non convenit inter eruditos, quis Deus sit *Genius.* 'Genium appellabant,' inquit Festus, 'Deum qui vim obtineret omnium rerum gerundarum. Aufustius: 'Genius,' inquit, 'est Deorum filius, et parens hominum, ex quo homines gignuntur, et propterea genius meus nominatur, quia me genuit.' Alii Genium putarunt esse cujusque loci Deum.' Græci *Genios* vocarunt ἐγχωρίους θεοὺς, δαίμονας, ἥρωας. Quidam Genium quoddam esse numen dixerunt, quod ab ipsa nativitate singulis hominibus sociaretur, actus recturum. 'Ferebant enim,' ut ait Ammianus Marcellinus, 'Theologi in lucem editis hominibus cunctis, salva firmitate fatali, hujusmodi quædam velut actus rectura numina sociari,

Quæ superingesti portaret culmina montis,
Cœliferique attrita genu durasset Atlantis.
Nec longæ traxere moræ: juvat ipsa labores

æterna basis, qua sustinetur, ferret superimpositum montem, et resisteret Atlanti cœlifero, qui eam genu premeret. Opus cito perfectum est: forma præsentis Dei



—59 Leid. *super impositi;* Par. et Venett. 1. 2. 3. 4. *super ingentis.* V. D. in exempl. Gott. conj. *superingesti p. c. mundi,* ob v. 64. ut videtur, improbante Handio.—60 Bern. *duraret.* Edd. antiq. *Athlantis.* Barthius in notis manu scriptis hunc versum interpolationis nomine suspectum habet, et legendum censet: *quæ superingesti portaret culmina Athlantis.* In Advers. XXXI. 8. p. 1437. conj. *cœliferi quæ attrita genu,* montem intelligens, quemadmodum

NOTÆ

admodum tamen paucissimis visa, quos multiplices auxere virtutes: idque et oracula et auctores docuere præclari: inter quos est etiam Menander comicus, apud quem hi Senarii duo leguntur: Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται Εὐθὺς γινομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου. *Omni homini, statim ut natus est, sociatur dæmon, recturus ejus vitam.* Itidem ex sempiternis Homeri carminibus intelligi datur, non Deos cœlestes cum viris fortibus colloquutos, nec affuisse pugnantibus vel juvisse, sed familiares Genios cum iisdem versatos: quorum adminiculis freti præcipuis Pythagoras enituisse dicitur et Socrates, Numaque Pompilius, et superior Scipio, et, ut quidam existimant, Marius, et Octavianus, cui Augusti vocabulum delatum est primo, Hermesque ter Maximus, et Tyaneus Apollonius, atque Plotinus, ausus quædam super hæc disserere mystica, alteque monstrare, quibus primordiis hi Genii animis connexi mortalium, eas tanquam gremiis suis susceptas tuentur, quoad licitum est, docentque majora, si senserint puras, et a colluvione peccandi immaculata corporis societate discretas.' Vide etiam Apuleium de Deo Socratis. Ut autem viri habebant suos Genios, habebant et mulieres suas Junones. Observandum autem hic antiquos in ea superstitione fuisse, ut principum Genios summa veneratione colerent, templa his erigerent, sanctissimumque per eos juramentum haberent. Ulpian. l. XIV. Par. 5. de Jurejurando. Sueton. Augusto cap. 40. Tertullian. Apologetico et ad Scapulam. Minut. Fœl. Octavio. Persius Satir. ultima: 'Dis igitur, Genioque ducis centum paria ob res.' Statius infra: 'Et mitem Genium domini præsentis adorat.' Tacitus Hist. II. 'Vitellii Genio positas aras scribit.' Athenæus lib. VI. vocat δαίμονα βασιλέως.

Æterna crepido] Per *æternam crepidinem* basim, cui statua equestris insistebat, intelligit, et *æternam* dicit, ut et ipsam equestrem statuam, ut videbitur infra. Κρηπὶς pro *basi* sumitur apud Euripidem in Hercul. Fur. Ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους Ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους. *Quando fundamentum generis non recte ponitur, necesse est infelices esse posteros.* Cic. de Oratore lib. III. 'Omnia tanquam crepidine quadam sustinentur.'

60 *Cœliferi Atlantis*] Trita fabula de Atlante cœlum ferente.

Forma Dei præsens; operique intenta juventus
Miratur plus posse manus: strepit ardua pulsu
Machina continuo: septem per culmina montes
It fragor, et magnæ vincit vaga murmura Romæ.
Ipse loci custos, cujus sacrata vorago
Famosique lacus nomen memorabile servant,

accelerat laborem, et pubes ei applicata miratur manus hac præsentia plus valere. Excelsa machina strepit, cum fabricatur: continuus stridor resonat per septem montes, et imitatur vagos strepitus ingentis Romæ. Ipse præses loci, cujus sanctus hiatus, et celebris lacus retinet memorandum nomen, ut audiit innumeros fragores

Gratius dixisset 'pectus montis.'—61 *Nec longe* Urat. Leid. Petit. Aldd. et Bern. et affert Til. ex autiqua editione, probante Barthio: *longæ* malit Gruter.—64 'Vox *montes* sine dubio depravata. Lege: *Strepit ardua pulsu Machina continuo: septem per culmina multus It fragor.* Scriptum fuit *moltus.*' Markl. Idem conj. etiam: *longus It fragor.* Barth. tentavit: *septem p. c. montes Cit fragor*; vel: *continuos septem, par fulmine, montes Cit fragor*; Gronov. *septem. p. c. culmina Martis It fragor.* Urat. Leid. Par. Rom. Vicent. Petit. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. Plant. &c. *continuus*, quod præter Markl. omnes servant: Vindob. *continuos;* Venett. omnes *continuis.* Præterea Leid. Par. Venet. 1. Rom. Vicent. Venett. 2. 3. 4. et Petit. *montis.* Hinc Grasserus edidit: *continuus septem per culmina montis It fragor*, quanquam antea vitiose *Machinæ.* Reliqui libri, inter quos quatuor Vaticani, *montes.* Barth. in ineditis: *continuus s. p. flumina montis.* Heins. emend. *septem p. c. molis.* Scriv. in ineditis: *per s. c. montesque It fragor.* Jacobs. in Miscel. *continuo: s. p. c. motus It fragor.*—65 Drakenb. conj. *Fit fragor.* Venet. 1. *figit vaga;* codd. Sen. Drakenb. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Urat. Capil. Parm. Rom. Venett. 1. 2. 3. 4. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Til. *fingit vaga.* N. Heins. in Advers. *vincit*, quod pro suo venditavit Markl. Burm. vero pro vulg. addidit *hæc:* '*fingit*, i. e. refert, simulat. Val. Flac. II. 130. Vide Lucan. v. 392.'—66 'Forte *cui jus;* suam paludem mox dicit.' *Barth.*—67 *Famosique* Leid. Par. Venet. 1. Parm. Rom. Vicent. et Venett. 2. 3. 4. *Famosusque* Urat. Sen. et edd. post Aldd. *serrat* Leid. et Venet. 1. Parm. Venett. 2. 3. 4. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Til. Delph.

NOTÆ

62 *Forma Dei præsens*] Eodem alludit versus 113. Herculis Surrentini III. Sylv. 1. 'Ipse adero, et conamina tanta juvabo.' *Dei* vero, id est, Domitiani.

64 *Septem per culmina montes*] Sane indecens ille loquendi modus, unde corrigit Gronovius, *Martis.* 'Martis' enim 'urbs' et 'Martia Roma,' ut pueri sciunt.

66 *Ipse loci custos*] Intelligit Curtium, cujus lacus erat prope forum, quique se devoverat pro salute patriæ, injiciendo se in lacum qui postea ex ejus nomine 'Curtius' dictus fuit. Vide T. Livium. Piso tamen tradit datum huic lacui nomen a Curtio milite Tatii regis Sabinorum. Idem Plutarchus et Dionysius Halicarnassæus putarunt. Vide et Varronem. Fingit autem Poëta, Curtium caput exeruisse atque allocutum esse Domitianum. In qua sane Prosopopœia ingeniosissima est adulatio.

67 *Famosique lacus*] 'Famosus,' plerumque in malam partem sumitur,

Innumeros æris sonitus, et verbere crebro
Ut sensit mugire forum, movet horrida sancto
Ora situ, meritaque caput venerabile quercu.
Ac primum ingentes habitus, lucemque coruscam
Expavit majoris equi; terque ardua mersit
Colla lacu trepidus: lætus mox præside viso,
Salve, magnorum proles genitorque Deorum,
Auditum longe numen mihi! nunc mea felix,
Nunc veneranda palus, cum te prope nosse, tuumque
Immortale jubar vicina sede tueri
Concessum: semel auctor ego, inventorque salutis

æris, et forum resonare duris ictibus, extulit faciem horridam sacro pedore, et caput venerandum merita quercu. Ac primum exhorruit immanes amictus, et fulgentes radios maximi equi, et tremens ter condidit caput in lacum, deinde gaudens aspecto principe: Salve, ait, soboles, et pater ingentium Deorum: Tuum numen longe mihi cognitum est. Nunc lacus meus fortunatus est ac reverendus, cum mihi datum est, te juxta spectare, et contemplari e vicino loco tuum immortalem splendorem. Ego

et Gronov. *servant* Urat. ut conj. Heins. et quasi suam emend. in textum intulit Markl.—68 Edd. antiq. cum Aldd. Colin. Gryph. Lind. et Gevart. *aëris;* Editor Amstel. Gronov. Daum. et Markl. *æris.* Codd. Sen. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Drakenb. Urat. Capil. Venet. 1. Parm. Rom. Brix. Vicent. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Basil. Gryph. &c. *verbere crudo,* quod reposuit etiam Handius: *verbere crebro* est conjectura Marklandi. Scaliger conj. *surdo,* ut notat Burm. cui cum Markl. non recte emendasse videretur, ipse scripsit *duro.* Cf. Theb. I. 422. VIII. 432. X. 342.—69 *Mugire solum* Leid. a m. pr.—70 Barth. in ineditis conj. *Ora sinu.* Vide Spence's Polymetis p. 233.—71 *At primum* Venet. 1.—72 Venet. 1. *tibique ardua.*—73 Venet. 1. *tepidus;* Heins. conj. *trepidum;* Urat. *trepidans,* quod reposuit Hand. Ulitius in libro suo correxit: *fatus mox præside viso.*—78 Venet. 1. et Vicent.

NOTÆ

pro infami et turpi. Hic vero in laudem accipitur, pro insigni et celeberrimo, quo significatu apud Apuleium, Tacitum, Plinium, aliosque auctores legitur.

70 *Merita quercu*] Id est, corona civica, quæ quercu texebatur, qua donari solebant ii, qui servaverant cives in acie. Vide Plutarchum in Quæst. Aulum Gellium lib. v. cap. 6. Plinium lib. xvi. cap. 4.

74 *Magnorum proles*] Scilicet, ob patrem Vespasianum inter Deos relatum. *Genitorque Deorum*] Propter filium, quem ex Domitia uxore susceperat, qui infantulus post mortem inter Deos relatus est, ut colligitur ex argenteo nummo.

78 *Semel auctor ego*] Quia Curtius in profundissimum hiatum se projecit ob salutem populi Romani, ut ait Festus. *Inventorque salutis*] Barthius Advers. lib. xxxi. cap. 8. suspicatur mendum subesse hic, et legendum esse, *invector*, aut tale quid magis πρὸς Διόνυσον. Et ait non admodum

Romuleæ; tu bella Jovis, tu prælia Rheni,
Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem,

fui semel auctor et inventor salutis Romanæ, tu defendisti Jovem, tu vicisti Rhenum, tu repressisti civiles motus, tu longo bello subjecisti montem lentum ad recipi-

---

simul. Barth. Adv. xxxi. 8. conj. *invectorque salutis.*—80 Post *montem* comma sustulit Hand. nam longitudinem belli Dacici per quinque annos gesti his

NOTÆ

congrue Curtium dici *inventorem salutis Romanæ*, cum oraculo vel responso datum fatum, non inventum illi. Sed fallitur, nam Livius tradit, Curtium oraculi mentem intellexisse, ac invenisse, quo plurimum Romanus populus posset; in quo sane salus Reipublicæ versabatur, ideo merito *inventor salutis*, ut patet ex hisce Livii verbis lib. vii. 'Eodem anno, seu motu terræ, seu qua vi alia forum medium ferme specu vasto collapsum, in immensam altitudinem dicitur: neque eam voraginem, cum pro se quisque gereret, expleri potuisse prius, quam Deum monitu quæri cœptum, quo plurimum populus Romanus posset? Id enim illi loco dicandum vates canebant, si Remp. Romanam perpetuam esse vellent. Tum M. Curtium juvenem bello egregium, castigasse ferunt dubitantes, an ullum magis Romanum bonum, quam arma virtusque esset. Silentio facto, templa Deorum immortalium quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, et manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad Deos manes porrigentem, se devovisse. Equo deinde quam poterat maxime exornato insidentem, armatum se in specum immisisse, donaque super eum ac fruges a multitudine virorum et mulierum congestas: lacumque Curtium non ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metio, sed ab hoc appellatum.' Sic 'inventa salus' Ciceroni pro Sylla. 'Cum quoties quisquam est in hoc scelere convictus, toties renovetur memoria per me inventæ salutis.

79 *Tu bella Jovis*] Cum capitolium contra Vitellianos defendit. Theb. i. 'Aut defensa prius vix pubescentibus annis Bella Jovis.' *Tu prælia Rheni*] Notat Cattos Rheni accolas, victos a Domitiano. Theb. i. 'Bisque jugo Rhenum bis adactum legibus Istrum.'

80 *Tu civile nefas*] Intelligit bellum civile motum a Lucio Antonio. Suetonius Domitiano: 'Bellum civile motum a L. Antonio superioris Germaniæ præside confecit absens, felicitate mira: cum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus, transituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuisset. De qua victoria præsagiis prius, quam nuntiis comperit. Si quidem ipso quo dimicatum erat die, statuam ejus Romæ insignis aquila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit: pauloque post occisum Antonium adeo vulgatum est, ut caput ejus quoque apportatum vidisse se plerique contenderent.' *Montem*] Notat Dacos 'montibus hærentes,' ut ait Florus, quos in deditionem accepit; unde 'Dacicus' cognominatus est, auctoribus Suetonio et Juvenali: 'Cum lance beata Dacicus et lato splendet Germanicus auro.' Et tamen nullus nummus, nullumque extat monumentum, in quo Dacici cognomen sit.

Longo Marte domas: quod si te nostra tulissent
Sæcula; tentasses, me non audente, profundos
Ire lacus: sed Roma tuas tenuisset habenas.
Cedat equus, Latiæ qui contra templa Diones,
Cæsarei stat sede fori; [quem tradere es ausus

endas tuas leges. Quod si nostra ætas te tulisset, te injecisses in profundam voraginem, me non audente tecum contendere de hac gloria, sed Roma inhibuisset tuos frænos. Huic cedat equus, qui est ex adverso ædis Latinæ Veneris in medio loco

Poëta illi videtur indicasse.—82 Lipsius emend. *me non gaudente.* Cruc. retinet: *me non audente*, hoc sensu: Si ego non ausus essem; probante Markl. Emendationem Lipsii Bern. et Behot. probarunt. Edd. omnes *profundos Ire lacus:* Markl. conj. *profundo Ire lacu*, quod reposuit Hand. nam confirmatur auctoritate cod. Urat. in quo scriptum: *profundo Ire lacuset.*—84 *Cedet* Venet. 1. *Cedat equus Latiæ: quæ contra, &c.*—85 Par. *stat ede*, i. e. *æde.* Hos versus quos uncinis inclusos vides, ut spurios damnant D. Heins. Scriv. et Markl. Gronov. delinitus phrasi *traderis ausus*, quam ex codice Florent. Rom. et Venet. 2. restituerat, non omnino ejiciendos putat, sed de conciliatione ulterius cogitandum. Punctum post *fori* sustulerit Gruter. ‘Ejicienda sal-

NOTÆ

81 *Longo Marte*] Ægre enim, et non nisi longo bello Daci victi a Romanis.

82 *Me non audente*] Lipsius legit, *me non gaudente*, aitque decorum non esse, ut Curtius seipsum timiditatis arguat. Emericus Cruceus dicit, *me non audente* explicari debere eo sensu: Si non ausus fuissem, Galli dicerent: *Au cas que je n'eusse eu le courage.* Notanda et gratia antithesis in illis vocibus, *tentasses* et *me non audente.*

83 *Tuas habenas*] Curtius enim armatus insidens equo se in lacum immiserat, ut tradit supra Livius.

84 *Cedat equus, Latiæ qui contra templa Diones, &c.*] Probabile est hic Poëtam intelligere statuam aliquam equestrem Alexandri magni factam a Lysippo, quam fortasse Cæsar mutaverat in quibusdam partibus, eique suum caput addiderat (quod factitasse sæpius veteres legimus) ac posuerat in suo foro; licet sileant historici de hac Alexandri in Julium transmutatione. Quæ sententia confirmatur, quod Poëta non solum comparat equos, sed ipsos equites, et ut extollit equum Domitiani supra equum Lysippæum, sic extollit Domitianum supra Cæsarem ipsum; quod manifestum est his versibus: ‘Quis rudis usque adeo, qui non, ut viderit ambos, Tantum dicat equos, quantum distare regentes.’ *Templa Diones*] Intelligit ædem Veneris genitricis, quam Cæsar voverat in acie Pharsalica, quamque postea construxit. Vide Dionem lib. XLIII. et Plinium lib. XXXV. cap. 4. Omnes autem sciunt Venerem etiam *Dionem* vocari. *Latiam* vocat, id est, Romanam, eadem ratione, qua supra forum *Latium* dixit, id est, Romanum.

85 *Cæsarei fori*] Illud forum Cæsar ex manubiis inchoavit: hujus area super HS. millies constitit, eratque proximum ædi Veneris. Vide Sueton. Julio cap. 26. *Quem tradere es ausus*] Ms. in Bibliotheca ducis Hetruciæ et Romanus codex, Ve-

Pellæo, Lisyppe, duci, mox Cæsaris ora
Aurata cervice tulit] vix lumine fesso
Explores, quam longus in hunc despectus ab illo.

fori Cæsarei, quem dicunt, o Lysippe, te excudisse regi Pellæo, et qui deinde portavit Cæsarem deaurato capite. Vix observes, fatigatis oculis, quanto spatio hic

tem verba: *quem tradere es ausus Pellæo, Lisyppe, duci.*' Lenz. *et quem* aliquando conj. Gevart. sed postea locum damnavit. *traderis ausus* ex omnibus, codd. et Venet. 1. Parm. Rom. Vicent. et Venett. 2. 3. 4. restituit: *tradere es ausus* Aldd. 1. 2. Colin. Basil. Gryph. &c. *traderis orsus* Jacobus à Cruce; et ita conj. N. Heins.—86 *Pelleo* in edd. antiq. *Lysippe* Grass. Daum. et Hand. *Lisyppe* in aliis edd.—87 *Mirata cervice* Urat. et Vindob. *Sublata cervice* N. Heins. ' Vocabulum *Aurata* non genuinum esse mihi persuasum ha-

NOTÆ

netusque veteres exhibent: *quem traderis ausus Pellæo Lysippe duci.* Quod Statii omnino esse affirmat Gronovius, dicitque phrasin illius ævi propriam velut, et frequentem Tacito: 'Ut in ipsis principiis stuprum ausa.' Id. 'Ausis ad Cæsarem codicilis,' et aliter sæpissime: qui tamen id ab Sallustio acceperat, cujus est, 'audere dominationem.' Pergit Gronovius: Ita elegantissime dictum, quod Lysippus hanc statuam in gratiam, vel jussu Pellæi ducis *ausus sit*, id est, non timuerit fingere. Sic 'audaces' pictores et cognatæ artes, ac opera eorum 'improba' et 'audacia' dicuntur, ut pote naturæ æmula.

86 *Pellæo duci*] Id est, Alexandro Magno, sic vocato a Pella urbe primaria Macedoniæ, ejus patria. *Lisyppe*] Lisyppus nobilis sculptor, patria Sicyonius, floruit tempore Alexandri Magni, et a quo solo ipse Alexander fingi voluit. Horat. Epist. lib. II. ad Augustum: 'Edicto vetuit, ne quis se præter Apellem Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra Fortis Alexandri vultum simulantia.' De Lisyppo consule Quintilianum, et Plinium lib. XXXIV. cap. 8. ubi præcipua Lisyppi opera recenset. *Mox Cæsaris ora Aurata cervice tulit*] Dicunt Gevartius ac Cruceus, has voces, *mox Cæsaris ora Aurata cervice tulit*, intelligi debere de Nerone, qui detracto capite Alexandri, suum imposuerit inauratum, adducitque Gevartius in confirmationem suæ opinionis Plinium lib. XXXIV. cap. 8. ubi agens de Lisyppo hæc ait Plinius: 'Fecit Alexandrum magnum multis operibus, a pueritia ejus orsus: quam statuam inaurari jussit Nero princeps, delectatus admodum illa: dein cum pretio periisset gratia artis, detractum est aurum: pretiosiorque talis existimatur, etiam cicatricibus operis, atque conscissuris, in quibus aurum hæserat remanentibus.' Hæc Plinius. Sed ibi Plinius tantum dicit Neronem inaurari jussisse statuam Alexandri, non detraxisse caput illius, suumque applicuisse, quod non prætermisisset Plinius. Sic illi scriptores dant sensum Papinio, quem nunquam in mente habuit: si enim hic non Julium Cæsarem, sed Neronem intellexisset, comparando Domitianum cum illo, imminuisset prorsus gloriam Domitiani, non auxisset, atque hac comparatione Domitianum offendisset. De Julio Cæsare igitur intelligenda sunt hæc verba, *Mox Cæsaris, &c.* ut supra diximus.

Quis rudis usque adeo, qui non, ut viderit ambos,
Tantum dicat equos, quantum distare regentes?
Non hoc imbriferas hyemes opus, aut Jovis ignem
Tergeminum, Æolii non agmina carceris horret,
Annorumve moras: stabit dum terra, polusque,
Dum Romana dies: huc et sub nocte silenti,
Cum Superis terrena placent, tua turba relicto
Labetur cœlo, miscebitque oscula juxta:
Ibit in amplexus natus, fraterque, paterque,
Et soror: una locum cervix dabit omnibus astris.

despiciat alterum. Quis tam imperitus, quin asseveret, ut ambos viderit, tantum discriminis inter eos esse, quantum inter eorum dominos. Hoc opus non expavet pluviosas hyemes, non trisulcum fulmen Jovis, nec cohortem Æolii claustri, nec seriem annorum. Æque durabit ac terra et cœlum; æque ac Romanum imperium. Hac per silentium noctis, dum superi amant terram, tui descendent de cœlo, te osculaturi; filius, germanus, genitorque tuus ac soror ruent in tuos amplexus: unum collum



beo.' *Hand.*—91 Vocabulum *opus* abest a codice Leidensi et a Venet. 1. et Rom.—92 Urat. *horror.*—93 Apud Marklandum typographi errore legitur *stabit tum.*—94 Codd. Urat. Leid. et Par. cum Venet. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. et Brix. *hoc et;* Venet. 1. *hac et;* correxit auctor Aldinæ.—95 Vir doctus in exempl. Gott. conj. *Cum superis terrena petens,* vel *Cum superi terrena petunt.* Vicent. *tua verba relicto.*—96 Venet. 1. et Parm. *juncta* pro *juxta;* V. D. in exempl. Gott. correxit *justa*, i. e. debita, quod ne Latinum quidem. Barth. in Advers. XXVII. 18. interpungi jubet ita: *miscebitque oscula.*

NOTÆ

91 *Ignem Tergeminum*] Tergeminus ignis, est fulmen Jovis tribus cuspidibus insigne.

92 *Æolii carceris*] In quo scilicet continentur venti. Vide Theb. I.

93 *Stabit dum terra polusque, Dum Romana dies*] Hoc dicit, quia veteres, non solum imperium Romanum, sed et urbem ipsam æternam fore putabant, unde et epitheton 'æternæ' passim Romæ datum. Vide Livium lib. I. Florum lib. I. cap. 7. et Ammianum Marcellinum lib. XVI.

94 *Huc et sub nocte silenti, Cum Superis terrena placent*] Noctu enim, remotis arbitris, terra grata est numinibus cum nolunt aspici. Sic in Herculе Surrentino: 'Cum grave nocturna cœlum subtexitur umbra.'

95 *Tua turba*] Nimirum Vespasianus pater, Titus frater, Domitilla soror, (de qua vetus inscriptio referente Onuphrio Panvinio,) et filius Domitiani, quem infantem amisit, qui omnes in numerum Deorum relati sunt. Consule Suetonium.

98 *Una locum cervix dabit omnibus astris*] Id est, Diis Flaviæ gentis, quo sensu plerumque 'astra' et 'sidera' sumit Papinius, ut vidimus supra v. 55. Mens autem: Omnes Dii Flaviæ gentis sedem capient in collo tuo, ut te osculentur.

Utere perpetuum populi magnique senatus
Munere: Apelleæ cuperent te scribere ceræ,
Optassetque novo similem te ponere templo

omnibus astris tuæ gentis sedem dabit. Fruere in æternum dono populi et ingentis senatus. Apelles optaret te pingere in suis tabulis, et senex Atheniensis ambiisset

---

Juxta Ibit in amplexus, &c.—100 *Munera pelleæ* Parm. quod probat Politianus Epist. VI. 1. improbat Markl. *Peleæ* Urat. *pelleæ c. t. s. cœnæ* Venet. 1. Nonnulli *cuperent inscribere.*—101 ' Nemo corrigat, *Optaretque novo*, ut respondeat *τῷ cuperent.*' Markl. *Optassent* Venet. 1. *similem deponere* Barthius.—

NOTÆ

100 *Munere*] Senatusconsulto enim hæc statua fuerat Domitiano decreta. *Apelleæ*] Adjectivum ab Apelle nobilissimo et celeberrimo pictore, cujus patria Co insula, et qui Olympiade centesima et duodecima floruit sub Alexandro, qui a nullo alio pingi voluit, ut diximus supra ex Horatio. De Apelle consule Quintilianum lib. XII. Plinium lib. XXXV. cap. 10. Plutarchum Alexandro. *Ceræ*] Id est, tabellæ: non enim hic intelligendæ cereæ imagines, ut versu primo Pietatis Abascantii: 'Si manus, aut similes docilis mihi fingere ceras.' Et alibi.

101 *Optassetque novo similem te ponere templo Atticus Elæi senior Jovis*] Hic locus Statii plurimum exercuit doctissimorum virorum ingenia. Lipsius correxit *sector Jovis*, quem sequitur Bernartius. Livinius *genitor Jovis* scripsit, id est, auctor operis et artifex. Sed contra omnes Gevartius locum sanum ostendit; et per *Atticum seniorem*, Phidiam intelligendum esse docet, ut alibi Papinio, 'senior Gargettius,' pro Epicuro, 'senior Thessalus,' pro Chirone ponitur: et intricatam sententiam sic evolvit: *Atticus senior optasset te similem Elæi Jovis ponere in novo templo:* vel hoc modo: *Atticus senior optasset te similem ponere in novo templo Elæi Jovis.* Priorem vero sententiam sibi magis arridere fatetur Gevartius, et dixisse Poëtam, *similem Elæi Jovis*, id est, depictum ad formam et similitudinem Jovis. Gronovius hunc locum sic explicat: Phidias senior Atheniensis optaret quidem ponere imaginem Domitiani in templo Elæi Jovis, seu potius Jovem induere forma Domitiani, quæ illum magis deceat, non vero facere ad præscriptum Homericum, quod minus esset, et illum ponere in templo, non quidem illo, in quo posuit suum Jovem Homericum: sed novo construendo; illo quod jam exstructum est, non respondente majestati formæ Domitiani: ac Tarentini, Rhodiique mallent suos Deos venerari in facie Domitiani, quæ magis illos æquet, quam sub istis formis, quæ eorum esse creduntur. Sed nullus, quantum hic assurgat Papinius, melius percipiet, quam qui Jovis Olympii famam intelliget. De hoc illud testimonium reddidit L. Æmilius Paulus, solum Jovem Phidiæ, Homerici Jovis æquasse majestatem, ut habetur apud Suidam; et cum, velut præsentem intuens, animo motus esset, haud secus quam si in Capitolio immolaturus, ei sacrificium amplius solito apparari jussit, teste Livio. Et Quintilianus scribit, 'istius operis pulchritudinem adjecisse etiam aliquid receptæ religioni videri: adeo majestatem operis Deum æquasse.'

Atticus Elæi senior Jovis; et tua mitis

induere Jovem Eleum tua forma in novo delubro. Mollis Tarentus mallet intueri



102 *Actius* Venet. 1. *Atticus Elæi sector* Lipsius, probantibus Bern. Grat. Peyrar. Lind. et V. D. in exempl. Gott. in textum recepit Grass. Livineius scripsit: *Elei genitor Jovis.* Cruc. in Antidiatr. p. 13. *Atticus Elæi sculptor, &c.*

NOTÆ

Sed instar omnium Pausanias est priore Eliacorum, quem vide. Solum ibi referam Pausaniam scripsisse statuam hanc Phidiacam fulmine prostratam, cum dicaretur. Vide et Plinium lib. XXXVI. cap. 5. Eodem plane sensu, quo Papinius, Martialis ait Phidiam victum ab eo, qui Cæsarem sculpsit lib. IX. Epig. 25. 'Quis Palatinos imitatus imagine vultus Phidiacum Latio marmore vicit ebur? Hæc mundi facies; hæc sunt Jovis ora Sereni: Sic tonat ille Deus, cum sine nube tonat.' Et Epig. 66. ejusdem libri: 'Alcide Latio nunc agnoscende Tonanti, Postquam pulchra Dei Cæsaris ora geris. Si tibi nunc isti vultus habitusque fuissent,' &c. Et notant morem hic Papinius et Martialis, quo Diis Imperatorum facies dabatur. Postea etiam non solum imperatorum, sed aliorum forma Deos induerunt. Ita Apollonii Thyanensis simulacrum sub Herculis Alexicaci nomine constituerunt et honorarunt Ephesii, teste Lactantio. Div. Instit. lib. V. cap. 3. Sic apud Pausaniam Arcadicis in Gymnasio Mantineæ erat dedicatus Bacchus sub forma Antinoi. Hunc morem tangit et noster sub finem Genethliaci Lucani, et initio Pietatis Abascantii. Vide et Suetonium Caligula cap. 7. et Apuleium Milesiorum lib. VIII. *Novo*] Intelligunt Gevartius ac Bernartius hoc de templo gentis Flaviæ, quod ædificaverat Domitianus, ut referunt scriptores hujusce ævi; sed intelligendum est, ut supra explicavimus. *Novo* vero, quia testatur Polybius templum Jovis Olympii cultus magnificentia, non accedere ad multa, quæ in Græcia extincta erant. *Similem te*] Id est, tuam imaginem seu effigiem. In lacrymis Hetrusci: 'Te lucida saxa Te similem doctæ referet mihi linea ceræ.' Id est, imaginem tuam. Juvenal. 'Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit.' Similis Aristoteles vel Pittacus, est imago Aristotelis vel Pittaci.

102 *Atticus senior*] Per Atticum seniorem Phidiam celeberrimum sculptorem Atheniensem intelligendum esse supra ostendimus. Phidias autem erat Charmidæ filius, Atheniensis: floruit Olympiade 83. claruit maxime duobus operibus, Jove Olympio, de quo supra, et Minerva Athenis, ea amplitudine, ut ea sit cubitorum 26. ebore hæc et auro constat: sed maxime admirabilem dicit scuto ejus Plinius loco supra laudato, in quo Amazonum prælium cælavit intumescente ambitu parmæ, ejusdem concava parte Deorum et gigantum dimicationem, in soleis vero Lapitharum et Centaurorum: adeo momenta omnia compacta artis illius fuere. In base autem quod cælatum est, Pandoras genesin appellavit: ibi Dii sunt 30. numero nascentes, victoria præcipue mirabili: periti mirantur et serpentem, et sub ipso cuspide æream Sphingem. Hæc sunt obiter dicta de artifice nunquam satis laudato, simul ut noscatur illam magnificentiam æqualem fuisse et in parvis. Vide eundem Plinium lib. XXXIV. cap. 8. *Elæi Jovis*] Id est, Olympii. Olym-

Ora Taras, tua sidereas imitantia flammas
Lumina, contemto mallet Rhodos aspera Phœbo.

tuum vultum, quam Jovis, et Rhodos prærupta tuos oculos, æmulantes solares ignes,

—103 Urat. et Vindob. *terens;* Par. Venet. 1. 2. 3. 4. Rom. Parm. Vicent. et Lind. *tonans;* Drakenb. et, ut videtur, Leid. *Taras;* itaque correxerunt Politianus et Grotius. Barth. in Advers. XXVII. 18. correxit, *iterantia flammas;* sed in libro suo emend. *vincentia flammas.* Errorem coarguit Gronov. in

NOTÆ

pia enim, sive urbs sive locus, in quo erat templum, statuaque Jovis Olympii, et in quo Ludi Olympici celebrabantur, erat in Elide prope Pisam, et Elin. Hinc Jupiter *Elæus* dictus.

103 *Taras*] Taras Græcis, Tarentum Latinis, hodie *Taranto*, urbs sita ad oram Calabriæ in Italia, seu regno Neapolitano: ejus conditor Taras Neptuni filius. Tarentini olim nummos percusserunt, in quibus insculpitur Taras vectus Delphino, et hodie extant ejusmodi nummi. De primordiis et historia hujus urbis consule Strabonem lib. VI. Pausaniam, Justinum, ac alios. Ceterum colossus ille, de quo supra mentionem fecimus, erat in foro ipsius Tarenti, et factus a Lysippo 60. cubitorum, ut ait Plinius lib. XXXIV. cap. 7. Mirum in eo, quod manu, ut ferunt, mobilis (ea ratio libramenti est) nullis convellatur procellis: id quidem providisse et artifex dicitur, modico intervallo, unde maxime flatum opus erat frangi, opposita columna: itaque propter magnitudinem, difficultatemque moliendi, non attigit eum Fabius Verrucosus, cum Herculem, qui est in Capitolio, inde transferret. Vide Plinium ibidem. Dicitur *Taras mitis*, ob suavem et salubrem aëris Tarentini temperiem, solumque fertile. Sic Horatio 'molle Tarentum,' et Papinio Theb. I. 'Mitis Corinthus.'

Sidereas flammas] Sidereæ flammæ, non sunt hic astrorum, stellarumve, sed vero ipsius solis, qui et ipse 'sidereus' Poëtis.

Imitantia] Id est, exprimentia, referentia. Frequens et amatum Poëtæ nostro verbum: 'Fulvum vultus imitabitur aurum.' Horatius: 'Argilla quidvis imitaberis uda.' Nec meræ adulationis est, quod soli comparatur vultus Domitiani. Ille enim fuit, ut Suetonii verbis utar, 'vultu ruboris pleno, et grandibus oculis.' De rubicundo illo vultu Tacitus in Agricola: 'Cum notandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus, et rubor, a quo se contra pudorem muniebat.' Et ille, apud Philostratum: μεστὴ δὲ ἡ παρειὰ χολῆς, quod mox φύσεως μᾶλλον vocat Apollonius.

104 *Contemto Phœbo*] Gronovius sic explicat: Non est, ipso Sole spreto tutelari numine suo, sed contemta facie Phœbi, quæ in colosso habebatur. Utque Phidias et Elei, Tarentinique mallent Jovem venerari sub vultu Domitiani, ita Rhodii Solem: neque enim hoc dicitur: Mallent Tarentini tuos vultus, quam ipsius Jovis, aut Rhodii contemta statua, aut colosso Phœbi, tuos oculos intueri: sed mallent illi Deos suos, non sub istis formis, quæ eorum esse creduntur, verum in tua facie venerari, quæ magis Jovem, Phœbumve deceat et æquet. Posset tamen dici Papinium, in adulando principe modum supergressum, velle, Tarentinos Rhodiosque malle Domitianum venerari, ac colere, ut majus numen, quam Jovem et Phœbum: nam eodem modo explicat

Certus ames terras, et quæ tibi templa dicamus
Ipse colas; nec te cœli juvet aula: tuosque
Lætus huïc dono videas dare thura nepotes.

spreto Apolline. Fixo animo diligas terras, et ipse habites fana, quæ tibi consecramus, nec regia cœli tibi placeat, et gaudens cernas tuos nepotes offerre thus huic muneri.

Diatr. p. 85.—105 *Cæcus ames* Venet. 1. *Serus ames* Par. in scholiis, ut etiam voluit Peyraredus.—107 *Lætius* Venet. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. et Brix. *Lætus* Venet. 1494. Aldd. &c. *hoc dono* Venet. 1. *dare jura* Urat.

NOTÆ

se Epist. ad Marcellum lib. IV. Sylv. 4. 'Quem [Domitianum] tibi postposito studium est coluisse Tonante.' Ubi alius sensus huic versui dari non potest, quam ille, quod Marcellus totum suum studium ponat in colendo principe, præferatque illum ipsi Jovi: ubi enim est idem loquendi genus, idem etiam debet esse sensus. Ceterum colossus Solis, de quo hic mentio est, factus fuerat a Charete Lyndio, et numeratus fuit inter septem mundi miracula. De quo hæc ait Plinius lib. XXXIV. cap. 7. 'Ante omnes autem in admiratione fuit solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lysippi discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit: hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum, sed jacens quoque miraculo est: pauci pollicem ejus amplectuntur: majores sunt digiti, quam pleræque statuæ: vasti specus hiant de fractis membris: spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabiliverat constituens: duodecim annis tradunt effectum 300. talentis, quæ contulerant ex apparatu regis Demetrii, relicto moræ tædio.' Hæc Plinius. Tanta autem intercapedo crurum istiusce colossi, dum staret, fuisse dicitur, ut unoquoque pede illius ad os, ostiumve portus Rhodi hinc et inde consistente, naves majores inflatis velis intrarent portum, nec pertingerent ad crura illius.

Rhodos aspera] Rhodos insula in mari Carpathio adjacens Cariæ, ambitu 130. millia passuum, vel 103. si Isidoro credimus, habitata urbibus Lindo, Camiro, Jalyso, nunc Rhodo: vocitata est antea Ophiusa, Asteria, Athræa, Trinacria, Corymbia, Pœossa, Atabyria a rege: deinde Macria et Oloëssa. Vide Plinium. Dicitur *aspera* ob solum rude et infœcundum.

105 *Certus ames terras*] *Certus*, explicat Gronovius, 'haud ambiguus:' ut seu ob valetudinem, seu alias causas metui possit vitæ tuæ. Male corrigebat vir doctus: *Serus ames terras.* Sed potius hic est sensus: Ne ambiguus sis, ne dubites præferre terram cœlo. Et Poëta habuit in mente hanc longam adulationem, quam initio Thebaidis posuit: 'Licet arctior omnes Limes agat stellas, et te plaga lucida cœli Pleiadum, Boreæque et hiulci fulminis expers Solicitet; licet ignipedum frænator equorum Ipse tuis alte radiantem crinibus arcum Imprimat, aut magni cedat tibi Jupiter æqua Parte poli; maneas hominum contentus habenis Undarum terræque potens, et sidera dones.' Quæ omnia breviter includit his versibus: *Certus ames terras, et quæ tibi templa dicamus Ipse colas: nec te cœli juvet aula.*

107 *Dare thura*] His verbis solenne statuarum cultum notat. Cicero Offic. III. 'Omnibus vicis statuæ factæ sunt, ad eas thus et cerei.' Et exempla plura apud omnes passim.

II. EPITHALAMION* STELLÆ ET VIOLANTILLÆ.

Stellæ Patavino Poëtæ amicissimo, et lectissimæ matronæ Violantillæ, viduæ Neapolitanæ, nuptias hoc carmine gratulatur.

UNDE sacro Latii sonuerunt carmine montes?
Cui, Pæan, nova plectra moves, humeroque comanti
Facundum suspendis ebur? procul ecce canoro
Demigrant Helicone Deæ, quatiuntque novena
Lampade solennem thalamis coëuntibus ignem,

Cur Romæ montes percrepant sacro concentu? Cujus gratia, Apollo, quatis novum plectrum? et suspendis ab humero tuis capillis ornato doctam citharam eburneam. Ecce procul video Musas digredientes ex canoro Helicone, quæ movent in novena

Lemma hujus Eclogæ in Venet. 1. Parm. et Vicent. ita concipitur: *Epithalamion in Stellam Poëtam et Violentillam Stellæ conjugem.* In reliquis inde a Rom. legitur: *Epithalamion Stellæ et Violantillæ*, nisi quod in una alterave scriptum est *Violanthillæ.* Lindenbrogium, qui ad inscriptionem lib. v. contenderat, rectius scribi *Violentillæ*, jam Gevartius reprehendit. Urat. exhibet: *Epithalamion in Stellum et Violentillam.*—2 Urat. *plectra movens.* De his verbis vide Eust. Swartii Analect. III. 8. p. 121. *humeroque tonanti* Venet. 1. nam scriptum fuerat in membranis *cōanti.*—4 Venet. 1. *quantumque novena.*—

NOTÆ

* *Epithalamion*] Est carmen quod in nuptiis canitur. Hoc Poëmatis genus a Græcis est etiam γαμήλιον appellatum. Apollo dicitur nuptiale carmen primus cecinisse, cum Thetis Peleo nupsit.

1 *Sacro*] Vel quia concentus iste a Diis fiebat, ut fingit Poëta; vel potius, quod sacra nuptiis adhibita.

2 *Pæan*] Pæan cognomen Apollinis. Vide Theb. I. 636.

Comanti] Quia Apollo κοσμοπλόκος, ἀκερσεκόμης, ἁβροχαίτης, ἁβροκόμης, εὐχαίτης dicitur. Comatum Apollinem eleganter depingit Apuleius Floridorum lib. I.

3 *Facundum ebur*] *Facundum ebur*, hic metonymice pro cithara vel lyra ex ebore confecta. *Facundum* vero, id est, vocale. *Suspendis*] Describit habitum citharœdi instrumentum musicum ferentis; φόρμιγξ enim seu cithara humeris portatur, teste Hesychio. Hor. I. Od. 21. 11. 'Insignemque pharetra Fraternaque humerum Lyra.' *Canoro Demigrant Helicone Deæ*] Helicon mons Bœotiæ: dicitur *canorus*, quia personat cantu Musarum.

Deæ] Musæ.

4 *Novena Lampade*] *Novena*, quia Musæ novem numero erant.

5 *Lampade*] Faces enim præferebantur ex more ante novas nuptas, a pueris patrimis, matrimisque, eæque numero quinque. Vide Plutarchum Quæstion. Roman. Prob. 5. *Novenam* autem dicit *lampadem*, quia singulis Musis, quæ novem numero erant, facem dat Poëta. *Solennem thalamis coëuntibus ignem*] Idem Papinius Theb. II. dicit: 'Festum nubentibus ignem.'

Et de Pieriis vocalem fontibus undam.
Quas inter vultu petulans Elegia propinquat,
Celsior assueto; Divasque hortatur, et ambit
Alternum factura pedem; decimamque videri
Se cupit, et medias fallit permixta sorores.

face ignem auspicatum conjungendis nuptiis, et loquacem aquam haustam ex Pieriis fontibus. Inter quas Elegia accedit proterva facie, sublimior solito, et excitat Deas, et comitatur, factura breviorem alterum versum, et optat se haberi decimam, et fallit



7 *Quas inter cultu* codex Barthii.—8 *Lætior assueto* N. Heins. Syllog. Tom. II. p. 746. sed in Advers. IV. 6. p. 603. *Cultior assueto.*—9 *Alternum futura* editio Grasseri; *Alternum fractura* conj. Gevartius, quod primo intuitu adblanditur, inquit Markl. *Alternum factura* Vatt. 1. 2. 3. 4. Par. Venet. 1. Parm. Rom. Venett. 2. 3. 4. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Basil. Gryph. &c. *Alternum latura* Cruc. in Antidiatr. p. 17. *Alternum sectura* Gronov. *Alternum pactura* tentabat Barth. *Alternum tactura* Peyrar. *Alternum tractura* Triller. cf. Ovid. Rem. 378. Amor. III. 1. Virg. G. IV. 94. Æn. I. 468. et Stat. IX. 43. sic etiam conj. Hopfius, allato Ovidii loco Rem. 378. et N. Heins. in Syllog. Epist. Tom. V. p. 533. Tom. II. p. 746. et in Advers. p. 603. *Alternum fultura* Urat. quomodo etiam conj. V. D. in exempl. Gott. et hoc edidit Handius, post v. *pedem* com-

NOTÆ

6 *De Pieriis vocalem fontibus undam*] *Vocalem undam.* Imitatur Sidonius Apollinaris Carm. XIV. 'Eia Calliope nitente plectro Da sacri laticis loquacitatem.' Et iterum Carm. XXIII. 'Tunc hac mersus aqua loquacis undæ Pro fluctu mage literas bibisti.' Et hoc dicit etiam ex more Romano, quo aqua conspergebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut ignem et aquam cum viro communicaret; quia duo hæc elementa prorsus necessaria sunt vitæ; unde qui societate hominum pellebantur, aqua et igne interdicebantur. Hinc 'ignem, undamque jugalem,' Valerio Flacco libro octavo.

7 *Elegia*] Hoc in gratiam Stellæ, qui hoc Poëmatis genere enituit.

8 *Celsior assueto*] Ut cujus sunt fere semper flebiles modi: nunc lætiores modos usurpet.

9 *Alternum factura pedem*] Corrigit Gevartius *fractura.* Fallitur: nusquam enim Elegia dicitur 'fracto pede,' sed 'truncata gressu,' ut Nostro, Epic. patris, et 'fraudata pede,' infra v. 251. vel 'surrepto pede,' Ovidio Amor. I. El. I. Sic potius *sectura;* sed locus sanus: nam versus elegiaci dicuntur etiam alterni in Epistola Sapphus: 'Forsitan et quare mea sint alterna requiris Carmina, cum Lyricis sim magis apta modis.' Hic 'alterna carmina,' sunt 'versus alterni:' *facere pedem* est facere versum. Pes nihil aliud quam versus. Horatius: 'Hunc socci cepere pedem,' id est, versum Iambicum. Ergo *alternum factura pedem,* est, conscriptura alternos versus, sive elegiacos, et suæ legis modo metiendos.

10 *Et medias fallit permixta sorores*] Nam a sororibus, seu Musis admittitur: et ex ipsis una creditur.

Ipsa manu nuptamgenitrix Æneia ducit
Lumina demissam, et dulci probitate rubentem:
Ipsa toros, et sacra parat; cinctuque Latino
Dissimulata Deam, crinem, vultumque, genasque,
Temperat, atque nova gestit minor ire marita.
Nosco diem causasque sacri: te concinit iste
(Pande fores) te, Stella, chorus: tibi Phœbus, et Evan,

sorores iis mediis inserta. Ipsa mater Æneæ ducit sponsam dejicientem oculos, et rubescentem grato pudore. Ipsa adornat lectum et sacra, et celans suum numen inter matronas Romanas, temperat suam comam, faciemque ac genas, et gaudet incedere inferior pulchritudine novæ nuptæ. Nosco diem et causas hujusce sacri. Iste cœtus, Stella, te celebrat, aperi limina tua. Apollo, Bacchusque, et ales Tegees,

mate posito.—11 *Æneia ducis* Drakenb. Aldd. 1. 2. Colin. Basil. 1. 2. Gryph. et Bern. *Æneia ducit* malit Bern. et ita legitur in Leid. Par. Rom. Vicent. et Venett. 2. 3. 4. restituit Lindenbrog. et voluit Scriverius. *Æneia duxit* Urat. et Venet. 1.—12 *Lumine* Venet. 1. Parm. Rom. Brix. Venett. Vicent. marg. Venetæ Gronovii, Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Lumina demissa* Morel.—13 N. Heins. legi jussit, *et fulcra parat*, ut v. 54. Juvenal. Sat. VI. 22. et Virg. Æn. 604. sed in Advers. conj. *et strata parat*, et hanc vocat veriorem conjecturam. *cœtuque Latino* Sen. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Urat. et Capil. cum Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Basil. et Gryph. *cinctuque Latino* correxerunt Barth. et N. Heins. quod probavit et recepit Markl. *cultuque Latino* Faber. et Lindenbrog. quod recepit Hand. nec improbavit Marklandus.—14 *Dissimulante Deam* conj. Markl. ut ap. Ovid. Heroid. IV. 55. *vultusque* Urat. Venet. 1. et Parm. quod recepit Hand. Venett. 2. 3. 4. *crimen vultumque*, quod correxit Avantius; *vultumque* in ceteris vett.—15 Venet. 1. *novo g. m. ire marito.*—17 Venet. 1. et Vicent. *evahn;* Rom. et ceteræ Venett. *euhan;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Euan*,

NOTÆ

11 *Genitrix Æneia*] *Genitrix Æneia* Venus est, quæ pronubæ hic vicem gerit. Pronubæ enim munus erat sponsam ducere.

12 *Lumina demissam*] Sic Theb. II. 'Dejectæque genas.'

Et dulci probitate rubentem] Idem de Crispino puero: 'Tunc hilaris probitas, et frons tranquilla.' Sic Donatus ad Andr. I. 1. 'vultus probitatem' dixit.

13 *Latino*] Romano. Nam Romani Latini erant.

15 *Atque nova gestit minor ire marita*] Sponsæ enim metuunt, ne sua pulchritudo majoris vicinitate offuscetur; quo spectat illud antiqui Poëtæ apud Nonium: 'Accede ad sponsum audaciter, virgo talis nulla est Setiæ.' Catullus in nuptiis Manlii et Juliæ: 'Prodeas nova nupta; Flere desine, non tibi Periculum est, Aurunculeia, Ne qua fœmina pulchrior Clarum ab Oceano diem Viderit venientem.'

16 *Sacri*] Sacra enim in nuptiis olim in usu, ut hodie: Græcis, ἐπίγαμοι τελεταί.

17 *Tibi Phœbus, et Evan, Et de Mænalia volucer Tegeaticus umbra*] Dicit Phœbum, et Bacchum, (qui et *Evan* dictus est,) ac Mercurium interesse

Et de Mænalia volucer Tegeaticus umbra
Serta ferunt: nec blandus Amor, nec Gratia cessat
Amplexum niveos optatæ conjugis artus
Floribus innumeris et olenti spargere nimbo.

linquens Sylvam Mænaliam, apportant tibi coronas. Nec mollis Cupido, nec Gratiæ desinunt te perfundere innumeris floribus et odora Thymbra, dum amplecteris can-



sive *Evan.*—18 *Menalia* edd. antiq. *tegeticus* Urat.—19 *Secta ferunt* Markl. ad v. 227. improbante Hopfio. Cf. Sylv. III. 3. 23. *Secta et nec te blandus* Venet. 1. *cessant* Par. ut solent correctores.—20 *Amplexum niveos o. c. artus* habent omnes codd. et edd. vett. *virides o. c. artus* Gronov. Veen. et Delph. Barth. Advers. XXXVIII. 4. ait in vetustissimo exemplari se invenisse *annos* pro *artus;* et huic libens assentitur Gronovius; nec dubium est, inquit Markl. quin *virides annos* suo loco optimum sit; hic tamen mihi videtur nimis longe petitum.—21 'Fortasse librarius scripsit *ymbre*, vel *hymbre*, antiqua ratione, unde *thȳbre* et *thȳbra*. Vide Heynii Obss. ad Tibull. I. 4. 44. Dicas fuisse scriptum: *et spargere olente corymbo.*' Lenz. *thymbra* exhibent codd. Vatt. 1. 2. 3. 4. Par. Venett. 1. 2. 3. 4. Rom. Vicent. Brix. et Aldd. quod primus defendit Ptol. Flavius, et postea Crucius. Heins. in Syllog. Epist. Tom. v. p. 533. *nimbo* probat, sed in notis scriptis conj. *Floribus innumeris halentis spargere thymbræ.* Avantius, et Lips. Syllog. Epist. II. 29. tuiti sunt *nimbo*, atque hanc lect. auctoritate codd. Lips. et Urat. confirmatam, prætulit Han-

NOTÆ

his nuptiis, tanquam Poëtices, ac eloquentiæ præsides; quod Stella esset Poëta et orator. Per *umbram Mænaliam* intelligit lucum Mercurio sacrum in monte Mænalo Arcadiæ.

Volucer Tegeaticus] Mercurius Arcas, qui et *volucer* talaribus suis: dictus *Tegeaticus*, a Tegea urbe Arcadiæ.

19 *Serta ferunt*] Sertorum enim ac coronarum usus in nuptiis, ut patet ex Theocrito, Epithalamio Helenes: Πρᾶταί τοι στέφανον λωτῶ χάμαι αὐξομένοιο Πλέξασαι. *Primæ tibi coronam ex humi nascente loto nectentes.* Claudianus: 'Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores Elige, tu geminas Concordia necte coronas.' *Nec amor*] Cupidinem intelligit amoris Deum. *Nec Gratia*] Intersunt Gratiæ his nuptiis, tanquam Veneris comites. Homerus unam tantum Gratiam putavit Vulcani uxorem: sed ceteri fere Poëtæ tres agnoscunt, Euphrosynem, Thaliam et Aglaiam, quæ eadem est ac Pasithea quibusdam, Jovis et Eurynomes filias. Bœotii aiunt Eteoclem iis primum sacra instituisse in Orchomeno, auctoribus Pausania et Strabone. Apud Lacedæmonios duæ tantum erant. Athenienses, Auxo, Hegemoniam, et Thalamo cum Pandroso pro Gratiis coluerunt.

20 *Niveos* [*virides*] *artus*] Barthius testatur Advers. lib. XXVIII. cap. 4. invenisse se in antiquissimo exemplari *virides annos*, et hanc lectionem probat, et ita scripsisse credit Statium, ut Hercule Surr. 'Quod si dulce decus viridesque resumeret annos.'

21 *Floribus innumeris*] Intelligit φυλλοβολίαν, quæ solennis erat in omni tam privata, quam publica lætitia; maxime in nuptiis. Vide Livium, et Plutarchum in Flaminio. Adde Heliodor. lib. IX. Pindar. Ode IX. He-

Tu modo fronte rosas, violis modo lilia mixta
Excipis, et dominæ niveis a vultibus obstas.
Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere, quo Stellæ Violantillæque professus
Clamaretur Hymen: cedant curæque, metusque;

didos artus tam expetitæ uxoris. Tu excipis modo rosas cum frondibus, modo violas liliis insertas, et eas arces a candido vultu tuæ dominæ. Ergo dies netus albo stamine Parcarum venerat, quo matrimonium Stellæ et Violantillæ divulgaretur. Soli-



dius.—22 *Tu modo fronde* Gronov. Diatr. cap. 9. sed Elench. Antidiatr. cap. 2. retinet *fronte.* Florent. Leid. Par. Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. et Vicent. *rosas mollis: modo, &c.* Urat. habet *violis*, quod primus edidit Avantius in Ald. 1. et alii deinceps receperunt.—23 Urat. Venet. 1. et Parm. *et dominis.* Pro *niveis* Markl. conj. *nitidis*, quoniam præcessit *niveos artus.*—26 *Clamaretur hymen*, non *Hymen*, Handius; nam ipsum intelligitur carmen, ut

NOTÆ

rod. lib. IV. *Nimbo* [*Thymbra*] Gevartius legit *Nimbo*, ex editione Veneta: *Et olenti spargere nimbo;* affertque ad firmandam suam lectionem Claudianum, qui eodem verbo usus est: 'Nec signifer ullus Nec miles pluviæ flores dispergere ritu Cessat, purpureoque ducem perfundere nimbo.' Sic Lucretius lib. II. ubi Cybelem floribus conspergi solitam scribit, elegantissime floribus ninguere dixit: 'Ære atque argento sternunt iter omne viarum, Largifica stipe ditantes, ninguntque rosarum Floribus, umbrantes matrem, comitumque catervam.' Sed vox *Thymbra* retinenda est. Testatur enim Ptolemæus Flavius olim *Thymbra* habere vetustos codices. Et puto allusisse Papinium ad illud cognomen Apollinis, quo 'Thymbræus' vocatur, et quod Thymbra illi sacra sit; et voluisse Amores et Gratias non cessasse perfundere floribus, ac peculiariter thymbra, (a qua Apollo appellatur 'Thymbræus,') Stellam ut Poëtam, et clientem Apollinis. Quin etiam *thymbra* numeratur inter olentes herbas a Dioscoride.

24 *Parcarum conditus albo Vellere*] Parcæ enim nere dicuntur alba vellera beatis, quod læta et auspicata Latini 'alba' et 'candida' vocarent: hinc 'dies albi' et 'albo lapide' notati, pro felicibus: hinc 'candidi' appellati Deorum filii, ut Plato scripsit, Plutarchus retulit. Unde Virgilius in Daphnide Cæsarem 'candidum,' quasi Deorum filium, jam inter Deos relatum vocat: 'Candidus insuetum miratur lumen Olympi.'

25 *Professus*] An declaratus, ut dicitur 'professus hostis?' An in acta relatus? sic 'professæ merces' apud redemtorem vectigalium: sic 'census professus' apud Censores: sic pater 'profiteri' liberos dicebatur, cum recens natos denuntiabat, ut colligimus ex Juvenale et Jurisconsultis. Matrimonia etiam publicis actis inscribebantur, ut discimus ex quadam epistola Cælii ad Ciceronem. Alludit eodem Juvenalis: 'Fient ista palam, cupient et in acta referri.' Divortia etiam in acta relata. Suetonius Caligula cap. 4.

26 *Hymen*] *Hymen* proprie Deus, qui nuptiis præerat, sed et pro matrimonio etiam ut hic sumitur.

Cessent mordaces obliqui carminis astus;
Fama tace: subiit leges, et fræna momordit
Ille solutus amor: consumta est fabula vulgi,
Et narrata diu viderunt oscula cives.
Tu tamen attonitus (quamvis data copia tantæ
Sortis) adhuc optas, permissaque numine dextro

citudines et timores migrent. Malignitas ambigui versus cesset. Fama sile. Hic liber amor recepit leges, et præbuit collum nuptiali jugo. Fabula plebis consumta est, et cives viderunt oscula diu prædicata. Tu tamen anxius (quamvis facultas tantæ noctis tibi sit concessa) cupis adhuc, et times, ne quod promissum est tuis votis,

Ovid. Epist. XII. 137.—27 *Cedant* Parrhas. *mendacis obliqui carminis astris* Venet. 1. *Cessent mendacis* (vel *mendaces*) *obliqui carminis astus* Parm. Rom. Vicent. Brix. Venett. 2. 3. 4. Aldd. &c. quod revocavit Handius. *mordaces* est e conjectura Markl. Scholiastes ait: Forte legendum, *obliqui criminis astus*. N. Heins. pro *astus* conj. *ausus*.—28 Editio Grasseri *subit*. Vide Livin. ad Catull. LXII. 146.—29 *Ille salutis* Leid. Rom. et Venett. 2. 3. 4. sed *solutus* codd. Urat. et Par. cum Venet. 1. restituit Aldus, Avantio auctore, et approbante Parrhasio.—30 *Et natura* Venet. 1. *viderunt obstula* Leid.—32 *Noctis* omnes codd. et edd. vett. *Sortis* est Marklandi correctio, quam recepit etiam Handius. *promissaque* Sen. Vatt. 1. 2. 3. 4. Par. Urat. Drakenb. Merseb. et

NOTÆ

27 *Obliqui carminis astus*] Per *obliquum carmen*, quidam intelligunt carmina a Stella composita in Violantillam, sed mutato nomine, quibus Violantillam a suo nomine Stella vocat 'Asteridem' seu 'Stelleidem,' alludendo ad suum cognomen, quo *Stella* Latine, ἀστὴρ Græce dicitur. Infra: 'Asteris et vatis totam cantata per urbem, Asteris,' &c. Moris enim erat Poëtarum, ut celebrarent amicas suas dissimulatis nominibus. Sic Catullus Lesbiam nominavit pro Claudia, Propertius vocat Cynthiam, quæ Hostia dicebatur, Tibullus habebat in animo Plautiam, cum Deliam scriberet. Quidam intelligunt aliorum mordacia dicta et jocosa carmina, qualia fere in procos aut sponsos jactari solita: quæ 'obliqua' dicuntur, quod non aperte, sed ambigue famam carpunt: hinc *astus* Nostro, Macrobio 'figurati morsus' lib. VI. cap. 3. Quintiliano 'Schemata.' Nam 'obliquum carmen,' non est illud duntaxat, quod nomen dissimulat, sed quod ambiguitatem habet. Nicetas πλάγιον λόγον vocat, Itali *Pasquinatas*.

28 *Fræna momordit*] *Fræna momordit*, posuit Papinius, pro servitutem accepit, frænum recepit, seu admisit vincula matrimonii.

29 *Fabula*] Fabula, latiore significatu, sumitur pro quolibet sermone. Interdum, ut hic, pro rumore populari.

32 *Adhuc optas*] More ingenii humani, quod licet obtineat id, quod summo studio cupiverat, credit tamen se non adhuc habere, optatque adhuc ac si non habeat, et timet ne sibi elabatur: et id habet maxime locum in rebus difficillimis, cum eas insperato obtinemus.

Vota paves. Pone o dulcis suspiria vates,
Pone, tua est: licet expositum per limen aperto
Ire, redire, gradu: jam nusquam janitor, aut lex,
Aut pudor: amplexu tandem satiare petitæ
Conjugis, et duras pariter reminiscere noctes.
Digna quidem merces, et si tibi Juno labores
Herculeos, Stygiis et si concurrere monstris
Fata darent, si Cyaneos raperere per æstus.
Hanc propter tanti Pisæa lege trementem

elabatur. Pone, suavis Poëta, pone suspiria; tua est. Fas est concursare manifesto gradu per fores incustoditas; jam nusquam ostiarius, nec lex, nec pudor. Explere tandem optato amplexu uxoris, et pariter recordare acerbas noctes. Dignum quidem præmium, etsi Juno tibi imponeret ærumnas Herculis, et fata vellent te certare adversus inferna monstra, et tibi navigandum foret per æstus scopulorum Cyaneorum. Propter hanc, æquum esset, te trepidum currere Pisæis conditionibus,

edd. vett. *permissa* est conjectura N. Heinsii.—33 *Vota pave* Venet. 1. Lindenbrog. et Cruc. ediderunt: *pone o dulcis suspiria vates. Pone tua est.* Ille in Obss. distinguendum putabat: *Pone o dulcis suspiria vatum, Pone tua est:* et ita quidem scripsit.—34 Venet. 1. *expositam per limen aperta.*—35 Pro *aut lex* N. Heins. conj. *audax* vel *obstat*, vel *aut sups.* 'Nulla causa est mutationis.' *Hand.*—36 Par. Rom. Vicent. Venett. 2. 3. 4. et Lindenbrog. *potito;* Urat. Drakenb. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Gronov. &c. *petito;* codex Barthii *petitæ;* unde ille *potitæ.* In Venet. 1. desideratur totus versus. Markl. lect. *petitæ*, tanquam conjecturam suam, primus reposuit Marklandus. —37 *Contigit* edd. vett. *Contingit* Urat. et sic legit Parrhas. *Amplexu tandem satiare petito,—Contigit!* &c. edidit Handius. *Conjugis* primus intulit Aldus.—39 'Legendum vel *Scythicis*, vel *Siculis*, vel potius *Phrygiis.*' Schrader.—40 Urat. *si traneos;* Venet. 1. *cianeos raptare per æstus.*—41 *Hunc propter tutum* Leid. Vicent. Rom. Brix. Venett. 2. 3. 4. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph.

NOTÆ

34 *Tua est*] Violantilla.

35 *Janitor*] Potentiorum limina janitores servabant, ideo difficilis erat amantibus aditus ad amicas: hinc Poëtarum querelæ. *Lex*] Lex, an honestatis, an Julia in stupratores et adulteros lata.

36 *Aut pudor*] Honestiores enim matronæ, non nisi cum pudore viros apud se admittunt.

37 *Duras noctes*] Quas scilicet transegisti ad limen duræ amicæ.

38 *Digna quidem merces*] Ludit in laudes Violantillæ Poëta, et ait ipsam mereri, ut pro ea majora etiam pericula suscipiantur. *Juno*] Juno soror et uxor Jovis. *Labores Herculeos*] Labores Herculis omnibus noti. Duodecim Heros ille difficillimos ac periculosos exantlaverat.

39 *Stygiis monstris*] Stygia monstra sunt Centauri, Scyllæ, Hydræ, ac cetera monstra, quæ in Inferis esse dicuntur. Vide Virgil. Æneid. VI. et Papinium Theb. IV.

40 *Cyaneos æstus*] Symplegades intelligit, scopulos inter se concurrentes in Ponto Euxino. Vide Papinium Theb. V. 347.

41 *Pisæa lege*] Hac enim conditi-

Currere, et Œnomai fremitus audire sequentis.
Nec si Dardania pastor temerarius Ida
Sedisses, hæc dona forent: nec si alma per auras

et audire fremitus insequentis Œnomai. Nec si temerarius Pastor sedisses in Ida Dardania, tanta munera fuissent: nec si alma Aurora te rapuisset in suo curru,



Basil. &c. *Hanc propter tute* Par. *Hanc propter licuit* Vat. 3. et Parm. *Hanc propter votum* conj. Barth. et N. Heins. *Hanc propter libeat* conj. etiam Heinsius. *Hanc propter gratum*, vel *dignum* V. D. in exempl. Gott. *Hanc propter tanti* Urat. Vat. 1. 2. 4. et Venet. 1. quod revocavit Handius. *Pisea* edd. antiq.—42 Venet. 1. *et emonia f. a. frequentes;* Vicent. *Ænomai.*—44 *Sedisses* Urat. Parm. et Rom. quod restituit Avantius in Ald. 1. et alii deinceps receperunt; *Venisses* Leid. Par. Rom. Vicent. et Venett. 2. 3. 4. *Dixisses* Venet. 1. Vide Spence's Polymetis Dial. XVI. p. 268. et Tassie's Descriptive Catalogue Tom. II. p. 335. 'Si v. 42. legis *tanti*, tum hic idem suppleas: *nec hæc dona forent tanti.*' Lenz. 'Non ita fieri potest: *hæc* positum est pro *hæc talia*,

NOTÆ

one currebat Œnomaus cum filiæ Hippodamiæ procis, ut victi ab ipso insequente transfoderentur hasta, victores vero Hippodamia potirentur. Vide Papinium Theb. I. 274. *Pisæa*, vero, quia stadium Œnomai erat apud Pisas urbem Elidis. *Trementem*] In eo enim certamine de vita agebatur: non igitur mirum, si tremerent proci Hippodamiæ.

43 *Nec si Dardania pastor temerarius Ida Sedisses, hæc dona forent*] Extollit Violantillam supra Helenam, dicens Stellæ, si sedisset in Ida loco Paridis ad judicandas Deas de pulchritudine contendentes, habuissetque a Venere Helenam pro præmio, ut Paris, hanc non fuisse tantum munus, quam nunc, cum obtinuit a Venere Violantillam. Hanc fabulam judicii Paridis narrat Noster Achilleidos lib. II. *Ida* vero mons est Phrygiæ, qui dicitur *Dardanius* a Dardano, qui profugus ex Creta in Phrygiam appulit, et condidit Trojam. In hoc monte dicitur sedisse Paris, cum judicavit Deas de pulchritudine contendentes. *Pastor*] Paris est, filius Priami et Hecubæ. Ob somnium matris, quæ somniaverat se ardentem facem utero gestare, expositus fuit et inter pastores educatus. Tanta vero justitiæ fama claruit, ut ad illius judicium Jupiter tres Deas de pulchritudine certantes remiserit: illæ vero judicem acceptaverint. Postea agnitus fuit a parentibus, ac missus in Græciam ad repetendam Hesionem, rapuit Helenam.

44 *Nec si alma per auras Te potius prensa veheret Tithonia biga*] Alludit ad fabulam Cephali, qui ab Aurora raptus fuit in curru. Vide Ovid. Met. VII. Mens vero: Si tu, loco Cephali, raptus fuisses ab Aurora, non tam pulchram in illa dominam habuisses, quam nunc habes in Violantilla. *Prensa*] Legit Parrhasius *prensum*. At Gronovius *prensa* explicat juncta, notione, quam Noster sumsit e Marone Georg. I. 'Septima post decimam felix, et ponere vites Et prensos domitare boves:' hoc est, junctos. Iterumque lib. III. 'Namque ante domandum Ingentes tollent animos, prensique negabunt Verbera lenta pati.' Id est, juncti. Et ab Ovidio: 'Aspicio ut prensos urant

Te potius prensa veheret Tithonia biga.
Sed quæ causa toros inopinaque gaudia vati
Attulit, hic mecum dum fervent agmine postes
Atriaque, et multa pulsantur limina virga,
Hic, Erato jucunda, doce: vacat apta movere
Colloquia, et docti norunt audire Penates.
Forte serenati qua stat plaga lactea cœli,

loco Cephali. Sed, dum fores et atria replentur frequentia populi, et januæ percutiuntur virgis plurium lictorum, jucunda Erato stes hic mecum, et refer, quæ causa fuit conjugii, et apportavit Poëtæ inaspectatam lætitiam. Vacat conserere aptos sermones, et periti lares sciunt audire. Forte in ea parte clari cœli, ubi est

i. e. tam præclara tam digna.' *Hand.*—45 Parrhas. legit *prensum*, vel *pressa;* Barthii codex *pransa;* 'forte,' inquit ille, '*prasina:* nugæ.' *prehensa* Venet. 1. et Aldd. *prensa* in ceteris cum codd. *Titania* N. Heins. ad Ovid. Fast. IV. 941. sed errorem suum correxit ad V. Flac. III. 1. *tritonia* Venet. 1. *titonia* Venett. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. &c. usque ad Marklandum.—46 Urat. *gaudia vatis;* Venet. 1. *gaudia vates.*—47 *Attulerit mecum* Schrader. et Withosius. *hic lætum*, vel *læto* N. Heins. conj. etiam *denso.* Sed libri non variant.—48 Venet. 1. *pulsantis.* Urat. cum edd. Lindenbrog. et Cruc. *lumina* pro *limina;* Grotius in Epist. ad Gronov. 673. corrigit *lumine.*—49 *Hoc, Erato jucunda, doce* conj. Schrader. *decet* Venet. 1.—50 *Alloquia* conj. Marklandus.—51 Cod. Voss. *quæ stat;* Venet. 1. *quo stat.*—52 Eadem *jace-*

NOTÆ

juga prima juvencos.' Ubi falluntur qui 'pressos' substituunt. Sic igitur *prensa biga*, idem est quod 'juncta biga.' 'Juncta biga' dicitur, ut 'junctum vehiculum:' sic lege Oppia latum erat, ne qua mulier juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille passuum, nisi sacrorum publicorum causa veheretur. Livius lib. XXXIV. Græcis ἐζευγμένα ἅρματα. Auroram vero *Tithoniam* dici a Tithono marito omnibus notum est.

48 *Virga*] More Romano, quoties magistratus suas vel alienas ædes ingressurus erat, lictor præcedens fores virga percutiebat.

49 *Hic, Erato*] Erato una ex Musis, sic dicta a canendis amoribus, unde *jucunda* Nostro. Ovid. 'Nunc Erato, nam tu nomen amoris habes.'

50 *Et docti norunt audire Penates*] Quia Stella erat poëta et orator, et pollebat doctrina.

51 *Plaga lactea*] Intelligit circulum lacteum, qui et γαλαξίας dicitur. Circulus hic est maximus in cœlo, latitudinem et splendorem habens varium, ita ut, in una parte majorem habeat latitudinem et majorem candorem quam in alia, incedens per Geminos et Sagittarium, ut fuse explicat Ptolemæus Dict. VIII. cap. 2. Candor vero ejus, a quo *lactei* nomen habet, provenit, ut nonnullis placet, ex nimia multitudine parvularum stellarum, quæ in ipso sunt, et ad nostrum visum distinctæ non perveniunt. Alii vero existimant lacteum circulum esse partem firmamenti continuam et densiorem aliis partibus cœli, ita ut lumen solis recipere possit, non tamen sicut aliæ stellæ,

Alma Venus thalamo, pulsa modo nocte, jacebat,
Amplexu duro Getici resoluta mariti.
Fulcra, torosque Deæ, tenerum premit agmen Amorum:
Signa petunt, quas ferre faces, quæ pectora figi
Imperet; an terris sævire, an malit in undis,
An miscere Deos, an adhuc vexare Tonantem.
Ipsi animus nondum; nec cordi fixa voluntas:
Fusa jacet stratis, ubi quondam conscia culpæ

via Lactea, alma Venus, orto jam die, recumbebat in lecto, soluta duris amplexibus Getici conjugis. Mollis cohors Cupidinum premit fulcra et lectum Deæ. Poscunt mandata, quas jubeat portare tædas, quæ corda confodi, an malit sævire in undis, an in terra, an perturbare Deos, an inflammare adhuc Jovem? Ipsi nondum mens, nec certum consilium animo. Fatigata cubat in stratis, ubi quondam Lemniæ

bant.—53 Pro *Getici* Venet. 1. *græci.* Santenius dubitavit an non legendum sit: *Amplexu Getici duro*, transpositis verbis.—55 Nostras Jortin, in Miscell. Obss. Vol. II. p. 218. et Nodellius ad Avien. p. 110. conj. *qua ferre faces:* Heins. in margine codicis Burmanni notavit *quo*, vel *quis, ferre faces;* Barthii codex habet *quis*, improbante Handio.—58 ‘N. Heins. cum conjiceret scribendum esse *ausi*, aut *cœpti*, proprietatem pronominis *ipse* non consideravit.’ *Hand.* Schrader correxit: *Ipsi animis nondum, nec, &c.* Handius post *nondum* posuit comma, post *voluntas* punctum.—59 *Fessa jacet* codd. et edd. vett. mu-

NOTÆ

quæ sunt partes firmamenti multo densiores, et inter se distantes. Fallitur Aristoteles, qui putat circulum lacteum existere in regione aëris. Incedit enim circulus lacteus perpetuo, ut videre est apud Ptolemæum loco citato, et experientia constat, per Cassiopeiam, Cycnum, Aquilam volantem, Sagittam Sagittarii, et caudam Scorpii, Centaurum, Argo navem, pedes Geminorum, Heniochum, et Perseum, ut clarissime patet in globo aliquo astronomico; quod equidem Manilius pulchre describit lib. I. ‘Lacteum circulum’ vocat Ovid. Met. I. iter, quo superi ad Jovem accedunt.

53 *Getici mariti*] Martis, qui dicitur *Geticus*, quod sedem habeat, ut volunt Poëtæ, apud Thraces et Getas ferocissimas gentes. Pindarus etiam vocat Martem πόσιν Ἀφροδίτας, *maritum Veneris*, Pythiis.

55 *Signa petunt*] More militari, quo tesseræ peti soleant ab Imperatore ac tribuno, ut ex Polybio, Suetonio, et aliis patet.

Quas ferre faces, quæ pectora figi] Amores enim faces et arcum gerebant, ut videbimus infra.

57 *Tonantem*] ‘Tonans’ proprium epithetum Jovis, ut pueri sciunt.

59 *Ubi quondam conscia culpæ Lemnia repserunt depreso vincula furto*] Alludit Poëta ad fabulam, qua dicitur Vulcanus, cum Venerem et Martem in adulterio deprehendisset, adamantinis ac subtilissimis catenis colligasse lectum, in quo jacebant, ambosque Diis deridendos exhibuisse. *Lemnia*] Id est, Vulcania, quia Vulcanus, de cœlo dejectus, cecidit in Lemnum insulam, vel quia in hac insula officinam habebat, hinc ‘Lemnius’ vocatus.

Lemnia repserunt deprenso vincula furto.
Hic puer e turba volucrum, cui plurimus ignis
Ore, manuque levi nunquam frustrata sagitta,
Agmine de medio, tenera sic dulce profatus
Voce: (pharctrati pressere silentia fratres:)
Scis, ut, mater, ait, nulla mihi dextera segnis
Militia: quemcumque hominum Divumque dedisti,
Uritur: at tandem lacrymis, et supplice dextra,
Et votis, precibusque viri concede moveri,

catenæ, consciæ adulterii, circumfusæ sunt intercepto cubili. Hic puer ex agmine alitum, cui plurimus rubor in vultu, et in cujus agili manu erat sagitta, quæ nunquam cum deceperat, sic de media turba locutus est, molli voce. (Pharetrati fratres tenuerunt silentium.) Compertum habes, genitrix, inquit, ut nunquam mea manus torpuit in omni tua militia. Ardet quicumque hominum Deorumve, quem mihi dedisti urendum. At sinas nos aliquando flecti lacrymis, manuque supplice et ob-



tavit Marklandus, revocavit Hand. Pro *ubi* Heins. *cui.*—60 Aldd. *depræhenso;* Venett. 1. 2. 3. 4. et Lindenbrog. *deprehenso.* Lenzius conj. *depresso vincula lecto;* Jacobs. *deprenso vincula mœcho.* Codex Urat. *deprenso repserunt*, et ita affert Dempster. ad Rosini Antiq. II. 10. sed ad Claud. Rapt. Proserp. III. 275. *deprenso v. collo.* Heins. conj. *sepserunt deprenso vincula lecto;* Burm. *sepserunt deprensam vincula lecto;* Handius e cod. Urat. *deprensæ repserunt vincula lecto.* Omnes codd. et edd. vett. habent *lecto*, pro quo Cruc. conj. *furto*, quam conjecturam illi Marklandus, non præter solitum, arripuit. —62 N. Heins. Epist. ad Scheel. Syllog. Tom. II. p. 746. 'Cur *Ore?* cum de facibus Cupidinis videatur agere. Fortassis scribendum *Torre.*' Morel. *manusque;* Cruc. *manusque levis;* N. Heins. *manumque levem;* Guyetus, *manuque levis*, quanquam apud Marollium legitur *lenis.*—63 Urat. *profatur*, quod recepit Handius.—64 Vir doctus in exempl. Gott. mutavit *fecere silentia.*—66 *Militiæ* Morel. *quecunque* Venet. an. 1494.—67 Omnes codd. et edd. vett. *at quondam*, probante Handio: *at tandem* conjectura est Marklandi. *supplice questu* tentabat Schrader.—68 *Pro votis* Venet. 1. Bernartii emendationem *viri* primus in textum intulit Markl. *virum* habent omnes codd. et edd. vett.

NOTÆ

61 *Volucrum*] Amorum seu Cupidinum, qui alati repræsentantur.

Cui plurimus ignis Ore, manuque levi nunquam frustrata sagitta] Hæc respondent duobus epithetis, quæ Orpheus tribuit Amori, πυρίδρομον καὶ τοξαλκῆ Amorem nominans. Amores enim seu Cupidines repræsentantur ut pueri ac alites, face et sagittis armati. *Frustrata*] Sic Virgilius: 'Nusquam frustrata vocatus Hasta meos.'

64 *Pharetrati fratres*] Depinguntur enim Cupidines cum arcu et pharetra.

66 *Militia*] Mollem amoris militiam satis prædicant Ovidius, Tibullus, totaque gens Poëtarum. Horatius: 'Et centum puer artium Longe signa feret militiæ tuæ.' *Quemcumque hominum Divumque dedisti*] Id est, urendum nobis tradidisti.

68 *Moveri*] Supple, nos.

O genitrix; duro nec enim ex adamante creati,
Sed tua turba sumus: clarus de gente Latina
Est juvenis, quem patritiis majoribus ortum
Nobilitas gavisa tulit; præsagaque formæ
Protinus e nostro posuit cognomina cœlo.
Hunc egomet tota quondam (tibi dulce) pharetra
Improbus, et densa trepidantem cuspide fixi.
Quamvis Ausoniis multum gener ille petitus
Matribus, edomui victum, dominæque potentis

secrationibus hominum, o mater; non enim sumus orti ex duro adamante, sed tua progenies. Est juvenis illustris, natione Romanus, quem oriundum e patritiis avis nobilitas læta educavit, cuique, ut erat præscia illius futuræ venustatis, statim dedit cognomen petitum e nostro cœlo. Egomet improbus percussi hunc trementem totis sagittis meæ pharetræ, quia sic volebas. Quamvis ille frustra optatus esset in generum a pluribus matronis Italis, vici duritiem ejus, et illum coëgi subire jugum

revocavit Handius.—69 *O genetrix* Leid. Venet. 1. et Rom. non tamen in vs. 10. ubi omnes *genitrix.* Venet. 1. *nudo nec enim exclamante:* Hand. *neque enim.*—70 *Sed tua turba simus* Venet. 1.—71 *Et juvenis* Parm. unde Heins. in Advers. p. 604. *En juvenis.* Reliqui libri, etiam scripti omnes: *Est juvenis.* Venet. 1. *quem patruis.*—72 *Nobilitas præmissa* Heins. Pro *formæ* Lenzius conj. *famæ:* Urat. *forma.*—73 *Providus e nostro posui* Heins. in Advers. p. 604. et Burmanno aliquando placuit *Providus.*—74 *Hunc ego me* Urat. Parrhas. voluit: (*quoniam tibi dulce*) *pharetra;* Cald. et Guyetus: *quondam tibi dulce* conjunxerunt: Aldus edidit: *quondam* (*tibi dulce*) *pharetra;* et ita omnes reliqui. Parrhasii emend. probarunt Bern. Barth. et Burm. ad V. Flac. II. 521.

NOTÆ

69 *Duro nec enim ex adamante creati*] Imitatio Homeri: Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης. *Non enim ortus est a quercu antiqua, aut a petra. Adamante*] Vide quæ diximus ad Theb. II. 16.

70 *Latina*] Romana.

71 *Patritiis majoribus*] 'Patritii' proprie dicti sunt illi, qui originem ducebant ab iis, quos Romulus Senatores elegerat. Postea vero cum extinctæ fuissent hæ familiæ, Patritii etiam dicti, qui e plebe, beneficio consulum ac imperatorum, in locum illorum successerunt. Athenienses vocabant εὐπατρίδας, ut scribit Dionysius Halicarnassæus, qui sentit Romulum exemplo Atheniensium rempublicam ordinasse.

73 *Cognomina cœlo*] Alludit ad nomen Stellæ; hincque patet Stellam fuisse eximia forma. Hujus Stellæ nostri mentionem facit etiam Tacitus Ann. XIII. aitque Neronem ei curam ludorum, qui ab ipso parabantur, demandasse.

74 *Tota pharetra*] Id est, totis sagittis pharetræ.

75 *Improbus*] Non prima sua notione accipienda hæc vox, *Improbus*, sed quod mire convenit huic loco, pro eo qui instat etiam prohibenti, ut notat Isidorus lib. x. Papinius certe hanc vocem sumit frequenter notione 'magni,' vel 'astuti,' vel 'audacis,' aut alias in bonam partem.

76 *Ausoniis*] Italis, seu Romanis. Vide Theb. v.

Ferre jugum, et longos jussi sperare per annos.
Ast illam summa leviter (sic namque jubebas)
Lampade, parcentes, et inerti strinximus arcu.
Ex illo quantos juvenis premat anxius ignes
Testis ego, attonitus quantum me nocte dieque
Urgentem ferat: haud ulli vehementior unquam
Incubui, genitrix, iterataque vulnera fixi.
Vidi ego et immiti cupidum decurrere campo
Hippomenem, nec sic meta pallebat in ima:

dominæ superbæ, et sperare per multos annos. Sed illam leviter perstrinximus extrema face, et inermi arcu parcentes, sic namque imperaveras. Ego testis, quantas flammas ille anxius ferat ex hoc tempore, et miror, quomodo me possit sustinere, tantum premo eum die ac nocte. Nulli unquam violentius institi, o mater, nec ulli plures inflixi plagas. Vidi ego Hippomenem flagrantem currere in sævo stadio,

—77 In Aldd. Gryph. et Bern. distinguitur post v. *edomui.* Errorem cognovit Bernartius in Commentario.—78 Venet. 1. *jussi spectare;* Lindenbrog. ex antiqua ed. affert *jussu sperare.*—79 *Ast illa summam* Venet. 1494. errore typographi, ut notavit Avantius. *summa leniter* Urat.—80 Leid. Par. Venett. 1. 2. 3. 4. Rom. Brix. Vicent. Aldd. 1. 2. Colin. Basil. 1. 2. Gryph. 1. 2. Bern. Gevart. Til. Morel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *inermi s. arcu.* Heinsius in Epist. Syllog. Tom. II. p. 746. et Tom. V. p. 533. et ad Claud. ed. nostræ p. 1443. ex Parm. emendat *inerti,* quam lectionem confirmant optimus codex Urat. et Vatt. omnes, et recepit Handius.—82 *Testis ego attonito* Rhod. Saltz. unus Lindenbrogii, et Venett. 1. 2. 3. probante Mitsch. ad Hor. I. Od. 19. 9. Hoc reposuit Gronovius. N. Heins. conjecit *attonita.* Ante Aldum interpungebatur: *Testis ego attonitus, quantum, &c.*—83 *Urgendum ferat* Leid.—84 Venet. 1. *genetrix i. v. facti;* Urat. *vulnera fixi;* unde Handius conj. *iterataque vulnera feci.* Cf. Ovid. Met. I. 519.—86 *Hyppomenem* Venet. 1. et Rom. Omnes codd. et edd. vett. *meta pallebat in ipsa.* Lectio *meta pallebat in ima* est correctio Marklandi ex Gevartii interpretatione desumta. Ex Sidonii Apollinaris Præfat. Lenzius legendum putavit: *nec si*

NOTÆ

79 *Summa Lampade*] Eodem sensu Horat. III. Ode 26. dicit Veneri: 'Sublimi flagello tange Chloën semel arrogantem.' Id est, semel et leviter, ἄκρᾳ τῇ ῥάβδῳ, *summa virga. Lampade* vero, quia Amores faces gestabant, ut supra diximus.

82 *Attonitus*] Hic, admirans. Ut in Epicedio Glauciæ: 'Attoniti te spectavere parentes:' hoc est, admirantes.

83 *Urgentem ferat: haud ulli vehementior*] Quibus minus propitii esse Dii credebantur, illos urgere dicebantur, et venire graves: ut contra benigni et propitii, lenes et leves.

84 *Incubui*] Virgilius: 'Nescia Dido Insidat quantus miseræ Deus.'

85 *Immiti campo*] Quia currendo in hoc de vita agebatur.

86 *Hippomenem*] Nota fabula Hippomenis. Cum Atalanta, et mira pulchritudine, et pedum pernicitate præstaret, et a nuptiis abhorreret, proposuerat procis certamen cursus,

Vidi et Abydeni juvenis certantia remis
Brachia, laudavique manus, et sæpe natanti
Præluxi: minor ille calor, quo sæva tepebant
Æquora: tu veteres, juvenis, transgressus amores:
Ipse ego te tantos stupui durasse per æstus,
Firmavique animos, blandisque madentia plumis

nec sic pallebat in carceribus. Et vidi, et laudavi manus et lacertos juvenis Abydeni, æquantes remos, et sæpe prætuli facem ei natanti, et ille calor, quo immitia æquora intepebant, erat minor. Tu, juvenis, superasti priscos amores. Ipse ego stupui te restitisse tot flammis, et corroboravi tuum animum, et siccavi blandis

---

metæ pallebit ad ima.—87 *Abideni* Venet. 1. et Rom.—88 Boxhornius Epist. ad Gronov. p. 60. ed. an. 1662. p. 80. ed. an. 1679. legit *lassantique manus.*—89 *Præulsi* Urat. *Prælusi* Leid. Venet. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. *Præluxi* Sen. ut ex conj. edidit Bern. probantibus Voss. Lindenbrog. Barth. Heins. et Burm. *Produxi* Scriverius, improbante Handio.—90 N. Heins. conj. *juvenum;* male quidem, inquit Handius.—91 Urat. Vatt. 2. 4. Par. Piccart. Venet. 1. Parm. et Vicent. *durasse per æstus;* Vat. 1. 3. Leid. Rom. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. et Gryph. *superesse per æstus*, quod acriter defendit Barthius. *durasse* primus in textum recepit Gronovius; prætulerunt Bern. N. Heins. Epist. Tom. v. p. 533. Tom. II. p. 747. ad Sil. Ital. II. 463. et in Advers. p. 604.—92 *Firmari* Venet. 1. et Vicent. *Firmavitque* ceteræ Venett. quod correxit Avantius. Vide ad II. 5. 23.—9

NOTÆ

in quo victum mortis pœna, victorem præmium sui conjugii maneret. Multis igitur victis, Hippomenes ejus amore ardens, tandem poma aurea, quæ Venus illi dederat, ante pedes procurrentis Atalantæ, unum post alterum projiciens, eam iis colligendis detentam superavit, ac postea uxorem duxit. Vide Ovid. Met. x. *Meta*] Hic *metam*, pro carceribus, abusive posuit Poëta. Nam Hippomenes non *pallebat* in ipsa meta, cum jam vicerat.

87 *Abydeni juvenis*] Leandri, Herus Sestiacæ puellæ amore capti. Vide quæ diximus ad Theb. VI. 542. *Certantia remis Brachia*] Id est, eadem velocitate natantia, ac navis beneficio remorum. Et hoc dicit, quia Leander noctu transmittebat natando Hellespontum ex Abydo, (unde *Abydenus* hic dicitur,) oppido sito ad oram Asiæ, ad visendam Heronem amicam, quæ in oppositi littoris urbe Sesto habitabat. Unde Musæus elegantissime de eo dicit: Αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, αὐτόστολος, αὐτόματος νηῦς, *Ipse erat remex, ipse classis, ipse mobilis navis.*

89 *Præluxi*] Id est, facem tuli ante eum natantem, quia noctu tranabat Leander, ut diximus. Alii legunt, *Prælusi*, id est, ante eum natavi, ut illum exemplo meo audaciorem redderem. *Sæva*] *Sæva* vero *æquora* dicit, quia tandem Leander in hoc mari periit: nam cum aliquoties feliciter sibi contigisset tranare mare, jam audacior factus, mari tumido et ventis agitato se commisit, et sic summersus est infelix juvenis.

90 *Veteres*] Pro veterum. *Juvenis*] Stellam alloquitur Amor.

92 *Plumis*] Cupidines enim erant alati.

Lumina detersi. Quoties mihi questus Apollo,
Sic vatem mœrere suum! jam, mater, amatos
Indulge thalamos: noster comes ille piusque
Signifer armiferos poterat memorare labores,
Claraque facta virum, et torrentes sanguine campos:
Sic tibi plectra dedit, mitisque incedere vates
Maluit, et nostra laurum subtexere myrto.
Hic juvenum lapsus, suaque, haud extrema, revolvit

pennis oculos lacrymis rigatos. Quoties Phœbus expostulavit mecum, sic suum Poëtam angi! Jam genitrix concede optatum conjugium. Ille noster socius, et religiosus signifer poterat canere bellicos labores, ingentiaque Heroum facinora, et campos exundantes cruore; sed tibi dicavit suam lyram, et maluit placidus vates esse, et subtexere laurum nostræ myrto. Hic memoravit primos juvenum amores,

---

Handius recepit *quotiens mihi* ex edd. Rom. Vicent. et Venett. Ita 'totiens mihi' I. 5. 2. et 'totiens mutare' Theb. I. 175. ante literam *m. Apollo est* Par. —94 Sic *vatem meruere* Venet. 1. Urat. supra *jam* scriptum habet *sic*. Ed. Grasseri *amaros* pro *amatos*.—95 *Indulget* Urat. et Venet. 1. Jacobsius in Matth. Miscell. Phil. I. p. 94. emend. *ille, pius qui Signifer, ... campos, Hic tibi . . . . myrto; Hic juvenum, &c.* 'Immo comma ponendum ante *qui*; sed verba *comes ille piusque Signifer* separari posse non puto.' *Lenz.* Rom. habet: *noster comes ille piusque. Signifer: armiferos, &c.* Editio Amstel. *priusque.* 'Ne quis mutet *ipse*, videat II. 4. 9. et Theb. v. 25.' *Hand.*—96 Heinsius maluit: *armigeros p. m. labores.* Sed cf. Theb. XI. 122. VI. 831. et Val. Flac. v. 618.—98 *Hæc tibi* Bernartius; *Hinc tibi* Aldd. Colin. Gryph. &c. *Hic tibi* Leid. Rom. Venett. 2. 3. 4. et Vicent. *noster comes . . . . poterat memorare . . . . campos, Hinc tibi* Gronovius; sed in Epist. 673. emend. *Nunc tibi*, ut sit *Nunc* pro adversativa *Sed*. N. Heinsius Syllog. Epist. Tom. II. p. 747. et Advers. p. 604. e cod. ut ait: *Sed tibi;* Ulitius in ineditis: *Quin tibi, &c.* comparato loco Virg. Æn. III. 456. *At tibi* malit Lenzius. Nostram lect. testantur Urat. Par. Venet. 1. et Parm. Deinde Heinsius emend. *mitique incendia voto Maluit*, aut *mitis i. voti Maluit.*—99 Venet. 1. *et vestra laurum subtexere quercu.* V. D. in exempl. Gott. *et nostræ l. s. myrto.*—100 N. Heins. Syllog.

NOTÆ

93 *Quoties mihi questus Apollo, Sic vatem mœrere suum*] Poëtæ enim erant in clientela Apollinis.

95 *Ille*] Stella.

96 *Signifer*] Supra Horatius: 'Et centum puer artium Late signa feret militiæ tuæ.' *Armiferos poterat memorare labores*] Stella enim carmine celebravit victoriam Domitiani de Sarmatis.

98 *Sic* [*Hinc*] *tibi plectra dedit*] Hinc, ex hac causa, quod tuo cultui omnino deditus est, scripsit elegias, et 'juvenum lapsus,' infra. *Mitisque incedere vates Maluit, et nostra laurum subtexere myrto*] Hoc est, maluit amores scribere, et a Venere coronam myrteam mereri. Errat Domitius, qui notat Stellam prætulisse myrtum, et elegiacum carmen, quod Veneris est, (unde hic *nostra myrtus* dicitur,) lauro, et graviori stylo: vult enim solum Papinius Stellam myrto subtexuisse laurum, hoc est, utramque coronam connexuisse. Carmina heroica laurum merentur Apollinis: carmina amatoria myrtum Veneris.

100 *Juvenum lapsus*] In amorem

Vulnera: pro quanta est Paphii reverentia, mater,
Numinis! hic nostræ deflevit fata Columbæ.
Dixerat; et tenera matris cervice pependit
Blandus, et admotis tepefecit pectora pennis.
Illa refert, vultu non aspernata rogari:
Grande quidem, rarumque viris, quos ipsa probavi,
Pierius votum juvenis capit: hanc ego, formæ
Egregium mirata decus, cui gloria patrum
Et generis certabat honos, tellure cadentem

et suas antiquas plagas. Quantum veneratur Paphium numen, o genitrix! ploravit mortem nostræ columbæ. Dixit, et blandus pependit e molli collo parentis, et tepefecit pectus ejus admotis alis. Illa respondit, innuens vultu, se non invitam orari: Pierius juvenis optat munus certe magnum, et tale raro concessi hominibus, quos ipsa magis dilexi. Ego hanc excepi nascentem, et fovi in meo gremio, mirata egregiam ejus pulchritudinem, cui par erat gloria majorum, et natalium splendor.



Epist. Tom. v. p. 533. Tom. II. p. 747. et in Advers. p. 604. legit *Hinc juvenum plausus*, aut *Hinc juveni plausus*. Vatt. 2. 3. Par. et Venet. 1. *aut extrema;* codex Voss. et Rom. *aut externa;* Vatt. 1. 4. *haud extrema;* Urat. *haud externa;* Parm. Vicent. et Venett. 2. 3. 4. *aut externa:* Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. 1. 2. Basil. 1. 2. Bern. Gevart. &c. *haud hesterna;* Gronovius scripsit *haud externa*, quod voluerat jam Avantius.—101 Rom. *proh quanta*, ut voluit Avantius.—102 Hopfius conjecit: *hinc nostræ deflevit, &c.*—103 *Finierat tenera* Urat. hinc Handius: *Finierat, teneraque matris cervice pependit* contra leges metricas. *Dempserat intenera* Venet. 1. *Dixerat et teneræ matris* Rom. Vicent. et Venett. 2. 3. 4.—105 Markl. conj. *vultu n. a. rogantem*, quod non improbat Lenzius.—106 Rom. et Venett. *ratumque;* correxit Avantius. Pro *quos* Urat. habet *quod*, litera *s* superscripta.—107 Omnes codd. et edd. vett. habent *cupit*, pro quo Marklandus recepit *cupit*, ut conj. Burmannus.—108 Aldus interpungit: *decus: c. g. patrum: Et g. c. honos: tellure, &c.*—109 *Et*

NOTÆ

scilicet.

101 *Paphii Numinis*] Veneris: Venus enim apud Paphum devotissime colebatur, et habebat ibi centum aras.

102 *Hic nostræ deflevit fata Columbæ*] Violantilla columbam in deliciis habebat. Hujus mortem carmine celebravit Stella. Martialis: 'Stellæ delicium mei columba, Verona licet audiente dicam Vicit, Maxime, passerem Catulli.' Inscriptio operis erat *Columba*. *Nostræ* vero, quia columbæ sacræ Veneri, et ejus currum trahunt.

106 *Grande quidem, rarumque viris, quos ipsa probavi, Pierius votum juvenis cupit*] Eodem alludit Martialis lib. VI. Epigr. 21. 'Perpetuam Stellæ dum jungit Ianthida vati, Læta Venus, dixit: Plus dare non potui.' Ubi notandus Martialis, qui Violantillam a proprio ejus nomine 'Ianthida' vocat: nam *viola* Græcis *ἴον* appellatur; hinc *ἰάνθινος*, *Violaceus*. Sic Cicero, teste Terentiano Mauro, *Violantem* dixit, quem Græci *Iolaum* nominant. *Pierius* vero est, Musis sacer, vel deditus.

109 *Tellure cadentem Excepi, fovique sinu*] Vide quæ diximus ad Theb. I. 60.

Excepi, fovique sinu ; nec colla genasque
Comere, nec pingui crinem deducere amomo
Cessavit mea, nate, manus : mihi dulcis imago
Prosiluit : celsæ procul aspice frontis honores,
Suggestumque comæ : Latias, metire, quid ultra
Emineat matres ; quantum Latonia nymphas

Nec mea manus desiit, o fili, ornare cervicem ejus et faciem, et ungere comam amomo. Mea dulcis imago mihi resultavit. Specta ornatum frontis arduæ et turritam comam. Considera eum tantum superare matronas Romanas, quantum

generi Venet. 1.—110 Lindenbrog. ad Terent. Andr. I. 3. 14. h. l. ita descripsit : *Excepi gremioque fovi,* negligentia, an ignorantia quantitatis, an utraque ?—113 Leid. *honorem,* quod recepit Handius.—114 Markl. legi vult *quod*

NOTÆ

111 *Crinem deducere amomo*] Est ductim vel tractim ungere, linire. Petronius : ' Capillos meos lenta manu duxi.' Sic ' ebur ducere pollice,' pro tractim pollice ebur pulsare, vel mulcere apud Claudianum : ' Et levi resides modulatus pectine nervos Pollice festino mobile duxit opus.' *Amomo*] Amomum genus aromatis, ex quo unguentum odoratissimum conficiebatur. Vide Theophrast. Hist. Plant. lib. IX. cap. 7. Dioscoridem, et Plinium lib. XIII. cap. 12. Proveniebat in Assyria et Armenia. Inter unguenta crinibus adaptatur.

112 *Mihi dulcis imago Prosiluit*] Domitius videtur innuere Venerem velle, Violantillæ faciem velox incrementum accepisse, ut munus scilicet ejus in illius ore formaque cito homines admirarentur. Parrhasius vero ac Politianus putant mentem Poëtæ esse, Venerem in comenda Violantilla adeo laborasse, ut cosmetæ vicem præstaret, et ornante se Violantilla ex adverso speculum sustinuerit : in quo Violantillæ imago resultabat seu prosiliebat. Donatus : ' Causa inspiciendi speculi emendatio vultus est, effectus formæ per imaginem resultatio.' Ego vero existimo mentem Statii esse, Veneri resultare suam imaginem, intuendo vultum Violantillæ, ac si in speculo se ipsam respiceret. Unde infra Venus dicit, *meque dedi.* Hinc Poëta vult, intelligi Violantillam esse pulcherrimam, utpote similem Veneri.

114 *Suggestumque comæ*] Suggestus veteribus quicquid exstruitur cum apparatu. Tangit autem morem priscum, quo matronæ ad verticem capitis convolutos in modum turris capillos gerebant. Superiori versu vocat *celsæ frontis honores;* quo spectat illud Juvenal. Satir. VI. ' Tot adhuc compagibus altum Ædificat caput.' ' Turritam frontem ' vocat Lucanus, ' turritum verticem ' D. Prosper Epist. ad Demetriadem, ' Turritum caput ' Prudentius Psychom. Gevartius per *suggestum comæ* intelligit crines in gradus fractos, quos gradus vocat ' ordines ' Juvenalis. Suetonius Nerone cap. 51. dixit ' comam in gradus formatam.' Manilius : ' crines in fluctum ponere.'

Latias] Romanas.

115 *Quantum Latonia nymphas Virgo premit, quantumque egomet Nereidas*

Virgo premit, quantumque egomet Nereidas exto.
Hæc et cœruleis mecum consurgere digna
Fluctibus, et nostra potuit considere concha:
Et si flammiferas potuisset scandere sedes,
Hasque intrare domos, ipsi erraretis, Amores.
Huic quamvis census dederim largita beatos,
Vincit opes animo: queritur jam Seras avaros

Latonia puella obruit Nymphas, et quantum ego emineo supra Nereides. Hæc meruit mecum oriri e cœruleis undis, et vehi nostra concha. Et si potuisset ascendere cœlestes plagas, et ingredi has domos, ipsi vos Cupidines in illa falleremini. Quamvis illi largita sim amplissimas opes, eas vincit animo. Queritur Seres nunc



ultra, improbante Handio. Venet. 1. pro *metire* habet *nectire.*—116 Venet. 1. *æstu* pro *exto.*—118 Schraderus in ineditis conj. *nostra pariter considere concha.* —119 *Et si flammigeras* Urat. Cf. Val. Flac. I. 4. Theocr. XXIV. 77.—120 Morel. conj. *ipsi arderetis.*—122 *Vincit ope atque animo* Venet. 1. et ita voluisse Morellum putabis ob exempla ab eo comparata. *seres* Urat. *serus*

NOTÆ

exto] *Latonia*, Diana Latonæ filia.

Nymphas] Nymphæ Deæ fontium et aquarum, et præsides nemorum.

Nereidas] Nereides filiæ Nerei Dei marini.

Exto] Alludit forte ad statuam Veneris, quæ circumfusis Nereidibus stipatur et hac specie effìcta stabat in æde Neptuni ad Isthmum. Pausanias Corinth. Eadem comparatione usus Papinius Achill. I. 'Sed quantum Pelagi Venus addita Nymphas Obruit, aut humeris quantum Diana relinquit Naiadas.' Ibidem: 'Tantumque admota superbo Vincitur Æacide, quantum premit ipsa sorores.'

117 *Cœruleis mecum consurgere digna Fluctibus, et nostra potuit considere concha*] Respicit fabulam, qua Venus dicitur e mari emersisse in concha. Hinc vocata ἀναδυομένη, *anaduomene*, id est, surgens, eamque sic pinxit Apelles. Hinc etiam conchæ sacræ Veneri, et 'Venereæ' dicuntur. Coma Earini de Venere: 'Fors et de puppe timenda Transferet, inque sua ducet super æquora concha.'

119 *Flammiferas sedes*] Cœlos stellis conspersos.

120 *Has*] Δεικτικῶς. Supple cœlum. *Ipsi erraretis, Amores*] Id est, Violantillam a matre non possetis distinguere ob formæ ac pulchritudinis æqualitatem. Ejusdem sententiæ est veteris auctoris epigramma in puellam formosam: 'Quid gnatum cædit Venus? arcum perdidit. Arcum Quis rapuit? Thusco Flavia nata solo. Qui factum? petit hæc, dedit hic: nam lumine formæ Deceptus, matri se dare crediderat.' *Amores*] Cupidines.

122 *Vincit opes animo*] Animus et opes non semel juncta a Papinio. III. Sylvarum, Surr. Hercule: 'Macte animis opibusque.' Hic arguit magnificentiam et magnitudinem animi Violantillæ. *Seras*] Seres populi Scythiæ Asiaticæ. Sunt qui dicunt hodie vocari *Kathajos.*

Augustum spoliasse nemus, Clymeneaque deesse
Germina, nec virides satis illacrymare sorores:
Vellera Sidonio jam pauca rubescere tabo,
Raraque longævis nivibus crystalla gelari.
Huic Hermum, fulvoque Tagum decurrere limo,

parcius denudare divitem sylvam, et Clymeneas arbores deficere, nec virides sorores satis plorare, et lanas nunc raro rubescere Tyria purpura, ac pauca crystalla concrescere longævis nivibus. Hujus gratia jussi Hermo et Tago, ut volverent aureas

Venet. 1.—123 *Augustum s. nemus* Heins. et Peyrar. quod unus codex Urat. exhibet: reliqui libri omnes, etiam Vatt. *Augustum*, cum omnibus edd. *spoliare* edd. vett. correxerunt Heins. et Markl. *dumeta decsse* Venet. 1. *clymenaque deesse* Venett. 2. 3. 4.—127 *Hinc hermum* Venet. 1. *flavoque* in quibusdam

NOTÆ

123 *Augustum spoliasse nemus*] Statius hic sequitur sententiam veterum, qui putabant sericum nihil aliud esse, quam arborum lanam pretiosissimam ac tenuissimam, quam Seres ex quibusdam arboribus depecterent. Vide Virg. Georg. II. Plin. lib. VI. cap. 23. Solinum cap. 51. Senecam tragicum Hercule Œtæo, Tertullianum de Habitu Muliebri, Ammianum Marcellinum lib. XXIII. Alii vero non ex arboribus, sed ex vermibus quibusdam fuisse tradunt. Pollux ad Commodum lib. VII. Zonaras in Vita Justiniani, sericum a Romanis (intelligit Constantinopolitanos) texi cœptum scribit, cum antea a Persicis mercatoribus tantum importaretur, nec Romani scirent fila esse vermium. Et addit duos monachos ova vermium ex India attulisse, unde toti fere Europæ copia facta. Procopius eadem fere de Bello Persico lib. I. Hinc bombycina cum serico confuderunt.

Clymeneaque deesse Germina, nec virides satis illacrymare sorores] Per *Clymenea germina* intelligit Electrum seu Succinum, quod finxerunt Poëtæ nasci ex lacrymis filiarum Clymenes, et sororum Phaëtontis, quæ mœrore ejus mortis in populos arbores juxta Padum seu Eridanum amnem conversæ fuerunt. Ovid. Met. II. 'Inde fluunt lacrymæ, stillataque sole rigescunt De ramis electra novis, quæ lucidus amnis Excipit, et nuribus mittit gestanda Latinis.' De loco vero ubi proveniat electrum seu succinum, non convenit inter scriptores. Vide Theophrastum, Plinium lib. XXXVII. cap. 2. Isidorum lib. XVI. cap. 8. Ceterum notandum est præter succinum, metalli genus etiam esse quod 'electrum' vocatur. Vide Plinium lib. XXXIII. cap. 4. et Nostrum Theb. IV. 270.

125 *Vellera Sidonio jam pauca rubescere tabo*] Notat purpuram Tyriam, quæ hic *tabum Sidonium* dicitur, ob viciniam Sidonis et Tyri. Vide quæ diximus ad Theb. I. 517.

126 *Raraque longævis nivibus crystalla gelari*] Crystallus est glacies concreta in lapidis duritiem. Seneca Quæst. Natur. lib. III. Huic tamen inest multum substantiæ terrenæ, unde mineralibus annumeratur. Vide Isidorum lib. XVI. cap. 13. Plinium lib. XXXVII. cap. 2. Thevetum in Cosmog. et alios Philosophos.

Longævis nivibus] Quod crystallus nix sit glacie durata per annos, ut ait idem Isidorus.

127 *Hermum*] Hermus in Dorilo

(Nec satis ad cultus) huic Inda monilia Glaucum,
Proteaque, atque omnem Nereida quærere jussi.
Hanc si Thessalicos vidisses, Phœbe, per agros,
Erraret Daphne secura: in littore Naxi

arenas, (nec sufficit ad ornatus) in ejus usum præcepi Glauco, Proteoque, et cunctis Nereidibus, ut scrutarentur margaritas Indicas. Apollo, si hanc vidisses in campis Thessaliæ, Daphne vagaretur secura. Si hæc visa fuisset in littore insulæ Naxi

codd.—128 Venet. 1. *hinc inda;* Urat. *huic vincla;* in alio libro *huic uda.* Bernartius hos versus disposuit hoc ordine: *Nec satis, &c. Proteaque, &c. Huic Hermum, &c.*—131 *Erraret secura Daphne: si, &c.* Aldus distinguit post *Daphne;* unde Gevartius: *Erraret Daphne: si curvo in, &c.* et sic in Sen. quod placuit Scaligero, Cruceo, Barthio, Vossio. Nostra distinctio apparet in Vat. 3. *Erraret secura Daphnes* Vindob. unde fortasse Tollii emend. proba-

NOTÆ

monte fontem habens, interfluensque Smyrnæum agrum, Phrygiamque a Caria dividens, tandem Lydiam alluens, in mare influit. Arenas aureas trahere dicitur. *Tagum*] Tagus Hispaniæ fluvius, aurifer, si fides adhibetur veteribus, fontem habet in Celtiberia, dividit Lusitaniam, et ultra Ulyssiponam in Oceanum evolvitur. Hodie vocatur Tajo. Et hunc, et multos alios Lusitaniæ fluvios etiamnum auriferos esse affirmat vir fide dignus Emanuel Henricus Ortelius. *Fulvo limo*] Id est, aureo. *Fulvum* enim proprium epitheton auri. Idem omnino Martialis de Stella sponso Violantillæ dicit lib. VII. Epigr. 78. ubi ludorum Stellæ magnificentiam describit: 'Non illi satis est turbato sordibus auro Hermus, et Hesperio qui sonat orbe Tagus.'

128 *Nec satis ad cultus*] Hoc non solum in gratiam Violantillæ dicit Poëta, sed etiam in gratiam ipsius Stellæ, quem Martialis adeo magnificum ac nitidum in cultu depingit, ut singulis manum articulis plurimas gemmas ferret, lib. V. Ep. 11. ad Severum: 'Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Iaspidas uno Versat in articulo Stella, Severe, meus. Multas in digitis, multas in carmine gemmas Invenies: unde est hæc, puto, culta manus.' *Inda monilia*] Per Inda monilia designat margaritas et uniones, ex quibus conficiuntur monilia, quas in Indico mari pretiosiores esse scribit Plinius lib. IX. cap. 35. quem vide. Et hodie celebris est in hoc mari piscatio margaritarum. *Glaucum*] Glaucus Deus marinus. Vide quæ diximus de Glauco Theb. VII. 335.

129 *Proteaque*] Proteus Deus marinus, filius Oceani et Tethyos, Neptuni Phocas in mari pascens, denique vaticiniorum peritissimus, assumens quaslibet formas; unde natum proverbium: 'Mutabilior Proteo.' Hunc Herodotus facit Ægypti regem. Vide Virgil. Georg. IV. *Nereida*] Vide supra vs. 115.

130 *Thessalicos*] Id est, Thessaliæ regionis Græciæ, quæ ex una parte Bœotiam, ex altera Macedoniam attingit, ad mare inter Peneum et Thermopylas extensa: prius Æmonia, et Pelasgica Argos, Dryopisque dicta: dividitur in quatuor partes, Thessaliotin, Phthiotin, Pelasgiotin, et Testietin.

131 *Daphne*] Daphne filia Ladonis fluvii, adamata ab Apolline, et in lau-

Theseum juxta foret hæc conspecta cubile,
Gnosida desertam profugus liquisset et Evan.
Quod nisi me longis placasset Juno querelis,
Falsus huïc pennas et cornua sumeret æthræ
Rector, in hanc vero cecidisset Jupiter auro.
Sed dabitur juveni, cui tu, mea summa potestas

prope lectum Thesei, Bacchus profugisset cum ea et liquisset Cretensem, quam Theseus deseruerat. Quod nisi me Juno leniisset longis querelis, Jupiter rex cœli pro illa cepisset falsas alas et cornua, et in hanc illapsus esset conversus in verum aurum. Sed tradetur juveni, cui, tu, fili, meæ vires, exoptas illam: licet mærens

bilis videatur. Reliqui omnes vulgatum ordinem servant. *Daphnes* Vatt. 3. 4. Urat. et Venet. 1. *Daphne* Vatt. 1. 2. Leid. et Par.—133 *Euhan* Rom. Venett. 2. 3. 4. et Leid. *Euahn* Vicent.—134 *Quod nisi nec* Venet. 1.—135 *Falsas* codd. cum Venet. 1. Rom. Parm. Brix. et Vicent. *hinc pænas* etiam in Venet. 1. *Falsus* codex Drackenb. cum Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. 1. 2. &c.—136 *Rector in hanc alio* conj. Markland. vel *fulvo*, vel *pluvio;* Lenzius conj. *raro*, vel *udo;* Jacobs. *puro;* Burmannus *iterum*. Post *Rector* Handius ponit

NOTÆ


rum conversa. Vide Ovid. Met. I. *Secura*] Non enim hanc insecutus fuisset Apollo, sed Violantillam. *In littore Naxi Theseum juxta foret hæc conspecta cubile, Gnosida desertam profugus liquisset et Evan*] Hæc, supple Violantilla, si visa fuisset in littore Naxi juxta lectum Thesei, non autem Ariadna, Violantillam Bacchus adamasset, et uxorem duxisset, non Ariadnam, quam Theseus deseruerat. Hæc vero illustrari debent a fabula. Dicunt poëtæ Theseum, rapta Ariadna, filia Minois regis Cretæ insulæ, devenisse ad insulam Naxon, eaque ibi relicta, navigasse repetiturum patriam: Bacchum vero, qui et *Evan* dicitur, adamasse Ariadnam, et sibi matrimonio junxisse. Vocat autem hic Poëta Ariadnam, Gnosida, a Gnoso primaria urbe insulæ Cretæ. *Desertam* vero, quia eam reliquerat Theseus, navigaturus Athenas. Hinc Poëta innuere vult Violantillam et pulchriorem esse Daphne et Ariadna. De Naxo insula vide Achill. lib. II.

135 *Falsus huïc pennas et cornua sumeret æthræ Rector, in hanc vero cecidisset Jupiter auro*] His duobus versibus Poëta tres fabulas complectitur; quibus dicitur Jupiter, modo pennas sumsisse, cum mutatus in Cycnum concubuit cum Leda, modo cornua, cum mutatus in taurum rapuit Europam, et modo conversus in aurum, cum penetravit in cubiculum Danaës. Unde colligit Violantillam pulchriorem esse Leda, Europa, et Danaë. *Æthræ*] Pro æthere seu aëre Poëticum. Cicero de Natura Deorum lib. II. 'Aërem complexa summa pars cœli, quæ Æthra dicitur, et suum retinet ardorem tenuem, et nulla admissione concretum, et cum aëris extremitate conjungitur.'

137 *Tu, mea summa potestas Nate*] Imitatio Virgiliana: 'Nate meæ vires, mea summa potentia.'

Nate, cupis: thalami quamvis juga ferre secundi
Sæpe neget mœrens: ipsam jam cedere sensi,
Inque vicem tepuisse viro. Sic fata, levavit
Sidereos artus; thalamique egressa superbum
Limen, Amyclæos ad fræna citavit olores.
Jungit Amor, lætamque vehens per nubila matrem
Gemmato temone sedet. Jam Tybridis arces
Iliacæ: pandit nitidos Venus alma penates,
Claraque gaudentes plauserunt limina cycni.

sæpe recusaverit subire jugum secundi conjugii. Jam animadverti hanc moveri, et illum vicissim adamare. Sic locuta, levavit ex lecto cœlestes artus, et egressa magnificis foribus sui cubiculi, vocavit ad currum cycnos Amyclæos. Cupido eos jugat, et insidens temone gemmato, ducit per aërem lætam parentem. Jam arces Romæ apparent. Superba domus pandit splendidos lares Violantillæ, et hilares cycni



colon.—137 *Si dabitur* Venet. 1.—139 *Sede neget m. ipsum* Venet. 1494. Correxit Avantius. Venet. 1. *cedere sensu.*—140 Venet. 1. *locavit.*—141 *Sidereos arcus* in eadem.—142 *Lumen* Venet. 1. et Vicent. Antiquæ edd. *Amycleos.* Pro *citavit* Heinsius conj. *agitavit.*—143 Venet. 1. *lætamque vehemens.*—144 *Germano temone* Venett. quod corrigi jubet Avantius. Venet. 1. habet: *vas tibridis arcis;* Rom. *tam tibridis arcis;* Venett. 2. 3. 4. *jam, &c.* Barthius mallit: *jam ad Tibridis arces Iliacas pandit, &c.* aut; *jam ad Tibridis actus Iliaci;* V. D. in exempl. Gott. *jam Tibris et arces Iliacæ.*—145 *Illiaiæ* edd. antiq. *rutilos domus alta* Venet. 1. *nitidos domus alta* codd. Sen. Drakenb. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Urat. et Capil. cum Parm. Venett. 2. 3. 4. Vicent. Rom. 1. 2. Brix. Aldd. 1. 2. Colin. Basil. 1. 2. Gryph. 1. 2. Bern. Til. Cruc. Morel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. idque revocavit Handius. *Venus alma* mera est conjectura Marklandi.—146 *Caraque* mavult Heins. ad Ovid. Met. II. 867. *plaudentes plauserunt* Leid. *littora cygni* Venet. 1. Hopfius conj. *omina;* Heusingerus ad Vechneri Hellenolex. I. 7. p. 89.

NOTÆ

138 *Thalami secundi*] Vidua enim erat Violantilla.

140 *Inque vicem*] Pro vicissim.

142 *Amyclæos olores*] Vocat olores *Amyclæos*, vel quod Jupiter mutatus in cycnum concubuit cum Leda Tyndari regis Amyclarum uxore: vel quod olores abundarent in Laconia, cujus urbs Amyclæ, in fluvio Eurota qui Theb. IV. dicitur 'olorifer,' ut in bonæ notæ membranis legitur, quodque in Parisiensi receptum est.

141 *Gemmato temone*] Id est, ex gemmis confecto. *Sedet*] Ergo temoni insidebat. *Tybridis*] Tiberis notissimus fluvius Italiæ præterfluens Romam: prius Albula, a Tiberino vero Albæ rege in hoc summerso, Tiberis vocatus. Vide ejus descriptionem apud Plinium lib. III. cap. 5. *Arces Iliacæ*] Supple, apparent, vel videntur. *Iliacæ* vero, quia Roma condita fuit a posteris Trojanorum ab Ilio, seu Troja, cum Ænea in hæc loca advectorum.

Digna Deæ sedes, nitidis nec sordet ab astris.
Hic Libycus, Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent: hic flexus onyx, et concolor alto
Vena mari, rupesque nitent, quis purpura sæpe
Œbalis, et Tyrii moderator livet aheni.

pennis plauserunt ad clara limina. Locus convenit numini, nec ipsi vilis apparet præ cœlesti sua domo. Hic lapis Phrygius et Libycus; hic dura marmora Laconum virent: hic onyx ductilis in varia opera, et vena coloris marini, et Porphyrites micant, quibus ostrum Laconicum et murex Tyrius sæpe invident. Porticus inni-

lumina.—147 Venet. 1. *viridis nec s. ab astris;* Burm. conj. *rutilis;* Markl. *summis.*—148 *Nec libyus* Venet. 1. *Hic libyus* Salmas. *phrygiusve* Par. et Venet. 1. *clara Laconum* conj. Markl.—149 Venet. 1. *his flexus;* Sen. *fossus onyx;* quod probaverunt Voss. et Hopfius. N. Heins. conj. *fuscus*, vel *fletus*. Markl. *concolor atro;* Venet. 1. *concolor auro.*—150 Eadem, *rupesque nitet.* Pro *sæpe* Markl. et N. Heins. conj. *cedit:* Heins. conj. etiam *cedens;* maluit tamen: *purpura pæne Invidet.*—151 Pro *moderator* Peyrar. tentabat *maculator;* et

NOTÆ

147 *Nitidis nec sordet ab astris*] Dicit tantam esse pulchritudinem ac nitorem domus Violantillæ, ut, comparata cum cœlesti æde Veneris, non vilis appareat oculis Deæ.

148 *Libycus*] Intelligit marmor Numidicum: Numidia vero pars Libyes seu Africæ, unde hoc marmor Libycum vocatur. *Phrygiusque silex*] Notat marmor Sinadicum. In territorio enim Sinadæ urbis Phrygiæ, vico Docimo vocato, fodiebatur marmor, quod incolæ 'Docimeum' appellabant, Romani 'Sinadicum,' ex quo fiebant columnæ ingentes colore Alabastriti lapidi similes. Strabo lib. XII. *Hic dura Laconum Saxa virent*] Designat marmor Laconicum pretiosissimum, ut scribit Plinius, viride cunctis hilarius. Isidorus lib. XVI. cap. 5.

149 *Flexus onyx*] Onyx, genus marmoris, seu lapidis, quem 'Onychitem' vocat Plinius, in Arabiæ montibus effodi solitum, nec usquam alicubi: colorem unguis habet, unde nomen traxit: ὄνυξ enim Græce significat *unguem*. Inventus fuit in Germania, ut scribit idem Plinius lib. XXXVI. cap. 7. Dicitur *flexus*, quoniam, ut refert idem Plinius ex Nepote, varia opera ex eo conficiebantur, vasa scilicet potoria, pedesque lectorum, sellæque, &c. *Et concolor alto Vena mari*] Aliqui intelligunt Porphyreticum; sed male; nam illud potius designatur per *rupes*, quibus *purpura Œbalis invidet*, infra. Alii potius Augustæum marmor designari existimant, quod sit undatim crispum in vertice, ut scribit Plinius lib. XXXVI. cap. 8. Alii denique Caristium, quod sit glaucum instar maris.

150 *Rupesque nitent, quis purpura sæpe Œbalis, et Tyrii moderator livet aheni*] Hoc dicendi genere Porphyreticum marmor intelligitur, ut supra diximus. *Purpura Œbalis*] Id est, Lacedæmonia; hæc enim Spartæ laudatissima tingebatur, teste Plinio lib. IX. cap. 36. Ejusdem meminit et Papinius Theb. IX. 'Œbalio saturatam murice pallam.' Œbalia enim regio Laconiæ. Et Horatius 'Laconicas purpuras' dicit.

151 *Tyrii aheni*] In quo scilicet pur-

Pendent innumeris fastigia nixa columnis;
Robora Dalmatico lucent satiata metallo:
Excludunt radios sylvis decussa vetustis
Frigora; perspicui vivunt in marmore fontes.
Nec servat Natura vices: hic Sirius alget,
Bruma tepet; versumque domus sibi temperat annum.
Exultat visu, tectisque potentis alumnæ
Non secus alma Venus, quam si Paphon æquore ab alto,

tuntur pluribus columnis: laquearia nitent incrustata auro Dalmatico. Antiquæ et umbrosæ sylvæ arcent radios solis. Pellucidi fontes fluunt in marmore. Nec natura servat tempestatum vices: hic Sirius riget, hyems calet, et domus mutat sibi annum, et moderatur. Venus æque gaudet videre et subire ædes divitis alumnæ,



Heins. in Advers. p. 604. *moderatrix.*—152 *Splendent* malit Marklandus.—153 *Dalmatio* Rom. 1. 2. Venett. 2. 3. 4. et Til. *Dalmatico* codd. cum Venet. 1. et Aldd. *sociata metallo* conj. Bern. et Lipsius; Piccartus e codice suo *sancita metallo.*—154 Handius ex duobus codd. et Parm. edidit *sylvis demissa;* Heins. conj. *demulsa*, aut *diffusa.*—155 Heins. ad Claud. Ruf. I. 153. Advers. p. 605. et Epist. Syllog. Tom. V. p. 533. correxit: *in murmura fontes.*—157 Idem in ineditis legi jubet: *vernumque domus, &c.*—158 *Exultant visu* Venet. 1. *tectumque* tentabat Markl.—159 Venet. 1. *quæ se phaon.*—160 *Idaliasque*

NOTÆ

pura Tyria omnium præstantissima tingebatur.

Moderator] *Moderator* Gevartio est, tinctor purpuræ Tyriæ, seu sericobapta. Cruceo vero *moderator aheni Tyrii*, murex, qui eadem ratione dicitur *moderator*, qua Psittacus, II. Sylvarum, dicitur 'regnator plagæ Eoæ.' In quo enim loco unumquodque eminet præ aliis, ibi regnare quodammodo dicitur.

153 *Dalmatico metallo*] Id est, auro Dalmatico: aurifodinæ enim repertæ sunt in Dalmatia tempore Neronis. Dalmatia vero pars Illyrici contermina Liburniæ ad occasum. Statius IV. Sylvarum ad Junium: 'Dalmatæ montes, ubi Dite viso Pallidus fossor redit, erutoque Concolor auro.' Idem Lach. Hetrusci: 'Quicquid ab auriferis ejectat Iberia fossis, Dalmatico quod monte nitet.' Robora, seu trabes, ac laquearia primo inaurata sunt in Capitolio post Carthaginem eversam: mox in privatis domibus auro tecta fuerunt. Vide Plinium lib. XXXIII. cap. 4.

154 *Sylvis decussa vetustis Frigora; perspicui vivunt in marmore fontes*] Nemus enim erat in ædibus Violantillæ juxta fontem, quod etiam testatur Martialis: 'Fons Dominæ regina loci, quo gaudet Ianthis.' *Frigora*] A consequenti, quod præcedit, intelligit: nam cum ex umbris frigora fiant, hoc pro umbris accepit. *Vivunt*] Id est, fluunt. Sic Theb. IX. 'Purgatura malum fluvio vivente soporem.' Et Virg. 'Et me flumine vivo Abluero.'

156 *Sirius*] Sidus caniculæ calidissimum. Vide Theb. I.

159 *Paphon*] Paphos oppidum Cypri, in quo religiose colebatur Venus, ut omnes sciunt.

Idaliasve domos, Erycinave templa subiret.
Tunc ipsam solo reclinem affata cubili:
Quonam hic usque sopor, vacuique modestia lecti,
O mihi Laurentes inter dilecta puellas?
Quis morum, fideique modus? nunquamne virili
Summittere jugo? veniet jam tristior ætas:
Exerce formam, et fugientibus utere donis.

ac si a profundo mari intraret Paphon, et Idalias domos, ac delubra Erycina. Tunc allocuta ipsam jacentem in lecto cœlibe: Quonam usque sola dormies in viduo cubili, o mihi carissima inter matronas Romanas? Quis modus tuæ fidei, et vitæ severitatis? Nunquamne recipies jugum maritale? Mæstiores anni jam prope aderunt. Cape fructum ex tua forma, et fruere fugitivis muneribus. Non ideo largita sum tibi

. . . . *Erycinaque* omnes codd. et edd. vett. quod reposuit Handius. Mutavit Markl. *subire* pro *subiret* Venet. 1.—161 Codd. Leid. Drakenb. et Par. cum Venet. 1. Rom. Vicent. Brix. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Bern. *reclivem.* Præterea Rom. habet *ipsa solo.* Primus edidit Lindenbrog. *reclinem*, quem recentiores secuti sunt. Venet. 1. *ad fata.*—162 Markl. pro *sopor* conj. *pudor*, quam conjecturam postea rejecit ad III. 4. 94.—164 Rom. et Venett. 2. 3. omittunt *que* post *fidei.* Avantius correxit *fideive.* Vide ad vs. 160.—166 *Exercet* Venet. 1.—168 Venet. 1. et Parm. *transmutare* pro

NOTÆ

160 *Idaliasve*] Idalium sive nemus sive oppidum in Cypro, sacrum Veneri. *Erycinave templa*] Intelligit templum divitiis et reliquo cultu longe celeberrimum, quod Venus habebat in Eryce monte Siciliæ. Hujus templi conditorem facit Æneam Virgilius his versibus: 'Erycino in vertice sedem Fundabat Veneri Idaliæ.' De hoc templo vide Polybium lib. I. Strabonem lib. VI. et Diodorum Siculum et Ciceronem in Verrinis. Fuit etiam ejusdem Veneris Erycinæ templum Romæ apud portam Collinæam, ut colligitur ex Livio pluribus in locis, et Ovidio Fast. IV. Testatur etiam Torrentius apud se fuisse nummum C. Considii Noniani, cum Veneris imagine parte una, altera vero ipsius templi in monte positi: ascriptum: ERYC.

162 *Vacui*] Quia vidua erat Violantilla.

163 *Laurentes*] Id est, Romanas, a Laurento urbe Latii, Pici regis opere, sita non procul Lavinio. *Puellas*] Abusive, quia Violantilla non erat viro conjuncta.

165 *Summittere jugo*] Translate et metaphorice; ut et illud Plauti: 'Jamne ea fert jugum?' Et Horatii: 'Nondum subacta ferre jugum valet Cervice.' Nam quod de jugo matrimonium contrahentibus imponi solito adducunt Servius et Isidorus, non fuit, ut doctissimi unquam firmarent, ut ait, Bernartius.

166 *Exerce formam, et fugientibus utere donis*] Poëtæ similibus adhortationibus pleni sunt. Tibullus lib. I. 'Jam surrepet iners ætas, nec amare licebit, Dicere nec cano blanditias capiti.' Idem: 'Dum primi floret tibi temporis ætas, Utere.' Propert. lib. IV. Eleg. 5. 'Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus, Utere.'

Non ideo tibi tale decus, vultusque superbos,
Meque dedi, viduos ut transmittare per annos
Ceu non cara mihi: satis, o, nimiumque, priores
Despexisse procos: at enim hic tibi sanguine toto
Deditus, unam omnes inter miratur amatque,
Nec formæ, nec stirpis egens; nam docta per urbem
Carmina qui juvenes, quæ non didicere puellæ?
Hunc et bissenos (sic indulgentia pergat

tantam venustatem, ac tam eximiam pulchritudinem, meque ipsam, ut exigeres viduam ætatem, ac si non esses mihi dilecta. Satis nimiumque est, contemsisse priores procos. At ille Stella obstrictus tibi toto corde, nec carens specie nec genere, inter hos omnes, te miratur, ac unam deperit. Qui adolescentes, quæ virgines in urbe non didicerunt elegantes ejus versus? Et videbis ferri ante illum duodecim

transmittare.—169 Urat. omittit *o*; Venet. 1. et Parm. *clara mihi.*—170 N. Heinsius delendum censuit *hic*, quod omnes codd. et edd. vett. testantur.—172 Boxhornius in Epist. ad Gronov. p. 62. et V. D. in Exempl. Gott. legunt: *jam docta per urbem.*—173 Venet. 1. *quæ juvines.* Haudius delet comma post *Carmina.*—174 *Hunc et bissenus* Venet. 1. Editiones ante Aldinam inter-

NOTÆ

167 *Vultusque superbos*] Pulcherrimæ enim sæpius superbæ.

168 *Meque dedi*] Id est, pulchritudinem meam. Et hinc illustratur locus supra hujusce Epithalamii: 'Mihi dulcis imago Prosiluit.'

170 *Sanguine*] Pro corde seu animo.

172 *Nec stirpis egens*] Gens Arruntia, ex qua Stella, quamvis Romæ plebeiis a Panvinio annumeretur, nihilominus patriciam fuisse patet supra vs. 71. Gens ista consulibus inclaruit L. Arruntio, qui cum M. Claudio Marcello Æsernino, anno U. C. 732. consulatum tenuit, itemque L. Arruntio præcedentis filio, qui cum M. Æmilio consulatum iniit anno U. C. 759. et fuit ille, de quo, apud Tacitum, Augustus supremis sermonibus, cum tractaret, quinam adipisci principalem locum suffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem possent, cuperentque: 'Manium Lepidum,' dixerat, 'capacem, sed aspernantem: Gallum Asinium avidum, et minorem: L. Arruntium, non indignum, et, si casus daretur, ausurum.' Et forsan fuit ille, qui, ut idem Tacitus observat, Tiberio suspectus ac infestus, tandem, ne ejus cæde gloriaretur, sibi ipsi venas secuit, ac mortem intulit.

173 *Carmina*] Quæ scilicet composuerat Stella in laudem Violantillæ suæ.

174 *Hunc et bissenos, &c.*] Per *bissenos fasces* intelligit consulatum; duodecim enim fasces præferebantur ante consulem, ut omnibus notum. Et illum obtinuit Noster Stella; nam consulem fuisse patet ex Martiale lib. XII. Ep. 3. ad Librum suum: 'Vel si malueris, prima gradiere Suburra: Atria sunt illic consulis alta meæ. Laurigeros habitat facundus Stella penates, Clarus Hianteæ Stella petitor aquæ.' Pro quo consulatu idem Poëta votum fecerat Apollini lib. IX. Epig. 43. quod vide. Sed

Præsidis Ausonii) cernes attollere fasces
Ante diem : certe jam nunc Cybeleia novit
Limina, et Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.

fasces, (sic favor principis Romani continuet,) licet non attigerit legitimam ætatem. Certe jam prætor præfuit ludis Megalensibus, qui celebrantur ante ædem Cybeles,

---

punctionem habent post *pergat.*—175 *Præsibus* Venet. 1.—176 Vicent. *Cybellia ;* Venett. Rom. Parm. Brix. &c. *Cybelia.* Par. Urat. Rom. Vicent. Venett. 1. 2. 3. et Parm. *movit* pro *novit*, quod Avantio et Piccarto placuit. —177 *Lumina* Venet. 1. Sabellicus ad Plin. p. 160. corrigendum censuit :

NOTÆ

Noster Stella ex eorum non fuit numero, qui majores seu ordinarii erant; quique in Fastis designabantur, ac nomen anno dabant; sed ex iis qui minores, vel suffecti dicebantur, et fruebantur toga prætexta, sella curuli, lictoribus et fascibus duodecim, ut majores consules. De quodam etiam consulatu L. Arruntii Stellæ sub Trajano Imperatore meminit tabula ænea, quam Aldus Manutius de Orthog. Rat. exhibet : cujus initium est tale : L. ARRUNTIO STELLÆ L. JULIO MARINO COS. &c. Legitur et in Suetonio Camillus Arruntius consul cum Gn. Domitio Ænobarbo, cum ait Othonem Imp. natum Camillo Arruntio, Domitio Ænobarbo Coss. sed verisimiliter mendum est hic ; nam Tacitus cum eodem Domitio facit Camillum Scribonianum consulem, et sic correxit in fastis Panvinius.

175 *Præsidis Ausonii*] Domitiani. *Ausonii*] Romani. Præses etiam Martiali pro imperatore lib. v. 'Lætus et attonitus viso modo præside mundi.' Idem alibi : 'Terrarum Dea gentiumque Roma Dixit præside gloriosa tali.'

176 *Ante diem*] Mens : Stellam perventurum ad consulatum favore Domitiani, antequam ei liceret per ætatem. Lege enim Villia, definita erat ætas, qua quisque ad dignitates pervenire posset ; sed imperatores rigorem legum moderabantur, ut sibi placebat. Legitima autem ætas adipiscendi consulatus erat 43. annorum. Cicero Phil. v. 'Quid Macedo Alexander ? cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne 33. anno mortem obiit ? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quam consularis.'

176 *Cybeleia novit Limina*] Innuit Stellam esse prætorem : Prætores enim præsidebant ludis Megalensibus, qui in honorem Cybeles celebrabantur, nonis Aprilibus, ante ædem ejusce Deæ ; quique Megalenses vocabantur, eo quod Cybele dicebatur 'magna mater Deum.' μεγάλη enim Græce dicitur, *magna.*

177 *Et Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ*] Sibyllæ erant mulieres arte divinandi præditæ, sic dictæ quasi Deorum consiliorum consciæ. Decem fuisse scribit Varro, Persicam, Libycam, Delphicam, Cumæam, Erythræam, Samiam, Hellespontiacam, Tiburtinam, Albuneam, et Cumanam, de qua hic agitur, *Euboicam* dictam, quod Cumæ, prope quas habitabat, in antro, cujus descriptio habetur Æneid. VI. ab Chalcidensibus Eubœæ insulæ conditæ fuerant. Hanc etiam dicunt adiisse Tarquinium Superbum regem, eique novem libros, quos esse divina oracula dicebat, attulisse :

Jamque parens Latius (cujus prænoscere mentem
Fas mihi) purpureos habitus, juvenique curule
Indulgebit ebur: Dacas (quæ gloria major)

et ille legit versus Sibyllæ Euboicæ. Et jam Imperator (cujus animum licet mihi præscire) concedet juveni purpureas vestes, et curulem sellam eburneam, et (qui

****

movit Flumina.—180 *Indulgebit doctas et gloria major* Venet. 1. *dacasque et gloria major* Urat. *quæ est gloria major* Rom. Vicent. Brix. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. 1. 2. Basil. &c. quod revocavit Handius. *quæ ē gloria*

NOTÆ

Tarquinium pretium percontatum fuisse; illam nimium poposcisse; regem vero irrisisse, eamque de novem libris tres deussisse; quodque etiam de tribus aliis fecisse; tresque reliquos eodem pretio, quo omnes, velle vendere. Itaque miratum regem constantiam confidentiamque mulieris, pretium quod petebat dedisse, eamque a Tarquinio digressam, postea nusquam loci nec visam, nec apparuisse. Libri tres in sacrarium Capitolii conditi 'Sibyllini' vocati. Illo autem, Sociali bello, exusto, crematisque his libris, quæsita fuerunt, auctore Tacito Ann. VI. Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam, atque Asiam, et Italicas colonias, Carmina Sibyllæ, una, seu plures fuerunt, ut aliqui volunt, datumque Sacerdotibus negotium, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Augustus vero, quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos: hos quoque dilectu habito: condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. Horum autem librorum Sibyllinorum, stante Republica, et sub imperatoribus, fuit maxima auctoritas, nihilque magni momenti domi seu foris, pace seu bello, agebatur, nisi his inspectis. Horum custodia initio demandata fuit duobus viris, qui Duumviri sacrorum dicti, Patriciique erant. Deinde honoribus Reipublicæ Plebeis communicatis, decem facti sunt ex utroque ordine. Auxit numerum Sylla usque ad quindecim, qui numerus etiam crevit ad sexaginta, retento tamen priori Quindecimvirum nomine, ut dicit Servius ad illum locum Virgilii; 'Lectosque sacrabo Alma viros.' Hi suffragiis populi eligebantur lege Domitia: antea a collegio cooptabantur. Hinc patet Stellam Quindecimvirum fuisse: solis enim Quindecimviris libros Sibyllinos inspiciendi jus erat, sed tamen jussu Senatus. Via Domitiana: 'Nec jam putribus evoluta chartis Solenni prece quindecim virorum Perlustra mea dicta.' Hos libros Sibyllinos exussit Stilicho imperante Honorio, Quindecimque viros sustulit, cum ceteris Paganismi superstitionibus.

178 *Parens Latius*] Sic vocat Domitianum adulatorie Papinius. Infra Soteriis: 'Rogat hoc pater inclytus urbis.'

Latius] Romanus.

179 *Purpureos habitus, juvenique curule Indulgebit ebur*] Intelligit Ædilitatem majorem: Ædiles enim majores sedebant prætextati in sellis curulibus. Dicitur *Ebur*, quia sellæ hæ erant eburneæ, et *purpureus habitus* est prætexta, quod ei purpura erat prætexta: unde *περιπόρφυρον* Græci

Exuvias, laurosque dabit celebrare recentes.
Ergo age, junge toros, atque otia deme juventæ.
Quas ego non mentes, quæ non face corda jugavi?
Alituum pecudumque mihi, durique ferarum
Non renuere greges: ipsum in connubia terræ
Æthera, cum pluviis rarescunt nubila, solvo:
Sic rerum series, mundique revertitur ætas.
Unde novum Trojæ decus, ardentumque Deorum

major honor?) mandabit edere ludos ob victorias de Dacis, et celebrare lauros recentes. Ergo age socia thalamos, et fruere tua juventute. Quos populos, quæ corda ego tæda non conjunxi? Volucres pecudesque ac feræ non me rejecerunt. Ego marito ipsum cœlum cum terra, in sinum ejus descendentibus pluviis. Sic ordo rerum et mundus renovatur. Nunquam extitisset ille, qui fuit ultimum Trojæ



major Parm. Gevart. Gronov. et Markl. *τὸ est* rejecerunt.—181 Urat. Leid. Venett. 1. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *recentes*, quod reposuit Handius; *recentes* in ceteris. *celebrare recentes* corrigi jubet Schraderus.—183 *Quas ego non gentes* Sen. Drakenb. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Urat. Capil. Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. 1. 2. Brix. Vicent. Aldd. 1. 2. Colin. Basil. Gryph. &c. ante Marklandum, qui Heinsii conjecturam *mentes*, ut suam, in textum intulit.—185 *Non tenuere* Venet. 1490. et 1494. quod correxit Avantius.—186 *Æthere* Urat. *pluviis tubescunt* Wakef. ad Lucr.

NOTÆ

vocant. Vide Ciceronem Verrina VII. de officio ædilis.

180 *Dacas Exuvias, laurosque dabit celebrare recentes*] Designat ludos, quos Stella edidit pro victoria Dacica Domitiani, quam recens reportaverat. De quibus ludis Martialem vide lib. VIII. Ep. 78. Per *lauros* autem victorias et triumphos notari nihil notius.

182 *Junge toros*] Sic Ovidio 'sociare cubilia.' Sic apud Claudianum, Epithalamio Probi et Celerinæ, vs. 31. 'Nullum junxisse cubile.' *Otia deme juventæ*] Sic Ecloga ad uxorem Claudiam: 'Heu nunc illa terit viduo quod sola cubili Otia.'

183 *Quas ego non mentes, quæ non face corda jugavi? &c.*] Ad illud Lucretii respexit Poëta: 'Per te quoniam genus omne animantum Concipitur, visitque exortum lumina solis.' Et infra: 'Omnibus incutiens blandum per pectora amorem Efficis, ut cupide generatim sæcla propagent.' Venus enim Dea amoris, quo genera animalium conservantur.

185 *Ipsum in connubia terræ Æthera solvo*] Ex Scytharum mente, qui referente Herodoto lib. IV. credebant, pluviam nihil aliud esse, quam conjunctionem cœli et terræ. Auctor Pervigilii in Venerem: 'In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis.' Virgilius Georg. I. 'Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther Conjugis in gremium lætæ descendit.'

188 *Unde novum Trojæ decus, ardentumque Deorum Raptorem,* [*Raptor erat,*] *Phrygio, &c.*] Gronovius legit *Raptorem, Phrygio,* ex Romano Venetoque codicibus, et Ms. Florentino: quod Statii ipsius esse affirmat, mu-

Raptorem, Phrygio si non ego juncta marito?
Lydius unde meos iterasset Tybris Iulos?
Quis septemgeminæ posuisset mœnia Romæ
Imperii Latiale caput, nisi Dardana furto
Cepisset Martem, nec me prohibente, sacerdos?
His mulcet dictis, tacitumque inspirat amorem

ornamentum, quique eripuit Deos incendio, si non ego nupsissem Phrygio conjugi. Quomodo Lydius Tiberis reparasset meos Iulos? quis condidisset muros Romæ septemgeminæ, caput Romani imperii, si Dardania antistita non clam cognovisset Martem, me non impediente? Delenit eam Violantillam his verbis, et immisit illi

I. 251. alius quidam *rorescunt.*—189 *Raptor erat* Avantius in Ald. 1. de conjectura, ut videtur, eumque secuti sunt omnes præter Heins. Gronov. Veen. Delph. et Markl. qui *Raptorem,* ut est in Urat. Leid. Vatt. 1. 2. 3. 4. Par. Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. et Vicent. revocarunt. *Phrygio sic* Urat.—190 *Lydius inde m. i. t. iullos* Venet. 1.—191 *Qui* Urat. Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. 1. 2. Brix. et Vicent. quod recepit Handius; *Quis* Avantius in Ald. 1. unde in alias omnes receptum. Vide Charis. p. 70.—192 *Latiare* scribendum contendit Cruceus, ut ait, Lambino et Modio auctoribus. *mi Dardana* Urat.—193 *Cœpisset* Venet. 1. 2. 3. 4. Parm. Brix. Vicent. Aldd. ceteræ ante Gronovium; *Cœpisset matrem* Rom. *me non prohibente* Bentl. ad Hor. III. Od. 3. et Barthius, quod arripuit Markl.—194 Venet. 1. et Urat. *tacito inspirat honorem;* Parm. *tacitum inspirat honorem,* quod recepit Hand.—195

NOTÆ

tatumque ab iis, qui non intelligebant. Seneca Cont. IX. 'Unde talem patrem? non irasceris, nisi ut ames.' Similiter ut in hoc: 'Quo mihi fortunam.' Ovidius: 'Sed mihi tam faciles unde Deosque meos.' Lucanus: 'Unde pares somnos populi noctemque beatam?' Designat autem Æneam, qui Deos Patrios eripuit ex incendio Trojano; unde vocatur *raptor ardentum Deorum.* *Phrygio marito*] Anchisæ patri Æneæ Phrygio seu Trojano.

190 *Lydius Tybris*] Tyberis dicitur *Lydius,* quia cum Lydi in Hetruriam venissent, ad oram Tyberis consederunt. Strabo lib. v. Dionys. lib. I. Herodotus lib. I.

Meos Iulos] Id est, posteros Ascanii, qui et *Iulus* nominatus est. *Meos*] Quia Ascanius filius erat Æneæ, qui erat filius Veneris.

191 *Quis septemgeminæ posuisset mœnia Romæ*] Intelligit Romulum, qui condidit Romam, quæ dicitur *septemgemina,* a septem montibus, quos intra suum ambitum includit. Sic Petronius 'Septemgeminum Nilum' vocat, ob septem ostia, quibus in mare evolvitur.

192 *Imperii Latiale caput*] Roma enim erat caput imperii Romani, et sita in Latio, ut jam diximus.

Nisi Dardana furto Cepisset Martem, nec me prohibente, sacerdos] Innuit Rheam Sylviam Vestalem, quæ vi compressa, cum geminum partum edidisset, seu ita rata, seu quia Deus auctor culpæ honestior erat, Martem incertæ stirpis patrem nuncupavit. *Furto cepisset Martem,* pro, furto concepisset ex Marte.

Dardana] Id est, a Trojanis, qui et Dardani, oriunda.

Connubii: redeunt animo jam vota precesque,
Et lacrymæ, vigilesque viri prope limina questus,
Asteris et, vati totam cantata per urbem;
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu,
Quantum non clamatus Hylas: jamque aspera cœpit
Flectere corda libens, et jam sibi dura videri.
Macte toris, Latios inter placidissime vates,

secretam connubii cupidinem. Nunc munera, preces, lacrymæ, et insomnes querelæ amantis ad ejus fores, redeunt ei in mentem, et carmen nomine Asteris ab ipso Poëta factum, et plus cantatum per urbem, quam fuit clamatus Hylas, Asteris mane, Asteris ante prandium et cœnam, Asteris noctu. Et jam sponte cœpit mollire cordis sui duritiem, et sibi videri nimium sæva. Felix tantis nuptiis, suavis-

Codd. Sen. Drakenb. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Urat. et Capil. cum Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. 1. 2. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *dona precesque*, quod revocavit Hand. *vota* est mera conjectura Marklandi, et Burmanni ad Lucan. VII. 113.—196 Venet. 1. *prope limina;* N. Heins. conj. *pro limine*, i. e. ante limen.—197 *Asteris hæc vatis* correxit Ulitius; omnes codd. et edd. vett. exhibent *vatis;* Venet. 1. *vatis coram.* In Aldd. Colin. Gryph. Bern. et Grasser. interrogationis nota posita est post *ortu:* correxit tamen Bern. 'Gevartius et Gronov. comma intulerunt post *vatis*, sed novo errore Markl. ordinem verborum ita constituit: *Asteris et, vati totam c. p. urbem; Asteris, &c.*' Hand. N. Heins. et Guy. scripserunt *it vati.* Handius ita distinguit: *Asteris et vatis, t. c. p. urbem, A. a. dapes, &c.*—198 *Asteris ante pedes macte* Venet. 1. et pro *ortu* habet *ortus;* Claudius Verderius substituere jubet *es tu*, improbante Vossio Instit. Rhet. v. 5. 3. 'Si antiquorum criticorum libertas mihi concessa esset, hunc versum, non tantum poëtica elocutione destitutum, sed etiam grammatica compositione laborantem, obelo notarem.' *Hand.*—200 *Flectere corde* Venet. 1. Boxhorn. in Epist. ad Gronov. p. 63. *nec tam sibi dura videri.*—201 Hopfius et Schraderus emendarunt *placitissime*, quod non improbat Hand.

NOTÆ

196 *Vigilesque viri prope limina questus*] Notat morem amantium, quo noctes transigebant ad fores amicarum, liminaque earum terebant, ac de earum duritia querebantur. Exempla apud Poëtas passim obvia. Horatius III. Od. 10. 'Non hoc semper erit liminis aut aquæ Cœlestis patiens latus.' Et Od. ad Pettium, lib. Epod. 'At non amicos, heu! mihi postes, et heu! Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.'

197 *Asteris*] Ἀστὴρ Græce, Latine *Stella;* unde fœmininum *Asteris* formatum, id est, Stelleis seu amica Stellæ. Quod nomen Poëta formaverat, et fecerat titulum carminis, quod canebatur in honorem Violantillæ, ficto nomine. *Et vati* [*vatis*] *totam cantata per urbem*] Corrigit Guyetus et legit: *et vati tantum cantata per urbem, Quantum non clamatus Hylas.*

199 *Clamatus Hylas*] Nam Hercules amissum Hylam diu clamavit. Valerius Flaccus lib. III. 'Rursus Hylan, et rursus Hylan per longa reclamat Avia, responsant sylvæ et vaga certat imago.' Et Juvenalis: 'Et multum quæsitus Hylas.' *Cœpit*] Supple Violantilla.

Qui durum permensus iter cœptosque labores,
Prendisti portus: tumidæ sic transfuga Pisæ
Amnis, in externos longe flammatus amores,
Flumina demerso trahit intemerata canali;
Donec Sicanios tandem prolatus anhelo
Ore bibat fontes: miratur dulcia Nais
Oscula, nec credit pelago venisse maritum.

sime inter Poëtas Romanos, quod confecisti asperam viam, et post tot labores appulisti portum. Sic fluvius transfuga superbæ Pisæ, valde accensus in peregrinos amores, volvit occulto meatu impermixtas aquas, donec tandem emersus, potet ore anhelo Siculos fontes: Nympha stupet dulcia oscula, nec putat conjugem per me-

Cf. Theb. XII. 302.—202. 203 *Quod durum p. i. cœptosque laboris* habent omnes codd. et edd. vett. *Qui . . . labores* est correctio Marklandi, qui conj. etiam, *sævosque labores.* Wakef. in Sylvis Crit. Tom. IV. p. 235. *captosque labore Prendisti portus tumidus.* Aldd. Bern. et Til. *Præhendisti.* Codd. Voss. Par. Vatt. 1. 2. 3. 4. Rom. Vicent. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Gryph. Basil. &c. *tumidæ;* Colin. *tumide;* Venet. 1. *mie;* Rhod. *miadæ;* Salisb. *inhade;* Markl. conj. *nitidæ;* Heins. *portum Eliacæ,* vel *Eliadis, s. t. Pisæ;* Triller. *nitidæ,* (quod reposuit Haudius,) vel etiam *madidæ;* Hand. conj. *portum udæ,* vel *portus udæ;* Jacobs. *unctæ.* Lectio Venet. 1. legi debet *v̉ne,* i. e. *vernæ.*—204 *Annus* Urat. et Venet. 1. *flammatis* Rom. *extremos l. flammatus amores* Venet. 1. —205 'Vox *canali* contenta sit commate. vox vero *fontes* terminet sententiam.' *Gruter.* Hoc placet Handio.—206 Urat. *plorutus;* Venet. 1. *populatus.* —207 *Ore bibit* cod. Voss. probante Handio; *Ore inhiat* Wakef. Sylv. Crit.

NOTÆ

202 *Cœptosque labores*] Pro obtinenda Violantilla.

203 *Tumidæ Pisæ*] Pisa urbs Elidis notissima, juxta quam Alpheus fluebat, et ludi Olympici edebantur. *Tumidæ* vero, ob celebrationem horum ludorum, qui tanto concursu totius Græciæ fiebant. *Transfuga*] Designat Alpheum Elidis fluvium, qui per occultos meatus pervenire dicitur in Siciliam ad Arethusam fontem, cujus amore capitur. Vide quæ diximus ad Theb. I. 272.

204 *Externos amores*] Id est, Arethusæ fontis in Sicilia. Sic Theb. I. 'Fluctivaga qua præterlabitur unda Sicanios longe relegens Alpheus amores.'

205 *Flumina demerso trahit intemerata canali*] Alpheus enim dicitur aquas non miscere cum mari, licet per medium transeat, dulcesque semper servare: de eodem Alpheo Papinius Theb. IV. 'Qui te, flave, natant terris, Alphee, Sicanis Advena, tam longo non unquam infecte profundo.'

207 *Nais*] Nympha, quæ præsidet Arethusæ fonti; Nymphas enim seu Naïades singulis fontibus attribuebant veteres.

208 *Pelago*] Nam inter Elidem, unde fluit Alpheus, et Siciliam, ubi miscetur fonti Arethusæ, mare Ionium intercedit. *Maritum*] Alpheum.

Quis tibi tunc alacri, cœlestum munere, clare
Stella, dies? quanto salierunt pectora voto,
Dulcia cum dominæ dexter connubia vultus
Annuit? ire polo, nitidosque errare per axes
Visus. Amyclæis minus exultavit arenis
Pastor, ad Idæas Helena veniente carinas:
Thessala nec talem viderunt Pelea Tempe,

dium mare accessisse. Quam gratus tibi fuit, o Stella, hic dies, dono cœlitum illustri? Quantum tua præcordia salierunt, adimpletis votis, cum favens vultus dominæ assensit dulci conjugio. Tibi visus es cœlum conscendere, et spatiari per splendentes polos. Pastor minus lætatus est in ripis Amyclæis, cum Helena secum veniret ad classem Trojanam. Nec Tempe Thessala viderunt Pelea tam lætum,

Tom. IV. p. 235. Venet. 1. *fontis*, quod recepit Handius.—209 Codd. Urat. Voss. et Vindob. *tunc alacri cœlestum in munere claro;* Par. *nunc alacri cœlestum munere claro;* Venet. 1. et Vicent. *tunc alacris cœlestum in munere claro;* Rom. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *tunc alacri cœlestum munere claro.* Gevart. et Heins. conj. *clare*, et hoc arripuit Markl. postea vero maluit *care.*—210 Schrader. et Hœufft. *quanto s. p. motu.* Aldus interrogationem verbo *voto* finiit, et post *Annuit* commate posito, reliqua annexuit. Lindenbrog. punctum sustulit. Guyetus: *quanto s. pectora. Voto Dulcia, &c.* in ed. Marolli vero: *voto, Dulcia . . . Annuit?* V. D. in exempl. Gott. scribendum existimavit *saluerunt.*—212 *Annuat* Par. *Adjuvat* Urat.—213 *Amycleis* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. et Vicent.—214 In iisdem *ideas.*—215 *Pellea* Venet. 1.

NOTÆ

210 *Voto*] Hic votum significat gaudium, quod nascitur semper cum fruimur re optata.

212 *Ire polo, nitidosque errare per axes Visus*] Antiqui cum designare vellent se maximo et pæne incredibili gaudio affici, cœlum sese perambulare dicebant. Eodem loquendi genere utitur Propertius, cum gloriatur se amari a sua Cynthia lib. I. Eleg. 8. 'Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis: Sive dies, seu nox venerit, illa mea est.' Hoc Græci felicissime exprimunt per vocem αἰθεροβατεῖν, cui confine illud Ciceronis ad Atticum: 'Si vero quæ de me pacta sunt non servantur, in cœlo sum.'

213 *Amyclæis*] Id est, Spartanis. Nam Spartæ erat Helena, cum rapta fuit a Paride. Dicit vero, *Amyclæis*, licentia Poëtica, quia Amyclæ et Sparta ejusdem Laconiæ oppida.

214 *Pastor*] Paris. Vide supra vs. 43. *Idæas*] Id est, Trojanas, ab Ida monte Phrygiæ prope Trojam. *Helena*] Helena filia Jovis ex Leda Tyndari regis Laconiæ uxore, soror Castoris ac Pollucis et Clytæmnestræ, uxor Menelai Spartæ regis. Hæc ob eximiam formam bis rapta fuit; primum adhuc puella a Theseo; secundo jam nupta Menelao a Paride, ut supra diximus. Ad hanc recuperandam Græciæ reguli decennale bellum cum Trojanis gesserunt. Nota historia ex Homero, aliisque Poëtis. *Veniente*] Dicunt enim aliqui Helenam ultro ac sponte secutam fuisse Paridem.

215 *Thessala Tempe*] Locus in Thessalia amœnissimus ad Peneum fluvium, cujus descriptionem videre est apud Plinium lib. IV cap. 8. *Pelea*]

Cum Thetin Æmoniis Chiron accedere terris
Erecto prospexit equo: quam longa morantur
Sidera! quam segnis votis Aurora maritis!
At procul ut Stellæ thalamos sensere parari
Latous vatum pater, et Semeleius Evan;

cum centaurus Chiron, sublatis prioribus pedibus, illi nuntiavit Thetin appropinquare oris Æmoniæ. Quam tarda astra cunctantur! Quam lenta Aurora votis mariti! Verum ubi Latonæ filius, vatum pater, et Bacchus Semele genitus, procul animadverterunt nuptiale cubiculum adornari, hic agit ex Ortygia, ille ex Nysa

et Vicent.—216 Schraderus in ineditis, *accedere tectis.*—217 V. D. in exempl. Gott. *lenta morantur.*—218. N. Heins. ad Ovid. Ep. XIV. 19. conj. *votis A. maritis,* quam conj. ut suus est mos, sibi vindicavit Markl. Heinsius correctionem suam etiam in Advers. II. 14. p. 317. proposuit. Omnes codd. et edd. vett. habent *mariti.*—219 Rom. *sensere parati.*—220 *Lethous* Urat. *Semelius* Vicent. *euhan* Voss. et Rom. *euahn* Venet. 1. et Vicent.—221 *Hic movet orti-*

NOTÆ

Peleus filius Æaci, cui nupsit Thetis, pater Achillis.

216 *Thetin*] Thetis Nerei et Doridis filia, mater Achillis. Vide Achilleidos lib. I. *Æmoniis*] Id est, Thessalicis. Thessalia enim antiquitus vocata *Æmonia. Chiron*] Chiron filius Saturni et Philyres, Centaurus justissimus, astrologiæ, artisque medicæ, ac pulsandæ citharæ peritissimus, a quo herba fuit inventa: discipulos habuit Herculem, Æsculapium, et Achillem. Tandem cum gravissimis et intolerabilibus doloribus cruciaretur ex vulnere, quod recepit a sagitta Herculis Hydræ veneno imbuta, quæ casu ceciderat in ejus pedem, mori cupiit; et cum esset immortalis, petiit a superis, ut sibi mori liceret: quod impetravit, ab iisdemque in cœlum translatus est, in zodiaco collocatus et sagittarius appellatus.

217 *Erecto prospexit equo*] Bene *erecto,* quia Centaurus erat. Noster Achilleid. I. de eodem Chirone. 'Erecto prospectat equo.' *Quam longa morantur Sidera*] Difficillima enim hominibus, utcumque conceptæ rei mora. Claudianus: 'Incusat spes ægra moras, longique videntur Stare dies, segnemque rotam non volvere Phœbe.'

218 *Quam segnis votis Aurora maritis* [*mariti*] Nic. Heinsius hoc in loco reponendum arbitratur: *votis Aurora maritis,* ut et 'furta marita' Theb. X.

220 *Latous*] Apollo filius Latonæ. *Vatum pater*] Quia Poëtæ sunt in clientela Apollinis. *Semeleïus Evan*] Evan cognomen Bacchi Semeles filii. Notandum autem, quod Bacchus venit hic ad nuptias, quod Stella Poëta erat, illoque jure, quod furorem canentibus subministrabat, in quo munere semper cum Apolline a Papinio jungitur; unde in Soteriis Rutilii: 'Nec Aonias decima cum Pallade Musas Aut mitem Tegeæ, Dircesve hortabor alumnum.' Balneo Hetrusci: 'Et te Phœbe choris, et te dimittimus Evan.' Genethliaco Lucani: 'Ipsi, quos penes est honor canendi, Vocalis citharæ repertor Arcas, Et tu Bassaridum rotator Evan, Et Pæan, et Hyantiæ sorores.' Unde fallitur Dempsterus, ut bene observat Gronovius, qui no-

Hic movet Ortygia, movet hic rapida agmina Nysa;
Huic Lycii montes, gelidæque umbracula Thymbræ,
Et, Parnasse, sonas; illi Pangea resultant,
Ismaraque, et quondam genialis littora Naxi.

præcipites catervas: huic montes Lyciæ, et sylvosa loca frigidæ Thymbræ, ac celebris Parnassus exultant; illi Pangæa Ismaraque ac ripæ quondam nuptialis Naxi

---

gia Rom. *Hinc movet orthigia rapida atque agmina nisi* Venet. 1. N. Heins. conj. *rabida agmina.*—222. 223 *Hinc .... illi* Vindob. Venet. 1. Rom. Venett. 2. 3.4. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Hic.... illi* Urat. *Huic* restituit Gevart. et probaverunt Grotius, Gronovius, et N. Heins. *Lacii* Venet. 1. *Licii* Rom. et Venett. 2. 3. 4. *tymbræ* Rom. Venett. et Vicent. *Parnassis honos* Vindob. *Parnassus honos* Sen. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Urat. Par. Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. 1. 2. Brix. Vicent. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. 1. 2. Basil. &c. *Et, Parnasse sonas* conj. D. Heins. probarunt Gevart. et Barth. reposuit Markl. non probante Handio. *umbracula Thymbræ Et Parnassus ovant* Hopfius et Weichertus. Handius tentabat: *Huic Lycii montes gelidæque umbracula Thymbræ Et Parnassus honore, illi Pangæa resultant.* 'Vel legendum *Huic*, vel infra versu sequente *illi* mutandum in *illinc.*' Gruter. Omnes libri habent

NOTÆ

tat Papinium facere Bacchum nuptiarum præsidem in illo supra: 'Tibi Phœbus et Evan,' &c.

221 *Hic*] Supple Apollo. *Ortygia*] Delo insula, Ortygia prius vocata. *Hic*] Bacchus. *Nysa*] Nysæ vel Nyssæ, sive urbes, sive montes decem nominantur a Stephano, et reliquis Geographis. Vide Theb. VII.

222 *Huic*] Apollini. *Lycii montes*] Hinc Apollo *Lycius* dicitur. Vide Theb. I. 696. *Thymbræ*] Hinc Apollo *Thymbræus.* Vide ibidem vs. 699.

223 *Et, Parnasse, sonas* [*Parnassus honos*] Gevartius hic mendum subesse existimat: quid enim significat *Parnassus honos?* quis ita loquitur? Itaque recte scribi putat: *Et, Parnasse, sonas.* Cruceus defendit vulgatum, ut πρωτότυπον sumtum habeatur ἀντὶ τοῦ παραγωγοῦ, ut apud Horatium: 'Stertinium acumen, Sulpitia horrea,' pro acumen Stertinii, et horrea Sulpitii. *Parnassus* ergo *honor, Parnassius.* Vera est vulgaris scriptura, sed difficilior defectu verbi substantivi, qui frequens Papinio, ad obscuritatem usque. *Huic*, Apollini, *Lycii montes*, *Thymbra*, et *Parnassus* sunt *honos:* hic ille præcipue colitur, hæc colit; sic Papinius initio Lyrici ad Septimium: 'Parvi beatus ruris honoribus.' 'Parvum rus,' quod ipse colebat, quodque ei illustre signum gratiæ Cæsaris, ac proinde gloriæ erat, 'honores' appellat. *Gronovius.*

Illi] Baccho. *Pangæa*] Pangæa seu Pangæus mons Thraciæ Baccho sacer. *Resultant*] Solent Poëtæ Apolline vaticinante, vel etiam veniente in Parnassum, quod etiam de quocumque Deo veniente in locum sibi sacrum, accipiendum est, ut hic videmus, dicere montem seu locum hunc sonare vel moveri. Callimachus: *Οἷον δ τῶ 'πόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὅρπηξ, Οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον· ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός. Velut concussus fuit laureus ramus Apollinis, utque omnis domus. Foras foras quicumque profanus.*

224 *Ismaraque*] Ismara mons Thraciæ Baccho sacer. *Genialis Naxi*]

Tunc caras iniere fores, comitique canoro
Hic chelyn, hic flavam maculoso nebrida tergo,
Hic thyrsos, hic plectra, ferunt: hic enthea lauro
Tempora, Minoa crinem premit ille corona.
Vixdum emissa dies, et jam socialia præsto
Omina; jam festa fervet domus utraque pompa:

concutiuntur. Tunc ingressi dilecta limina, hic affert citharam socio vati, ille flavam nebrida variato tergo: ille quatit thyrsos, hic pectinem: hic redimit lauro Poëtæ tempora, ille comam hederacea corona. Vix dum illuxit dies, et jam conjugalia auspicia adsunt. Jam utriusque ædes æstuant hilari apparatu. Postes

Pangea.—225 Venet. 1. et ceteræ Venett. *ingressa fores;* Rom. *ingere.* Correxit Avantius.—227 Par. et Venett. 1. 2. 3. *ferunt;* Urat. Leid. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. *ferit;* Scal. correxit *gerit;* et ita Barth. et Cruc. *ferunt* N. Heins. ex scripto. *hinc enthea* Leid. *hio enisa lauro* Venet. 1.—228 *Minoia* ed. vet. apud Lindenbrog.—229 *Vixdum emersa dies* Gevart. et V. D. in exempl. Gott.—230 Pro *Omina* Markl. malit *Agmina:* hinc Lenzius: *et jam socia agmina dextro Omine.* Venet. 1. 2. 3. 4. Lindenbrog. et

NOTÆ

Naxos insula Baccho sacra, in qua Bacchus Ariadnem desertam a Theseo, ibique repertam matrimonio sibi junxit; ideo dicitur *genialis* Naxos, seu nuptialis. De Naxo vide Theb. VII.

225 *Comitique canoro*] Stellæ Poëtæ.

226 *Hic chelyn*] Supple, Apollo. *Hic nebrida*] Supple, Bacchus. Nebris autem hinnuli pellis, Baccho sacra, qua ipse induebatur: unde νεβρώδης καὶ νεβριδόπεπλος vocatus. *Maculoso tergo*] Quia pelles hinnulorum maculis variatæ.

227 *Hic thyrsos*] Supple Bacchus. *Hic plectra*] Apollo. *Hic enthea lauro tempora*] Apollo. Id est, Apollo redimit caput Stellæ Poëtæ laurea corona, unde *enthea*, sive poëtica. Laurus enim Apollini sacra, ut pueri sciunt.

228 *Minoa crinem premit ille corona*] Bacchus vero hederacea: nam hedera Baccho sacra. *Minoa* autem, quia Bacchus Ariadnem filiam Minois uxorem duxit. Et hic inducit Poëta Apollinem et Bacchum venientes ad nuptias Stellæ, cum insignibus utrisque propriis, ut Apollinem cum chely, sive cithara, ac plectro; Bacchum cum nebride et thyrso: utrumque vero redimisse sponsum corona sibi propria, ut Apollinem laurea, et Bacchum hederacea. Coronarum enim usus in nuptiis, ut supra diximus.

229 *Emissa*] Orta, Metaphora sumta ab equis Circensibus qui e carcere emittuntur. *Jam socialia præsto Omina*] Omina seu auspicia, quæ vel maxime in nuptiis observabant. Catullus in nuptiis Mallii: ‘Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes.’ Cicero pro Cluentio: ‘Nubit genero socrus, auspicibus nullis, nullis auctoribus, funestis ominibus.’ Tacitus Ann. II. de nuptiis Messalinæ et Silii: ‘Prædicta,’ inquit, ‘die adhibitis, qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa, atque illam audiisse verba auspicum, sacrificasse,’ &c. Vide eundem Ann. XV.

230 *Festa pompa*] Id est, sacrifi-

Fronde virent postes, effulgent compita flammis,
Et pars immensæ gaudet celeberrima Romæ.
Omnis honos, cuncti veniunt ad limina fasces:
Omnis plebeio teritur prætexta tumultu:
Hic eques, hic juvenum cœtu stola mixta laborat.

ornantur viridibus ramis, et compita ardent lucernis, et pars illustrior ingentis Romæ lætatur. Omnis dignitas, omnes fasces veniunt ad fores. Omnis prætexta teritur frequenti vulgo. Hic eques, hic mixtæ mulieres adolescentium agmini pre-



Gevart. *Omnia.* Vicent. *serret domus.*—231 Leid. Par. Rom. 1. 2. Vicent. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *et fervent*; Urat. et Venet. 1. *et fulgent*; N. Heins. scripserat: 'F. *fulgent*, vel *lucent*, vel *resplendent*.' Hinc Markl. *effulgent*; V. D. in exempl. Gott. *et splendent*, vel *resplendent*; Barth. ad Claud. Nupt. Honor. 201. *et florent.*—232 *Et parcas immensæ* Rom. *Et pares* Venett. 2. 3. 4.—233 Hic versus deest in Parm.—234 Cerda in Advers. cap. 123. scripsit: *teritur matrona tumultu.*—235 *Hinc eques, hinc juvenum questus* Urat. Leid. et Venet. 1. *Hic eques, hic juvenum questus* in ceteris codd. et edd. vett. probantibus Gronov. et Barth. Hic tamen in Advers. emend. *hic juvenumque æstus*; Pontanus in Analect. II. 13. p. 29. *juvenumque cæstu*; et Gebhard. in Crepundiis I. 8. p. 21. *juvenum pressu*; Bern. *hic juvenum cœtu*, quod reposuit Marklandus, qui conj. etiam: *hic juvenum cœtus: stola, &c.* vel: *hic patrum cœtus*; vel denique: *hic procerum cœtus*; Peyrared. *hic juvenum cultu.* Handius edidit: *Hinc eques, hinc juvenum cœtu stola mixta*

NOTÆ

ciis: sacrificia enim fiebant in nuptiis, ut videmus ex Tacito, loco supra adducto.

231 *Fronde virent postes*] Januæ conjugum die nuptiarum festa fronde, ramis et sertis ornari solitæ. Noster Theb. II. 'Fractisque obtendunt limina sylvis.' Catullus in nuptiis Pelei: 'Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.' Seneca in Theb. I. 'Non te duxit in thalamos parens Comitata primos, nec sua festas manu Ornavit ædes.'

Effulgent compita flammis] In lætitia tam privata, quam publica, lucernæ interdiu accendebantur. Athenæus de Antonio Triumviro: Μετέβαινε δ' ἐνίοτε καὶ ἐπὶ τὴν ἀκρόπολιν ἀπὸ τῶν στεγῶν λαμπάσι δᾳδουχουμένης τῆς Ἀθηναίων πόλεως. *Transtulit se aliquando in Acropolin, deducente eum accensis super tecta lucernis, urbe Atheniensium.*

233 *Fasces*] Per *fasces*, magistratus intelliguntur: numero enim fascium inter se distinguebantur.

234 *Prætexta*] Prætexta non tantum erat puerorum, sed etiam sacerdotum, ac magistratuum, et eorum qui publicum munus curarent, sic dicta quod ex purpura esset prætexta.

235 *Stola*] Per stolam designat matronas: stola enim erat matronalis vestis ad talos usque demissa: alio enim vestitu virgines matronæque, alio ancillæ meretricesque distinguebantur. Constat enim, damnatas lege Julia de Adulteriis, una cum dignitate matronali, jus stolæ olim perdidisse, ejusque loco sumsisse amiculum quod togam appellabant, a virilis nempe togæ similitudine aliqua.

Felices utrosque vocant: sed in agmine plures
Invidere viro. Jamdudum poste reclinis
Quærit Hymen thalamis intactum dicere carmen,
Quo vatem mulcere queat: dat Juno verenda
Vincula, et insigni geminat Concordia tæda.

muntur. Appellant utrumque fortunatum: sed plures ex turba inviderunt sponso. Jamdudum Hymenæus innixus posti, quærit canere Epithalamion, a nullo hactenus decantatum, quo possit Poëtam oblectare. Juno veneranda dat vincula, et Con-

---

laborat. N. Heins. conj. *laborans.*—236 *Felices verosque* Urat. *uterosque* Rom. *sed imagine* Venet. 1.—237 Codd. Urat. Leid. Drakenb. et Par. cum Venet. 1. Rom. 1. 2. Venett. 2. 3. 4. Ald. et Bern. *reclivis:* mutavit Lindenbrog. Vide ad v. 161. Præterea Urat. *posse* pro *poste.*—238 Lindenbrog. *intectum d. carmen;* Venet. 1. *vitiatum d. carmen.*—239 Venet. 1. *da Juno.*—240 *Cingula, et insigni* N. Heins. in Advers. p. 605. de qua re agit in notis ad Sil. VII. 447. Sed cf. Virg. Æn. IV. 59. et Tibull. II. 2. 18. *Vincula et insigni geminat concordia tæda* codd. et edd. vett. Markl. et alii ex Venet. 1. afferunt *geniat,* nec videre poterant quid sibi velit. Si compendia veterum membranarum intelligerent, scirent certe hoc nihil aliud esse quam *(gēinat) geminat.* N. Heins. Scal. et Lindenbrog. conj. *insigni g. C. nodo;* Boxhorn. *insignes g. C. tædas;* Parrhas. Guy. et Barth. *insignis gemina C. tæda;* Lenz. *insignem g. C. vittam;* aut, *dextra* pro *tæda;* aut: *insignem gemmis C. vittam;* vel: *Juno et incingit geminos concorde catena.* Cf. Kœnig. ad Claud. x. 203. Marklandus: *et insigni gemmat C. nodo,* quod non immerito, inquit Handius, habebit risores. Hopfius: *insignit gemina C. tæda;* et alius quidam: *insignit geminas*

NOTÆ

236 *Felices utrosque vocant*] Faustæ ejusmodi acclamationes in nuptiis usitatæ. Theocritus Epith. Helenes: hæc sunt lætantium omina, de quibus Seneca Tragicus in Octavia, Actu IV.

237 *Poste reclinis*] Cantaturi expressit habitum. Et hinc observandus mos, quo Epithalamium ante thalami fores cantaretur. Statius ipse Genethl. Lucani: 'Et vestros hymenæon ante postes Festis cantibus ipsa personabo.' Scholiastes Theocriti: Τὸ δὲ ἐπιθαλάμιον ᾄδουσιν αἱ παρθένοι πρὸ τοῦ θαλάμου, ἵνα τῆς παρθένου βιαζομένης ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἡ φώνη μὴ ἐξακούηται. *Virgines vero canunt epithalamion ante thalami fores, ne virginis vox dum a viro devirginatur, audiatur.*

238 *Hymen*] Seu Hymenæus, Deus nuptiarum. Vide Theb. III. 691.

239 *Vatem*] Stellam. *Dat Juno verenda Vincula*] Juno etiam nuptiis præsidebat. Et erat Romæ in Jugario vico ara Junonis Jugæ, ubi veteri ritu nubentes vinculis quibusdam jungebantur in omen futuræ concordiæ. Virgilius: 'Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.'

240 *Et insigni geminat Concordia tæda*] *Geminat,* idem est quod copulat, seu conjungit. Vide v. 1. Equi Maxi. Concordiam finxerunt Deam veteres, ut et Fidem. Et aliquoties repræsentabatur Concordia cum duabus manibus junctis; quod videtur in aliquibus nummis Neronis. Eam vero invocabant in celebratione nuptiarum: omnis enim felicitas conjugii provenit ex mutua concordia,

Hic fuit ille dies : noctem canat ipse maritus,
Quantum nosse licet. Sic victa sopore doloso
Martia fluminea posuit latus Ilia ripa:
Non talis niveos strinxit Lavinia vultus,
Cum Turno spectante rubet : non Claudia talis
Respexit populos mota jam virgo carina.
Nunc opus, Aonidum comites, tripodumque ministri,

cordia conjungit eos insigni face. Hæc fuit illa dies : ipse conjux narret noctem, quantum licet scire. Sic Ilia Martia oppressa fallaci somno concubuit cum Marte in Tiberis littore. Lavinia non tali rubore tinxit candidam faciem, cum Turnus eam respexisset : nec Claudia virgo majori rubore spectavit populum, cum movisset navim suo cingulo. Nunc oportet, comites Musarum, et ministri tripodum, conten-

C. tædas. Handius edidit : *et insignis geminat tædas.*—241 Grasser. Gruter. et Hand. punctum ponunt post *maritus*, et comma post *licet*, ut in edd. vett. Mutavit Bernartius.—242 *Quantum nosce* Vicent. *nosse luet* Urat. *sic juncta* Venet. I. et Parm. *vincta* conj. Heins. *sic victu* Aldd. Colin. Gryph. &c.—243 Markl. malit *graminea*, ut Theb. IX. 492. et Virg. Æn. VII. 105. Sed cf. Ovid. Heroid. V. 25.—244 Guyetus et Schrad. conj. *tinxit.*—245 *Dum Turno* Schraderus. *Cum T. s. jubet* Venet. 1.—246 Editio Amstel. *nota j. v. carina* ab errore typographi ; hinc in Gronovianam, et inde in Veen. quæ omnia errata Gronoviana cum aliis multis aliarum edd. servat.—248

NOTÆ

ac conjunctione animorum conjugum. *Insigni tæda*] Notat usum tædarum in nuptiis.

243 *Martia fluminea posuit latus Ilia ripa*] Intelligit Rheam seu Iliam Sylviam, quæ cum Marte concubuit ad ripam Tiberis. Vide supra vs. 187. 'Nisi Dardana furto Cepisset Martem, me non prohibente, sacerdos.' Hinc *Martia* dicitur. Ea mox relata inter Nymphas, Tiberis uxor meruit vocari. Poëta autem describit pudorem Violantillæ exemplis sumtis a Virginibus.

244 *Non talis niveos strinxit Lavinia vultus, Cum Turno spectante rubet*] Alludit ad hos versus Virgilii : 'Accepit vocem lacrymis Lavinia matris Flagrantes perfusa genas : cui plurimus ignem Subjecit rubor.'

245 *Non Claudia talis Respexit populos mota jam virgo carina*] Nota historia ex Livio, Valerio Maximo lib. VIII. Ovidio Fast. IV. Suetonio in Tiberio, Claudiæ Vestalis, quæ stupri insimulata, virginitatem probavit, cum navem, qua advehebatur mater Deorum Cybele, obhærentem Tiberino vado, imposito cingulo movit, extraxitque, precata propalam, ut ita demum sequeretur, si sibi pudicitia constaret.

247 *Nunc opus, Aonidum comites, tripodumque ministri, Diversis certare modis*] Omnes Poëtas excitat ad celebrandum hunc diem : nam Poëtæ dicuntur *Aonidum* seu Musarum *comites* ac *tripodum ministri*, ut qui sunt in tutela Apollonis, cui tripodes sacri, et Musarum, *Aonidum* dictarum, id est, Bœotiarum : nam ipsis natale solum erat in nemore Heliconis montis Bœotiæ, quæ prius Aonia vocabatur.

Diversis certare modis: eat enthea vittis,
Atque hederis redimita cohors, ut pollet ovanti
Quisque lyra; sed præcipue qui nobile gressu
Extremo fraudatis epos, date carmina festis
Digna toris: hunc ipse, Coo plaudente, Philetas,

dere variis modis. Caterva numine afflata veniat coronata infulis et hederis, ut quisque præstat celebri cithara. Maxime vero, qui truncatis ultimo pede opus nobile, componite versus, qui deceant festos thalamos. Ipse Philetas, Coo applau-

Leid. et Venett. 1. 2. 3. 4. *victis;* Drakenb. Aldd. Colin. Gryph. et Bern. *vitris;* Urat. et Rom. *vittis*, et ita correxit Bern. in notis. Delrius ad Senec. Œdip. 413. voluit *mitris;* Heins. conj. *myrtis*, et ita quoque Handius. Cf. I. 5. 13.—250 Urat. et Venet. 1. *præcipui.*—251 Omnes codd. et edd. vett. *opus;* Heins. conj. *epos*, quod arripuit Markl. Vide Heinsii Epist. in Syllog. Tom. v. p. 534. ubi male legitur *opes* pro *epos*. Idem Markl. pro *festis* malit *faustis;* Rom. habet *fessis;* Par. Venet. 1. et Vicent. *choris.*—252 Leid. *hunc ipsum coo;* Urat. Par. Venett. 1. 2. 3. *hunc ipse coo;* Vicent. *choo;* Drakenb. *choro*, ut Avantius correxit, quo auctore etiam Aldd. Colin. Gryph. Basil. Gevart. et Grasser. Burmannus ad Propert. corrigi jubebat: *ipse hunc Coo,*

NOTÆ

248 *Eat enthea vittis Atque hederis redimita cohors*] *Enthea cohors* Poëtarum scilicet, utpote qui numine afflantur, unde furor Poëticus. Cum autem Poëtæ erant in tutela Apollinis et Bacchi, ideo gerebant utriusque insignia, ut vittas Apollinis, et hederas Bacchi.

250 *Qui nobile gressu Extremo fraudatis epos* [*opus*] Legit Nicolaus Heinsius pro *opus*, *epos*. Designat Elegiographos: quia Elegiacum carmen uno pede minus est quam Heroicum. Eodem loquendi modo utitur etiam Epicedio patris: 'Vel Heroos gressu truncare tenores.' Vide quæ diximus vs. 9. supra.

252 *Coo plaudente Philetas*] Quidam legunt, *choro plaudente*, et hoc intelligeretur de choro auditorum. Philetas vero, Poëta Elegiographus ex insula Coo, floruit tempore Philippi et Alexandri Macedonum, et fuit præceptor Ptolemæi Philadelphi: secundas in Elegia tulit Fabii judicio. Propertius tamen, etsi se vocet Romanum Callimachum, palmam mollis carminis illi defert, his versibus: 'Tu satius Musis meliorem imitere Philetam; Et non inflati somnia Callimachi.' Ut Strabo refert, criticus fuit, hoc est, antiquorum librorum censor. Adeo macro eum ac tenui corpore fuisse tradit Ælianus, ut plumbeis soleis in calceis uti cogeretur, ne a vento dejiceretur. Adamavit Battidem puellam quam carminibus celebravit. Cos autem insula prope Cariam ab Halicarnasso 15. mill. pass. distans, circuitu centum, habet quatuor oppida, Julida patriam Simonidis et Bacchilidis Poëtarum, Cartheiam, Ceressam, et Phocessam. Ea patria fuit Pamphiles Platis filiæ, quæ primo docuit vestes bombycinas texere mira subtilitate: unde 'vestem Coam' dicimus. Ex eadem insula fuit Hippocrates medicus.

Callimachusque senex, Umbroque Propertius antro,
Ambissent laudare diem ; nec tristis in ipsis
Naso Tomis, divesque foco lucente Tibullus.

dente, et longævus Callimachus, ac Propertius in Umbriæ spelunca, ambiissent celebrare hunc diem. Et Naso, tristitia deposita in ipsis Tomis, et dives Tibullus

&c. Handius cum Schrad. Cruc. Barth. et Scriv. legit *choro.*—253 Cluver. in Ital. Antiq. cap. 7. scripsit *arvo* pro *antro.*—254 Cruc. legit *vel tristes.*—257

NOTÆ

253 *Callimachusque senex*] Callimachus Cyrenensis Poëta Elegiographus Batti et Metatymæ filius, auditor fuit Hermocratis Jasei grammatici, originem ducens a Batto Cyrenarum conditore, floruit in aula Ptolemæi Philadelphi, vixitque usque ad Ptolemæum Evergetem, regiæ bibliothecæ præfectus. Scripsit in omni genere Poëmatis. Composuit in adversarium Poëma acerbissimum, quem dissimulato nomine Ibin vocat Ovidius. Edidit Elegias, et Epigrammata, et Hymnos, aliaque plura, ut refert Suidas. Scripsit et librum de originibus, causis, et ritubus sacrorum, quem inscripsit *τὰ Αἴτια*, ut et Martialis innuit lib. x. Epig. 4. 'Legas aitia Callimachi.' Omnia Callimachi opera perierunt, præter Elegiam unam in lavacrum Palladis, et quosdam Hymnos in Deos. Lampadem Palladi dicavit, in qua oleum nullo pacto absumebatur. *Propertius*] Propertius Poëta Elegiographus, ex Mevania urbe Umbriæ oriundus, floruit ætate Augusti. Sunt qui scribant patrem ejus equitem Romanum fuisse, ac secutum partes Lucii Antonii, perductumque, Perusia expugnata, ad aram Julii Cæsaris, ibique cum trecentis aliis, peremtum fuisse jussu Cæsaris Octaviani. Illud constat, Propertium magna ex parte accisis rebus, bonisque amissis, se Romam contulisse, ubi brevi tempore famam adeptus est, tum ingenii præstantia, cum elegantia carminum. Mæcenati ac Cornelio Gallo maxime acceptus fuit. Ovidium, Tibullum, ac Bassum inter præcipuos amicos habuit. Puellam Hostiam deperdite amavit, quam dissimulato nomine Cynthiam vocare maluit. Callimachum, Mimnermum, ac Philetam Poëtas Græcos in carmine imitatus est. De obitu ejus nihil certi compertum est. Scripserunt quidam illum annos alterum et quadraginta natum mortuum esse.

255 *Naso Tomis*] P. Ovidius Naso Poëta Latinus celeberrimus, Sulmonensis patria fuit. Ejus natales incidunt in consulatum Hirtii et Pansæ ; quo etiam anno, Tibullus Poëta natus est, quem multum dilexit. Scripsit multa carmina, sed præcipuum ejus opus Metamorphoses sunt, in quibus miro ordine, multoque ingenio veteres fabulas describit. Militavit sub M. Varrone. Tandem cum odium Augusti in se concitasset, creditus sub nomine Corinnæ amasse Juliam, ab eo Tomos urbem Ponti relegatus est, ubi libros Tristium edidit, vitamque finivit annum agens sexagesimum. *Tomis*] Tomi oppidum Ponti notum exilio Ovidii, sic dictum, quod ibi Medea fratrem Absyrtum dilaceraverit: conditum fuit a Milesiis. *Divesque foco lucente Tibullus*] Tibullus Elegiarum scriptor, natus est Romæ Hirtio et Pansa consulibus.

Me certe non unus amor, simplexque canendi
Causa trahit: tecum similes junctæque Camœnæ,
Stella, mihi, multumque pares bacchamur ad aras,
Et sociam doctis haurimus ab amnibus undam.
At te nascentem gremio mea prima recepit

splendente igne. Quantum ad me, non unum studium, nec simplex ratio canendi me advocat. Stella, sunt mihi tecum pares et communes Musæ, et multum bacchamur ad similes aras, et haurimus communem aquam ab eruditis fluviis. At mea Parthenope, o Violantilla, prima recepit te nascentem in sinu suo, et tu blandum

Venet. 1. *similis victæque.*—260 *Et te* Hopfius; quod vel uno vs. 273. rejicitur.

NOTÆ

Messalæ Corvino maxime acceptus fuit. Horatium et Macrum Poëtas inter præcipuos amicos coluit. Quatuor Elegiarum libros scripsit, in quibus Neæram, Deliam, quæ vero nomine Plautia vocabatur, sed maxime Nemesim celebravit. Accisis autem opibus, secessit in agellum, qui illi reliquus erat ex amissione patrimonii, in regione Pedana. Unde Horatius: 'Non tu corpus eras sine pectore: Di tibi formam, Di tibi divitias dederant.' Et ipse plane et paupertatem suam deplorat, et dolorem profitetur in Panegyrico ad Messalam et in lib. I. Eleg. 1. Et credibile est, cum avitas opes in amoribus dilapidasse, et magno patrimonio exhausto, ira ac animi ægritudine, rus se contulisse, ubi tandem cum adhuc junior esset, mortem obiit, non sine maximo dolore Ovidii Poëtæ, quod ille testatus est longo carmine. *Dives* vero *foco lucente*, quia Tibullus initio primæ Elegiæ canit. 'Me mea paupertas vitæ traducat inerti, Dum meus assiduo luceat igne focus.' Et 'focum perennem' in parte felicitatis ponit Martialis Epig. de Vita Beata, et ad Quintilianum.

256 *Simplexque canendi Causa*] Dicit Poëta, non sibi unam esse, seu simplicem causam celebrandi has nuptias; sed duas; et tui, scilicet o Stella, qui mihi vinculis studiorum eorundem conjunctus es, et Violantillæ, quæ est mea civis, et popularis: est enim Neapolitana.

257 *Camœnæ*] Musæ. Varro auctor est Musas antiquitus Carmonas, seu Casmœnas vocatas fuisse, sed postea, detractis R. et S. literis, Camœnas dictas.

258 *Pares ad aras*] Apollinis et Musarum; Stella enim Poëta, ut jam diximus. Vide et Martialem lib. v. Ep. 11. et lib. VII. Ep. 13.

259 *Doctis ab amnibus*] Docti amnes sunt fluvii Apollini et Musis sacri, quorum haustu Poëtæ fiebant.

260 *At te*] Hic Poëta convertit sermonem ad Violantillam, quæ erat Neapolitana: non enim illud *te* referri potest ad Stellam, qui Patavinus erat, ut colligitur ex Martiale, lib. I. Ep. 62. 'Verona docti syllabas amat vatis. Marone felix Mantua est. Censetur Apona Livio suo tellus, Stellaque, nec Flacco minus.' Et Patavini adhuc hodie, inter vetera Majorum monumenta, ostentant peregrinis advenisque imagines Livii historici, Asconii Pædiani oratoris, Arruntii Stellæ, et Valerii Flacci Poëtarum, et Julii Pauli Jurisconsulti. *Mea*] Nam Papinius erat etiam Neapolitanus.

Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro
Reptasti: nitidum consurgat ad æthera tellus
Eubois, et pulchra tumeat Sebetos alumna:
Nec tibi sulfureis Lucrinæ Naides antris,

decus repsisti in patria nostra. Solum Euboicum extollatur ad lucidum cœlum, et Sebetos superbiat formosa alumna. Nec sulfurea antra lucus Lucrini, nec amœni

—261 Lenz. conj. *dulcique solo tu gloria nostro reptasti.*—262 Leid. Par. Venet. 1. (in qua post *nitidum* distinguitur,) Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Bern. Lindenbr. et Grasser. *consurgit;* Urat. et Rom. *consurgat*, quod restituit Gevart. et probarunt Grotius, Scriver. et V. D. in exempl. Gott. *consurget* conj. Lindenbrog.—263 Piccarti codex: *Selenis alumna;* Rom. *Sebetus;* Schneider. scribit *Sebethis.*—264 *Nec sibi* Urat. Leid. Par. Rom. et Vicent. et ita Bern. approbantibus Gevartio, Guyeto, et Gronovio. Venet. 1. *sulphureis*, sed Urat. et reliqui *sulfureis*, quod Voss. in Etymologia defendit. Venet.

NOTÆ

261 *Parthenope*] Eadem quæ Neapolis, clarissima urbs Campaniæ, hoc nomen sortita a Parthenope una ex Sirenibus, quæ præ dolore, quod præternavigantem Ulyssem dulcedine cantus in suos scopulos attrahere non potuissent, in mare se præcipites egerunt. Corpus autem Parthenopes eo loci delatum est fluctibus, quo postea Neapolis condita fuit a Cumanis. Eustathius tamen Dionysii interpres vult, Neapolim Parthenopen vocatam a Parthenope puella, quæ ex Eubœa avecta cum aliis colonis, cum imperio urbem teneret, amore mortua sit. Verum cum soli ubertate, atque amœnitate frequentius habitari cœpisset, Cumani veriti, ne Cumæ sua patria desereretur, Parthenopen everterunt, sed postea gravi pestilentia afflicti, ac moniti oraculi responso, eam non cessaturam, nisi dirutam urbem restituerent, et Parthenopes Deæ sepulcrum annuis sacrificiis colerent, urbem de novo magnificentius restaurarunt, et *Neapolim*, id est, novam urbem, nuncupaverunt. Strabo tamen lib. v. aliam mutati nominis causam affert. 'Post Dicæarchiam,' inquit, 'seu Puteolos, est Neapolis Cumanorum; postea vero et Chalcidenses incoluerunt et aliqui ex Atheniensibus et Pitecusanis, unde Neapolis appellata est.' Lycophron Chalcidensis, in Alexandra sua, Phaleri murum eam urbem appellat, et Isaacius Tzetzes ejus interpres adjicit, Phalerum Siciliæ tyrannum Neapolim in Italia condidisse. *Solo nostro*] Quia, ut jam diximus, Papinius Neapolitanus erat.

262 *Tellus Eubois*] Campania, quia Cumani e Chalcide Eubœæ insulæ profecti, hanc oram Campaniæ tenuerunt.

263 *Sebetos*] Sebetos fluvius prope Neapolim. Columella: 'Doctaque Parthenope Sebetide roscida Nympha.' Et Stephanus Pighius, in Hercule Prodicio, dicit se Neapoli vidisse Sirenas, cum Hebone et Sebetho tutelaribus Neapolitanorum Diis, exsculptas in ara rotunda marmorea, quæ quidem nunc est accommodata in cratere fontis excitati in extrema mole portus Neapolitani. *Pulchra alumna*] Violantilla, cujus formam ubique laudat.

264 *Nec sibi sulfureis Lucrinæ Naides antris, Nec Pompeiani placeant*

Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.
Eia age, præclaros Latio properate nepotes,
Qui leges, qui castra legant, qui carmina ludant.

secessus Sarni Pompeiani plus glorientur suis Nymphis. Eia age, brevi date Romæ illustres posteros, qui dicant jus, qui ducant exercitus, qui versus faciant.

1. *vicinæ* pro *Lucrinæ*. Leid. Rom. Vicent. et Venet. *Naiades;* sed recte Urat. cum edd. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Naides;* nam *Naias* semper tribus syllabis constat.—266 *Latios* Venet. 1.—267 Sen. Vatt. 1. 2. 3. 4. Merseb. Leid. Vindob. Par. Urat. Capil. Venet. 1. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. 1. 2. et Basil. 1. 2. *castra legant;* Bern. conj. *regant*, quod placuit Gevartio, Barthio, Peyraredo, Hopfio, Marklando: re-

NOTÆ

magis otia Sarni] Mens: Nec Lucrinus lacus, nec Pompeianus Sarnus magis gloriari debent suis Nymphis, quam Sebetos Violantilla sua alumna. *Lucrinæ Naides*] Nymphæ Lucrini lacus. Lacus autem Lucrinus est in Campania ad Sinum Baianum prope Puteolos, qui tam propinquus est Averno lacui, ut mari tempestatibus agitato, quandoque soleant misceri: dictus a lucro propter multitudinem piscium qui ibi capiebantur. *Sulfureis antris*] Antra enim habitare dicuntur Nymphæ. *Sulfureis* vero ob conjunctionem cum Averno lacu, cujus aquæ salsæ et nigræ conspiciuntur: salsæ quidem ob marinæ aquæ permixtionem, nigræ vero ob maximam altitudinem. Boccacius scribit se ab hoc lacu in littus ejectam piscium multitudinem vidisse, qui nigri fuerint, et sulfureum odorem emiserint. Anno 1538. cuniculus ille seu incile, per quod aqua ex Lucrino in Avernum deferebatur, erumpente magna vi ignis, et ruente ex ea terra, penitus obturatus est et delituit. Vide Æneid. VI. 238.

265 *Pompeiani Sarni*] Sarnus fluvius Campaniæ, ortum habens in monte Sarno, inter Pompeianum agrum, et Salernum, juxta oppidum situm ad radices Sarni. Primo cum magno murmure delabitur, mox in lacus amplos desinit, qui graves incolis nebulas toto anno emittunt: deinde coactus rupibus Vesuvium montem stringit, et inde, parvo contentus cursu, in mare Tyrrhenum exoneratur. Nomen retinet.

266 *Eia age, præclaros Latio properate nepotes*] In acclamationibus nuptialibus optabant novis sponsis cito liberos, eosque referre et decorem patris et pudicitiam matris. Catullus Epith. Manl. 'Ludite ut lubet et brevi liberos date.'

267 *Qui leges, et castra legant*] Id est, qui toga ac sago potentissimi sint in Republica: qui senatum, qui militem legant. Nam et 'dilectus militaris,' 'milesque legi' dicitur, et 'in senatum allegi,' et 'senatus legi,' et 'lectio senatus.' Et dilecti, pro senatu, apud Sallustium de Bello Catilinario, Ciceronem pro Sextio, et in Vatinium. Cicero etiam legem a 'legendo' deducit, quo pulcherrime allusit Statius illo suo *legere;* sed ita ut 'leges' pro custodibus legum, seu senatu dicat. Ita et 'leges' et 'castra' conjungit in Surrentino Pollii: 'Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus, Non leges, non castra

Acceleret partu decimum bona Cynthia mensem.
Sed parcat Lucina precor: tuque ipse parenti
Parce, puer; ne mollem uterum, ne stantia lædas
Pectora: cumque tuos tacito Natura recessu
Formarit vultus, multum de patre decoris,
Plus de matre feras. At tu, pulcherrima forma
Italidum, tandem merito possessa marito,
Vincla diu quæsita fove: sic damna decoris
Nulla tibi; longæ virides sic flore juventæ

Bona Cynthia maturet decimum mensem ad partum. Sed, oro, Lucina parcat, tuque ipse infans parcas matri, ne corrumpas tenerum ventrem, et vigentes mammas. Et cum natura figuraverit faciem tuam in secretis latebris, afferas multum decoris de patre, sed plus de genitrice. At tu formosissima Italarum mulierum, et tandem possessa a digno conjuge, fove amorem diu optatum. Sic nihil accidat detrimenti tuæ formæ. Sic vultus tuus diu conservet florem longæ juventutis, et sero

posuit Handius. *tegant* conj. Gruter. Venet. 1. *carmina laudant.*—270 Venet. 1. *ne mollem iterum:* ed. vet. ap. Lindenbrog. *lædat.*—271 'Jo. Is. Pontanus legi jubet per apostrophen, *Cum tuos tacito, natura, recessu formaris vultus.* Sed tunc male se habet illud *tuos vultus,* ne dicam de elegantia.' *Hand.*—273 *Ac tu* Venet. 1. *At ut* ceteræ Venett. correctum ab Avantio. Vide ad vs. 260.—275 *Victa diu* Venet. 1.—276 Leid. Venett. 1. 2. 3. 4. Rom. et Parm. *longe:* Urat. Leid. Par. Venett. Rom. Vicent. et Aldd. *viridis;* Barthius vero

NOTÆ

tenent.' Ubi tamen forum potius designatur. *Gronovius,* Diatribes cap. 2. Bernartius loco, *legant,* conjicit legendum, *regant.* Grutero placet, *tegant,* id est, defendant, tueantur. *Qui carmina ludant*] Proprie ludere dicuntur Poëtæ suis carminibus. Hæc enim ingenii quidam sunt lusus. Exempla notissima apud Poëtas.

268 *Decimum mensem*] Nam legitimum tempus partui decimus mensis semper habitus. Vide quæ diximus ad Theb. I. 576. *Cynthia*] Luna, quæ eadem ac Diana veterum opinione: vocatur Cynthia, quia in Cyntho Deli monte nata dicitur Diana.

269 *Parcat Lucina*] Venus γενετυλλὶς genituræ domina, ac partus præses.

Parcat] Ne rugosum ventrem parientis efficiat, et mammillas pendentes: aut in periculum mortis doloribus adducat. Hic tam bene optat Poëta ultimis verbis, quam toto carmine assurgit.

270 *Ne stantia lædas Pectora*] *Stantia,* sunt vigentia, ut stare papillas Lucilius dixit. Et Maximian. El. v. appellat. 'Urebant animum duræ stantesque papillæ, Et quas astringens clauderet una manus.'

271 *Tacito recessu*] Utero materno..

272 *Multum de patre decoris, Plus de matre feras*] Inter viri boni felicitates hanc ponit Hesiodus: Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι. *Pariunt vero mulieres similes liberos patribus.* Catullus in Epithal. Manlii: 'Sit suo similis patri Manlio, et facile insciis Noscitetur ab omnibus, Et pudicitiam suæ Matris indicet ore.'

Perdurent vultus, tardeque hæc forma senescat.

hæc venustas senescat.

et Markl. necessarium existimarunt *virides.* Markl. conj. etiam: *viridis sic f.j. Perduret.*

III. VILLA TIBURTINA* MANLII VOPISCI.

In gratiam Manlii Vopisci, villam amœnissimam, quam Tiburi habuit, tanta carminis elegantia describit, ut attentus lector in ea spatiari sibi videatur.

CERNERE facundi Tibur glaciale Vopisci
Si quis, et inserto geminos Aniene penates,

Si quis invisit algens Tiburtinum eloquentis Vopisci, ac domos duplices interla-

Urat. *Villa tiburtina M. mauritii vopisci;* Venet. 1. *Manilii;* Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. *Tiburtinum Manlii Vopisci;* Gronovius ex codd. edidit: *Villa Tiburtina Manlii Vopisci.*—2 *Ecquis* Barth. impro-

NOTÆ

* *Tiburtina*] Tibur, in cujus agro sita erat illa villa Tiburtina Manlii, urbs est in Sabinis, decimo sexto ab urbe lapide, crebris fontibus irrigua, et singulari aëris temperie commendata: condita fuit a Tiburte Amphiarai filio. Hodie vocatur *Tivoli.* *Manlii*] Gens Manlia a primis Reipublicæ temporibus clara, et Patricia, multos consules et dictatores tulit. Consule historicos Latinos. *Vopisci*] Vopiscos appellabant e geminis, qui retenti utero nascerentur, altero interemto abortu. Plinius lib. VII. cap. 10. Porro Vopiscus olim prænomen; quo usi multi præsertim in Julia gente: hic est cognomen, et ita in antiquissimis Reip. fastis sæpe, mox a pulsis regibus.

1 *Tibur glaciale*] Dicit *Tibur glaciale*, quia regio circumquaque frigida est; quare in agro Tiburtino plerique Romanorum villas habebant, in quibus æstate degebant. Sed et hoc etiam factum erat arte in hac villa, ut patebit ex sequentibus versibus.

2 *Geminos penates*] Villa enim illa in utraque ripa Anienis collocata erat, et conjungebantur duæ ejus partes fornice inserto, quem hac ratione vocat *sociæ commercia ripæ.*

Inserto Aniene] Quia Anien inter utramque partem villæ fluebat. Anien autem seu Anio fluvius Italiæ in monte Trebanorum ortus, lacus tres amœnitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo, defert in Tiberim. Hic per Tiburtinum agrum decurrens e sublimi in subjectam vallem præceps fertur, ut ruere potius quam fluere videatur. Vide Plinium et Strabonem. Claudius Imperator rivum Anienis novi lapideo opere in urbem perduxit, divisitque in plurimos et ornatissimos lacus. Suetonius Claudio. Vocatur hodie *Teverone.*

Aut potuit sociæ commercia noscere ripæ,
Certantesque sibi dominum defendere villas;
Illum nec calido latravit Sirius astro,
Nec gravis aspexit Nemees frondentis alumnus:
Talis hyems tectis, frangunt sic improba solem
Frigora, Pisæoque domus non æstuat anno.

bente Aniene, et potuit noscere fornicem, quo utrumque ejus littus jungitur, ac Prætoria, quæ certatim contendunt sibi servare herum incolumem; nec Sirius allatravit illum ardenti sidere, nec æstuosus alumnus sylvosæ Nemees afflavit: tantus algor est in ædibus, et tantum frigus contundit ardorem solis, ut domus non æstuet ipso-

bante Handio. Urat. *et insertos;* Rom. et Venett. *et in serto.*—3 Venet. 1. *ponere ripæ.* Markl. monuit, ne cui adblandiatur *risere*, ex Boëthii Consol. lib. IV. Metr. 12.—4 *Certantisque* Urat. Voss. Venet. 1. Parm. Rom. 1. 2. Venett. 2. 3. 4. Brix. et Vicent. quod reposuit Hand. *Certantes* ceteri codd. cum Aldd. Colin. Gryph. &c.—5 Scriv. ad Martial. IV. 57. mutavit in *luceravit Sirius;* Hopfius vero *lustravit Sirius.* Barth. in libro suo notavit manu legendum esse *latrabit*, quod cum reliquis non convenit.—6 N. Heins. maluit *adspectu*, vel *accessit.* Wakef. in Sylv. Crit. Tom. III. p. 21. *Nemees frendentis.* Sed cf. Martial. Spectac. Epigr. XXVII. 3.—8 *Pisæumque d. n. æ. annum* exhibent omnes codd. et edd. ante Marklandum, qui edidit ut in textu.

NOTÆ

3 *Sociæ commercia ripæ*] Intelligit fornicem, qua utraque pars villæ Manlii sita in utraque Anienis ripa conjungebatur, ut jam diximus.

5 *Sirius*] Est stella ardentissima, Canicula dicta, unde vocati 'dies caniculares.' *Latravit*] Alludit ad canem Erigones, qui in hoc signum mutatus dicitur. Sic Theb. v. 'Meæque Æstifer Erigones spumat canis.' Manilius lib. v. 'Latratque Canicula flammas; Et rapit igne suo, geminatque incendia solis.'

6 *Nemees alumnus*] Intelligit Leonem occisum ab Hercule in Nemea sylva Arcadiæ, et in cœlum receptum. Sensus autem: Qui est in villa Manlii non sentit æstum etiam diebus canicularibus; vel quando sol est in signo Leonis, hoc est, mense Julio, quo mense calor maximus esse solet, ob eam scilicet rationem, quod licet sol hoc tempore magis a nobis distet, quam alio, nos tamen feriat radiis ad perpendicularem magis accedentibus, et hinc tanto potentiorem reflectionem efficientibus.

7 *Frangunt*] Sumsit a Cicerone qui dixit: 'Nunc et Scævola quoniam in Tusculanum ire constituit, paululum requiescet, dum se calor frangat.'

8 *Pisæoque domus non æstuat anno*] Per annum Pisæum intelligit illud anni tempus, quo ludi Olympici prope Pisam in Elide celebrabantur, quod fuit sub ipsum Solstitium æstivale. *Non æstuat anno*] Id est, non sentit calorem et æstum anni Pisæi. Et *æstuare* hic active sumitur sicut et verbum 'anhelare.' Theb. XI. 'Phlegræ seu fessus anhelet Prælia.' Et Theb. x. Omnis anhelet Unda nefas. Prudentius etiam id verbum cum accusativo conjunxit Hymno Laurentii: 'Quid ille fervens ambitu, sitimque honoris æstuans,' ut habet antiquissimus Puteanorum codex. Vulgo, 'si-

Visa manu tenera tectum scripsisse Voluptas;
Tunc Venus Idaliis unxit fastigia succis,
Permulsitque comis, blandumque reliquit honorem
Sedibus, et volucres vetuit discedere natos.
O longum memoranda dies! quæ mente reporto
Gaudia! quam lassos per tot miracula visus!
Ingenium quam mite solo! quæ forma beatis
Arte manus concessa locis! non largius usquam

met tempore, quo ludi Pisæi celebrantur. Ipsa voluptas visa est designasse hanc domum delicata manu. Tunc Venus illinivit ejus fastigia liquoribus Idaliis, et permulsit comis suis, et reliquit in his locis dulcem decorem, et prohibuit filios amores ex iis migrare. O dies digna, quæ in longum memoretur. Quantam lætitiam in animo refero! Quam fatigati oculi percurrendo tot miracula! Quam suavis natura terræ! quam elegans forma tributa his fortunatis sedibus, peritia manus! Nus-

Antiquam lect. revocavit Handius.—9 Urat. Voss. Vindob. Venet. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. 1. 2. Brix. Vicent. et Ald. 2. *Ipsa;* Ald. 1. Colin. Gryph. et Gevart. *Visa,* probantibus Barth. Peyrar. et Markl. *Ipsa manu fertur tectum* Gronov. in Obss. ad v. 1. 33. *tectum tersisse* N. Heins. *tenera tecum* Urat. et Venet. 1. unde edidit Handius: *Ipsa manu tenera fertur scripsisse,* ut voluit Barth. in ineditis, et Schrad.—10 *Tum Venus* Lindenbrog. et Heins. Vide Voss. ad Tibull. I. 1. 21. Venet. 1. *junxit fastidia;* Parm. *junxit fastigia;* Vicent. *unxit fastidia.*—11 *Pelmulsitque comas* Par. Rom. Venett. 2. 3. 4. Brix. Vicent. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. Basil. Bern. Til. et Cruc. *Permulsique comis* Florent. Urat. et Venet. 1. quod reposuit Gronov. et conj. Barthius. Idem Barth. conj. etiam: *Immulsitque comis;* N. Heins. *Permulsitque coma;* Schrad. *Permulsitque domos,* vel *crocis.* Leid. a m. pr. *relinquit.* Scriv. conj. *reliquit hodorem,* i. e. *odorem.*—12 Venett. *vetuit descendere;* correxit Avantius.—13 Thomas Rhædus maluit: *quæ mente reposta.*—14 Heins. conj. *quam lassus, &c.*—15 Lindenbrog. et Cruc. *firma* pro *forma,* ex errore typothetarum; unde Heinsius: *qua firma beatis, &c.*—16 *Arte manus artemque locis* Urat. Vatt. 1. 2. 4. et Venet. 1. *Arte manus antiqua locis* Parm. unde *forma beatis Arte manu adjecta locis* Piccardus: *Arte manus quæsita,* vel *sancita,* vel *congesta* Heins. *Arte manu concessa* Leid. *Arte manus concessa* Vat. 3. Rom.

NOTÆ

tique.' Idem Cathem. Post Hymno VII. 'Rex ipse Coos æstuantem murices, Lenam revulsa dissipabat fibula.' Ubi male Torrentius: 'Coo exæstuantem murice.'

9 *Tectum scripsisse Voluptas*] Intelligit Statius, per *tectum scripsisse,* idem quod Maro Æneid. I. 'Optare locum tecto et concludere sulco.' Voluptas locum elegit, et designavit. *Gronovius.*

10 *Idaliis*] Id est, Cypriis ab Idalio seu monte seu nemore Cypri insulæ Veneri sacro.

12 *Volucres natos*] Amores seu Cupidines. Vide Epithalamium Stellæ et Violantillæ supra vs. 62.

15 *Ingenium quam mite solo*] Descriptionis initium. I. Laudat villam ab amœnitate soli. II. Constructione ædificii.

16 *Arte manus*] Architecti scilicet.

Indulsit Natura sibi: nemora alta citatis
Incubuere vadis; fallax responsat imago
Frondibus, et longas eadem fugit unda per umbras.
Ipse Anien (miranda fides) infraque superque
Saxeus, hic tumidam rabiem, spumosaque ponit
Murmura, ceu placidi veritus turbare Vopisci
Pieriosque dies, et habentes carmina somnos.

quam natura se profudit abundantius. Excelsæ sylvæ impendent alveo fluenti. Fallax species ramorum repræsentatur in eo, et eadem umbra protenditur per longas aquas. Ipse Anien (fides miranda) labens infra et supra per saxa, summo strepitu, deponit hic turgidum furorem, et spumosum susurrum, ceu timeat turbare dies mitis Vopisci impensos Musis, et ejus somnos meditantes versus. Domus gau-

Venett. 2. 3. 4. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c.—18 Venet. 1. *respondit*, unde aliquis scribendum censeat *respondet imago.* Cf. Hor. I. Od. 12. 4. Auson. in Mosell. 189. et Pallad. Epigr. v. 110.—19 In omnibus edd. inde a principe legitur: *longas eadem fugit umbra per undas.* Lect. nostram edidit Marklandus, nulla mutationis, aut auctoris mentione facta. Est vero hæc correctio Bentleii ad Hor. IV. Od. 2. 29. quam ab Urat. confirmatam reposuit Handius.—20 *Ipsa autem* Urat. omnes codd. Domitii et Venet. 1. *Ipse amnis* Parm. et Venet. 2. *Ipse Anien* Leid. Par. Rom. et Vicent. Guyetus annotavit: 'al. *infra supraque.*'—21 *Vix suus, hic tumidum, &c.* conj. Markl. *Concitus, hic, &c.* vel, *Sævior*, vel: *Saxa ruens tumidam hic rabiem;* vel denique: *Spumeus, hic, &c.* tentabat Lenzius; *Flammeus* Jacobsius.—22 *Munera* Venet. 1.—23 *Piereosque dies* Rom. et Venett. *avente*s *carmina somnos* Leid. Par. Rom. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Bern. Til. Cruc. &c. N. Heins. conj. *amantes*, aut *alentes;* Wakef. ad Lucr. IV. 467. correxit *agentes*, probante Lenzio; Piccartus in Gebhardi Crepund. III. 27. conjecit *habentes;* quam conjecturam ut suam proposuit Markl. et in textum admisit: firmant

NOTÆ

18 *Fallax imago*] Frondium scilicet in aqua. *Responsat Frondibus*] Repræsentat frondes in aquis umbra frondium.

19 *Longas per umbras* [*undas*] Id est, per longum spatium Anienis.

21 *Hic tumidam rabiem spumosaque ponit Murmura*] *Hic*, id est, dum abluit villam Vopisci. Qui autem observaverit nos supra dixisse, Anienem per Tiburtinum agrum decurrentem in subjectam vallem præcipitem ferri, non mirabitur hic *rabiem spumosaque murmura:* non enim ruere sic potest, nisi cum magno strepitu ac multa spuma.

23 *Pieriosque dies*] Id est, impensos Musis Pieriis dictis.

Habentes carmina somnos] Vult Vopiscum nunquam profundo somno obrutum esse, sed jacere tenui sopore meditantem semper carmen. Pausanias eodem sensu refert in Corinthiacis fuisse in foro Trœzeniorum templum Musis dicatum, ac prope aram, ad quam Musis et Somno sacra faciebant, censentes Musis omnium Deorum maxime amicum ipsum Somnum.

Littus utrumque domi: nec te mitissimus amnis
Dividit; alternas servant prætoria ripas
Non externa sibi, fluviumve obstare queruntur.
Sestiacos nunc fama sinus, pelagusque natatum
Jactet, et audaci junctos delphinas ephebo:

det utraque amnis ripa; nec fluvius placidissimus te sejungit: villæ partes servant utrumque littus, non divisæ a se invicem, nec queruntur amnem impedire, quo minus jungantur. Nunc fama venditet Sestiacum fretum, ac pontum trajectum nando, et jugatos delphines a temerario adolescente. Perpetua hic tranquillitas, nulla hic

Urat. et Venet. 1.—24 *Littus utrimque, domus: nec se mitissimus amnis* Lips. et Bern. *Littus utrimque, domus nec te m. amnis* Gasser. *annus* pro *amnis* Urat. et Vindob. *armis* Venet. 1.—25 Markl. conj. *ornant prætoria ripas.*—26 *Non externa sibi fluviorum optare queruntur* Urat. et Parm. et ita Venet. 1. nisi quod *extrema* habet; Leid. Rom. et Venet. 2. *fluvium ne obstare.* Particulam *ve* restituerunt Domitius et Avantius. Jos. R. Vulpius scripsit: *Non externa sibi fluviumque optare queruntur.* Gevartius habet ut in textu.—27 *Sesciatos* Urat. *Sesiacos* Venet .1.—28 Urat. et Venet. 1. *victos* pro *junctos;* Parm.

NOTÆ

24 *Littus utrumque domi: nec te mitissimus amnis Dividit, &c.*] Hic luxuriat Poëta verborum copia, ut monstret Anienem Tiburtinam villam interfluere, nec tamen eam dividere.

Te] Supple, o domus.

25 *Prætoria*] Sic villas magnificas appellabant.

26 *Non externa sibi, fluviumve obstare queruntur*] Sensus: Non sunt binæ illæ partes villæ Tiburtinæ externæ sibi invicem, id est, disjunctæ a se invicem, licet medius fluat Anien; interposito enim fornice conjunguntur, nec eadem ratione queruntur Anienem impedire, quominus jungantur. Totum hunc locum pæne iisdem verbis restituit Ausonius in Mosella: 'Villæ Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans Amnis, et alternas comunt prætoria ripas.'

27 *Sestiacos sinus, pelagusque natatum*] Per *Sestiacos sinus* et *pelagus natatum,* Hellespontum intelligit, *natatum* scilicet a Leandro, de quo vide superiori Epithalamio vs. 86. Leander enim ex Abydo natabat Seston, ut diximus in eo loco. Hellespontus hic autem dicitur Sestiacus a Sesto oppido Thraciæ, cui ex opposito Abydus respondet in Asia. Hunc quoque locum expressit Ausonius ibidem: 'Quis modo Sestiacum pelagus Nepheleidos Helles Æquor, Abydeni freta quis miretur Ephebi?'

28 *Et audaci junctos delphinas ephebo*] Hic Papinius designat Baianum sinum, qui dirimit Baias et Puteolos, et innuit, ut volunt interpretes, historiam de delphino, quem tradunt tempore Augusti ad Puteolos venire quotidie solitum, et puero præbere dorsum, receptumque equitis modo insidentem per magnum æquor ad triginta millia passuum deferre: ad spectaculum Roma et tota Italia occurrente. Tandem puero mortuo, ipse delphinus ad locum, quo recipere dorso solitus erat puerum, frequentissime veniens, desiderio expiravit. Vide Plin. Nat. Hist. lib. IX. cap. 8. A. Gellium, et lege Plinium Juniorem lib. IX. Epist. 33. *Audaci*] Quia se mari ac delphino audebat committere.

Hic æterna quies, nullis hic jura procellis,
Nusquam fervor aquis: datur hic transmittere visus,
Et voces, et pæne manus: sic Chalcida fluctus
Expellunt fluvii: sic dissociata profundo
Bruttia Sicaniam circumspicit ora Pelorum.
Quid primum, mediumve canam? quo fine quiescam?
Auratasne trabes, an Mauros undique postes,

potestas procellis, nusquam agitatæ undæ. Licet hic transferre oculos vocesque, ac fere manus. Sic reciprocæ undæ summoveut Chalcida: sic Brutia plaga disjuncta mari, cernit undique Pelorum Siciliæ. Quid primum, secundumve prædicabo? quo finiam? stupeamne laquearia tecta auro, an postes undique factos ex Mauro lapide?

vinctas; Urat. *audacis.*—30 *Nunquam fervor equis* Urat. *Nunquam f. aquis* Venet. 1.—31. 32 Vindob. *calchida fluctus;* Venet. 1. *colchida.* Omnes vero codd. et edd. vett. *fluctus Expellunt fluvii.* Barth. conj. *sic Chalcida fluctum Expellunt fluvii;* Heins. in Advers. *Dispescunt*, vel *Divellunt;* in notis scriptis: *sic Chalcide fluctus Se pellunt refugi;* et ad Claud. p. 43. *sic Chalcida fluctus Dispescunt reflui*, probantibus Cruc. Lindenbrog. Gronov. Guy. &c. *Discernunt* Burm. *sic Chalcida fluctus Dispellunt refugi* Markl. probante Lenzio. Vide Huschk. ad Tibull. IV. 1. 53.—33 *Brutia* legitur in omnibus libris et edd. ante Gronovium, qui edidit *Bruttia*, ut Heins. in Silii locis VI. 15. VIII. 570.—35 *Auratasve* Urat. *Auratasque* Venet. 1.—36 Medic. Venet. 1. et

NOTÆ

29 *Hic æterna quies*] Supra enim dixit Anienem hic posuisse 'tumidam rabiem, ac spumosa murmura.'

30 *Datur hic transmittere visus, Et voces, et pæne manus*] Hunc locum etiam imitatus est Ausonius loco supra citato: 'Non hic dura freti rabies, non sæva furentum Prælia Caurorum; licet hic commercia linguæ Jungere, et alterno sermonem texere pulsu: Blanda salutiferas permiscent littora voces, Et voces et pæne manus.'

31 *Sic Chalcida fluctus Expellunt fluvii [reflui]* Per *fluctus refluos* innuit Euripum, qui reciprocantibus seu refluis undis dividit Chalcida urbem Eubœæ insulæ, ab Aulide portu Bœotiæ.

32 *Sic dissociata profundo Bruttia ora, &c.*] Innuit distantiam Siciliæ et Bruttiæ, quæ etiam parvo admodum freto, Mamertino dicto, divisæ sunt. Bruttia vero ora, quia hoc dextrum cornu Italiæ, seu hanc ultimam oram, Siciliam versus, ubi est Rhegium, incolebant Bruttii, Œnotrii prius dicti.

33 *Pelorum*] Pelorus promontorium Siciliæ e regione Rhegii. Sensus autem totius loci hic est: Ut Hellespontus Leandro natatus dividit Europam ac Asiam, sinus Baianus, ubi contigit historia de puero insidenti dorso delphini, Baias et Puteolos, Euripusque dirimit Chalcida seu Eubœam a Bœotia, et fretum Mamertinum Siciliam et Italiam, ita Anien duas illas villæ Manlii domus a se mutuo separat.

35 *Auratasne trabes*] Sic Epith. Stellæ: 'Robora Dalmatico lucent satiata metallo.' Vide ibidem. *Mauros undique postes*] Domitius per *Mauros postes*, vult postes Vopisci ebore vel citro ornatos esse, quæ ex Africa

An picturata lucentia marmora vena
Mirer, an emissas per cuncta cubilia nymphas?
Huc oculis, huc mente trahor: venerabile dicam
Lucorum senium? te, quæ vada fluminis infra

an marmora, quæ splendent distincta vena? an aquas emissas per cuncta cubicula? Huc ducor oculis, huc animo. Canamne venerandam vetustatem lucorum? Te,



Parm. *luna* pro *vena*, probante Gronovio; Boxhorn. conj. *An picturatæ l. m. venæ?*—37 Britannicus ad Juvenal. ed. Venet. 1494. legit *lymphas;* et sic Aldd. Colin. Gryph. Basil. Til. Grasser. Bern. Gronov. alii; *nymphas* Venet. 1. Parm. Rom. Brix. et Vicent. itaque correxit Heins.—39. 40 Gruter. legit: *an te quæ . . . tacentis,* vel *te quæ . . . tacentes.* Venet. 1. Rom. et ceteræ

NOTÆ

seu Mauritania afferantur. Sed hic intelligendum est Numidicum marmor, quod et Statius ponit in Balneo Hetrusci, et Plinius lib. XXXVI. cap. 6. scribit M. Lepidum, Catuli in consulatu collegam, primum omnium limina ex Numidico marmore posuisse, magna omnium reprehensione.

36 *Picturata vena*] An naturaliter distincta marmora suis venis, an picturæ artificio: marmora enim etiam pingebantur, novo et luxurioso invento, auctore Plinio. Legit *Luna* pro *vena* Gronovius ex Ms. Mediceo, et vult hos postes Numidico marmore simul et Lunensi ornatos esse. *Picturata*] Quia Lunense marmor album erat et discolor, ad cœruleum vergente specie, ut scribit Strabo.

37 *An emissas per cuncta cubicula nymphas*] Intelligit artificium, quo aqua frigida siphunculis inclusa per parietes singulorum cubiculorum suorum emittebatur, ad ea refrigerenda, et frangendum nimium calorem: idque tam privatim, quam publice usurpatum. Plinius lib. V. Ep. 6. ad Apollin. loquens de Hippodromo suo in Tusculano: 'E stibadio,' inquit, 'aqua vel expressa cubantium pondere siphunculis effluit, cavato lapide suscipitur, gracili marmore continetur, atque ita occulte temperatur, ut impleat, nec redundet.' Seneca de Tranquill. Vitæ cap. 1. 'Quid perlucentes ad imum, aquas, et circumfluentes ipsa convivia.' Vide eund. Ep. 110. et Nat. Quæst. lib. III. cap. 8. Suetonium Octavio cap. 80. 'Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpe in peristylio saliente aqua, atque etiam ventilante aliquo, cubabat.' De Theatris Valerius Maximus lib. II. 'Cn. Pompeius ante omnes aquæ decursu per semitas æstivum minuit calorem.' Vide Frontinum de Aquæductibus, ubi loquitur de irrigationibus Circi.

38 *Huc oculis, huc mente trahor*] Similis locus apud Achillem Tatium lib. V. Ἐγὼ δὲ μερίζων τοὺς ὀφθαλμοὺς, κ. τ. λ. θεατὴς ἀκόρεστος ἤμην, καὶ τὸ κάλλος ὅλως οὐκ ἐξήρκουν ἰδεῖν· τὰ μὲν ἔβλεπον, τὰ δὲ ἔμελλον, τὰ δ' ἠπειγόμην ἰδεῖν, τὰ δὲ οὐκ ἤθελον παρελθεῖν. ἐκράτει τὴν θέαν τὰ δρώμενα, εἷλκε τὰ προσδοκώμενα. *Ego vero dividens oculos, &c. non poteram satiuri spectando, nec sufficiebam prorsus videndo quicquid pulchrum erat: hæc enim spectabam, hæc spectare debebam, hæc festinabam videre, hæc nolebam transmittere: objecta distinebant oculos, attrahebant hæc, quæ videnda restabant.*

Cernis? an ad sylvas quæ respicis, aula, jacentes?
Qua tibi tota quies, offensaque turbine nullo
Nox silet, aut teneros invitant murmura somnos.
An quæ graminea suscepta crepidine fumant

aula, quæ despicis infra fluentum fluvii, an te, quæ spectas silentia nemora, ubi frueris integra quiete, et nox tacet nullo ventorum flatu turbata, et susurri imitantur segnes somnos? An balnea, quæ condita in herbido margine fumant, et ignem



Venett. *teque ... tacentis;* Heins. conj. *et te quæ.* Vicent. Parm. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *tacentis;* Bern. Grasser. Gevart. Gronov. *tacentes.* Peyraredus conj. *jacentes*, quod sibi vindicavit Markl. Vulg. lect. defendit Wakef. ad Lucr. III. 952. et revocavit Handius.—41 *Qua tibi muta quies* Lenzius; *tuta quies* Heins. V. D. in exempl. Gott. et Wakef. ad Lucr. III. 952. *turbine in illo* Vindob. ab alia manu.—42 *Mox silet* Urat. et Vindob. in iisdem: *nigros mutantia murmura somnos;* Leid. Par. Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. 1. 2. Basil. Bern. Til. Cruc. Gevart. Grasser. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *et nigros imitantia murmura somnos.* Peyrared. conj. *pigros invitant*, vel *invitat murmure somnos.* Heins. putabat aliquid deesse, et ita conj. *pigros invitant murmura somnos Vel salientis aquæ nemoris vel flamina moti.* Markl. vult: *et teneros invitant murmura*, vel *et teneros invitant carmina*, ut supra vs. 23. ille etiam dedit *aut* pro *et*, itaque malit Lenzius.—43 *An que* Rom.—44 N. Heins. conj. *et appositum.*

NOTÆ

39 *Lucorum senium*] Nemora enim intra suas ædes habebant. Vel alludit ad tres quercus, quæ, auctore Plinio, longe antiquiores erant ipso oppido. Nam apud eas Tiburnus conditor dicitur inauguratus. *Venerabile* vero, quia veteribus arbores cultæ. *Te*] Illud *te* ad aliquam aulam referendum est.

41 *Tota quies*] Id est, integra, nulla ex parte vel minutissimo murmure turbata. Legunt Behotius et Piccartus *Tuta quies*, sed male.

42 *Teneros* [*nigros*] Mallem *pigros:* nigri enim somni epithetum, aut iners, aut ineptum. *Invitant* [*imitantia*] *murmura somnos*] Id est, leviter susurrantia, quæ dormientem imitari videntur.

43 *An quæ graminea suscepta crepidine fumant Balnea, et impositum ripis algentibus ignem*] De balneis, earumque usu, ac quomodo exstruebantur ac partes earum disponebantur, vide Vitruvium lib. v. cap. 10. Mercurialem lib. x. cap. 10. de Gymnastica, et Plinium lib. xxv. cap. 7. Verum veteres, ut omnia in luxum vertebant, ipsi margini fluviorum ac maris etiam substruebant thermas, et vaporaria, et quodammodo ignem ac frigus miscebant. Margini fluviorum, ut hoc loco, et sic balneas in Mosellæ ripis agnovit Ausonius: ‘Quid quæ sulfurea substructa crepidine fumant Balnea, ferventi cum Mulciber haustus operto Volvit anhelatas tectoria per cava flammas.’ Maris vero; Surrentino Pollii: ‘Gemina testudine fumant Balnea.’ Et in Hercule Surrentino: ‘Curvi tu littoris ora Clausisti calidas gemina testudine lymphas.’ Erant et pensiles balneæ. Seneca Ep. 90. et Plinius lib. IX. cap. 60.

Balnea, et impositum ripis algentibus ignem?
Quique vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine nymphas?
Vidi artes, veterumque manus, variisque metalla
Viva modis: labor est auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.
Quicquid et argento primum vel in ære Myronis

impositum gelidis ripis? Quaque fluvius præterlabens fumosos caminos, irridet nymphas in iis æstuantes juxta ipsum. Aspexi artes et manus priscorum artificum; ac metalla varie exprimentia vivos vultus. Opera est numerare aureas et eburneas imagines, aut gemmas, quæ mererentur gestari digitis, et quicquid manus Myronis,

—45 *Quaque* omnes codd. et edd. vett. mutavit Markl. Pro *junctus* Venet. 1. *unctis.*—46 N. Heins. *vicino frigore* ex codice manuscripto.—47 *Quidre artes* Heins. et in ineditis *Adde artes.*—49 Sabellicus ad Plin. affert, *digitis constringere;* Vir doctus in exempl. Gott. *dignas digitos contingere gemmas.*—50 Markl. conj. *Quicquid et argento Phradmon*, vel *Quicquid et argento Mentor;* et mox *Zeuxidis aut vario manus, &c.* Heins. conj. *primi . . . Myronis.* Cf. Propert. I. 7. 3. Idem in Advers. p. 606. et Epist. Syllog. Tom. IV. p. 429. voluit: *argento primi Myos*, aut *prisci Myos;* et vs. seq. *Lysippi enormi manus est experta colosso*, vel *Lindeaque, &c.* In scriptis libris nulla varietas extat, nisi quod Urat. habet *minoris* pro *Myronis.* Venet. et Parm. *enormi m. e. e. colosso.* Heinsius etiam: *enormi manus explorata colosso.* Malim superiori

NOTÆ

45 *Quique vaporiferis junctus fornacibus amnis Ridet anhelantes vicino flumine nymphas*] Domitius, per *anhelantes nymphas*, intelligit Albulas, quæ aquæ sunt ipsius Anienis terra absorpti et in planitie Tiburtina rursus emergentis. At male: nam hæ dissitæ a villa Manlii, nec junguntur *vaporiferis fornacibus* balneorum. Sed hæc de Aniene ipso debent intelligi. Ipse Anio, inquit, in cujus ripis fumant balnea, ridet nymphas, (hoc est, aquas balneares,) anhelantes præ nimio fervore, in balneo puta, cum tamen tam vicinum habeant flumen gelidum, id est, ipsummet Anienem, ad cujus ripam exstructæ balneæ, quo æstum levare possint.

47 *Vidi artes, veterumque manus, &c.*] Transit nunc Poëta ad descriptionem signorum et imaginum argentearum et eburnearum, quæ erant in Tiburtino Manlii. *Veterum manus*] Signa antiqua et Archetypa. *Variisque metalla Viva modis*] 'Spirantia' scilicet 'molliter æra et vivi ducti de marmore vultus:' ἔμπνοα Antipatro in buculam Myronis: πλάττεις ἔμπνοα καὶ σὺ Μύρων. *Formas spirantia et tu quoque Myron.* Noster: 'Et Polycletæo jussum quod vivere cœlo.'

50 *Myronis*] De Myrone hæc dicit Plinius lib. XXXIV. cap. 8. 'Myronem Eleutheris natum, et ipsum Ageladis discipulum, bucula maxime nobilitavit, celebratis versibus laudata, quando alieno plerique ingenio magis, quam suo commendantur: fecit et canem, et discobolon, et Persea et pristas, et Satyrum admirantem tibias, et Minervam, Delphicum Pentathlos, Pancratiastas: Herculem

Lusit, et enormes manus est experta Colossos.
Dum vagor aspectu, visusque per omnia duco,
Calcabam necopinus opes: nam splendor ab alto
Defluus, et nitidum referentes aëra testæ
Monstravere solum; varias ubi picta per artes
Gaudet humus superare novis asarota figuris.

lusit primum in argento et in ære, antequam tentaret enormes colossos. Dum circumfero vagos oculos per omnia, calcabam inscius res pretiosas: nam fulgor ab alto defluus, et testulæ, remittentes lucidum aërem, ostenderunt pavimentum, ubi solum ornatur diversis picturæ generibus, et vincit asarota novis figuris. Pedes mei ob-

versu: *Quicquid in argento, &c.*—52 Venet. 1. *virusque;* Burm. tentabat *visuque per omnia ducor.*—53 Venet. 1. *opimus,* correxit Domitius. Ne quis mutet *nam* in *jam,* monuit Haudius.—54 Urat. *deferentes ærea;* Christius conj. *ferientes æra.* V. D. in exempl. Gott. correxit, *constravere solum.*—56 Venet. 1. *speratque novis asarota figuris;* Rom. Vicent. et ceteræ Venett. *superantque novas asarota figuras;* Parm. *superatque novas a. figuras;* Urat. Par. et Vindob. *superatque novis asarota figuris,* quod primus commendavit Salmas. et proba-

NOTÆ

etiam, qui est apud Circum maximum in æde Pompeii Magni: fecisse et cicadæ monumentum, ac locustæ, carminibus suis Erinna significat: fecit et Apollinem, quem a Triumviro Antonio sublatum restituit Ephesiis Divus Augustus, admonitus in quiete. Primus hic multiplicasse varietatem videtur, numerosior in arte, quam Polycletus, et symmetria diligentior: et ipse tamen corporum tenus curiosus, animi sensus non expressisse, capillum quoque, et pubem non emendatius fecisse, quam rudis antiquitas instituisset.' De eodem consule Ciceronem in Verrem Act. VI. Pausaniam Atticis, Ovidium de Ponto, Propertium, Martialem, atque alios.

51 *Lusit*] Ut operis facilitatem denotet. *Colossos*] Hinc discimus et Myronem colossos fecisse.

53 *Calcabam necopinus opes*] Seneca Epist. 16. 'Ut terram marmoribus abscondas, et non tantum habere tibi liceat, sed et calcare divitias.' Et Ep. 86. 'Eo deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus.' Lucanus de Cleopatræ Palatio: 'Totaque effusus in aula Calcabatur onyx.' Martialis: 'Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.'

Nam splendor ab alto Defluus] Hoc Philosophice; nam Democritus, Epicurus, et Empedocles, teste Aristotele de Anima lib. II. lumen nihil aliud esse voluerunt, quam effluvium corpusculorum e corpore luminoso, id est, *ἀποῤῥοὴν σώματος.* Et Heraclitus, referente Macrobio, in Somn. Scipionis cap. 20. ex hac sententia vocat 'fontem luminis.' Vide Gevartium ad hunc locum.

54 *Nitidum aëra*] An per *nitidum aëra* intelligit species et imagines rerum, quæ per aërem deferuntur? *Testæ*] Id est, testulæ quibus parietes contecti erant.

55 *Varias ubi picta per artes Gaudet humus superare novis asarota figuris*] Sensus: Tabulatum eo artificio elaboratum erat ac pictum, ut novis figu-

Expavere gradus. Quid nunc ingentia mirer,
Aut quid partitis distantia tecta trichoris?

stupuere. Quid nunc mirer ingentia, aut quid mirer tecta disseparata divisis tri-

tum a Vossio, recepit Gronovius; et sic etiam Handius. Heins. conjecit: *varias ceu picta per artes Gaudet humus, vernantque novis asarota figuris;* Scriverius vero: *vibrantque novas asarota figuras.* Edd. ab Aldo usque ad Gronov. *suberantque novis a. figuris.* Lectio textualis mera est Marklandi conjectura.—57 Venet. 1. *qui nunc ingentia mittet.*—58 Vet. cod. ap. Markl. *testa.* N. Heins. corrigi jubet *cingentia tecta.* Venet. 1. *tritoris;* Morel. affert e vet. cod. *trigonis.* Markl. voluit: *Quid nunc ingentia mirer Atria?*

NOTÆ

ris superaverit *asarota*. *Asarota* vero erant pavimenti genus, in quo variis ac parvis testulis, tinctisque in varios colores, reliquiæ ac purgamenta cœnæ ea arte repræsentata erant, ut facile inscii falli potuissent, rati esse veras reliquias. In hoc genere pavimentorum claruit Sosus quidam, ut ait Plinius lib. XXXVI. cap. 25. 'Qui Pergami stravit quem vocant Asaroton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri solent, veluti relicta fecerat, parvis testulis, tinctisque in varios colores: mirabilis ibi columba bibens, et aquam umbra capitis offuscans: apricantur aliæ scabentes sese in canthari labro.' Hæc Plinius. Quidam dicunt hujusmodi pavimenta dicta *asarota*, quod minime verrerentur, ab *α* privativo, et *σαίρω*, quod significat *verro*: purgamenta autem manibus colligi, deinde pavimenta spongiis purgari. Alii tamen contendunt fuisse diligentissime versa, et hic particulam *α* augere significationem, ut sæpe fit apud Græcos, et quoad speciem ac apparentiam, tantum *asarota*, et simulatis cœnæ purgamentis strata, ne scilicet dum veræ reliquiæ et purgamenta in illa pavimenta deciderent, tam facile discernerentur. Artifices autem hujusmodi operum vocantur 'Musivarii' a Cassiodoro, lib. VII. Var. et lib. X. Codicis Titul. de Excus. Artific. *ψηφοθέται* Basilio Magno, Homil. in divites. Opera vero 'Musiva,' 'Musæa,' 'Musiva.' Nos 'Mosaica' dicimus. Pavimenta operis 'Musivi' a Græcis 'Psephothemata,' 'psephologismata,' 'psephologica' vocabantur, Gregorio Naz. *ψηφῖδος σοφισμοὶ* a *ψῆφος*, seu *ψηφὶς*, quod est *lapillus*; item et *Chondrobolia* a *χόνδρος*, quod est *granum*, eo quod essent ex minutissimis granis composita. Latinis etiam 'pavimenta sectila,' 'opus quadratarium, Tesselatum, et Vermiculatum,' de quibus consule Salmasium ad Historiam Augustam, et Spon medicum in Miscellaneis eruditæ Antiquitatis. Aliqui legunt *suberant*, id est, substrata erant pedibus meis asarota novis figuris ornata.

58 *Partitis trichoris*] Domitius exponit de tribus contignationibus in ædificio assurgentibus. Casaubonus melius interpretatur *trichora*, domos tripartitas, in Pescennio Spartiani; quia, ut ait, optimatum ædes tribus distinctis partibus constare solent: quarum una ingredienti adversa occurrit, duæ sunt a latere. Has tripartitas domos Architecti vocabant *Trichora*, *τρίχωρα*. Architecti nostri vocant *Papiliones* hodie: quia harum partium (ædificii corpora vulgo diximus) diversa tecta sic consurgunt,

Quid te, quæ mediis servata penatibus, arbor,
Tecta per et postes liquidas emergis in auras?
Quo non sub domino sævas passura bipennes?
Et nunc ignaræ forsan vel lubrica Nais,
Vel non abruptos tibi debet Hamadryas annos.
Quid referam alternas gemino super aggere nymphas,
Albentesque lacus, altosque in gurgite fontes?

choris? Quid te, arbor, quæ custodita in mediis laribus, assurgis in fluidum aërem per tecta et postes. Sub quo domino non fuisses passa sævas secures? Et nunc forsan, illo inscio, aliqua Nympha lasciviens, aut Hamadryas eripiet tibi vitam a domino servatam. Quid narrabo duplices mensas in utraque amnis crepidine, et albentes lacus, et in fluvio fontes salientes? Et te, Martia, quæ penitus fluis per

quid paribus distantia tecta trichoris?—59 In marg. Parm. scriptum erat *secreta*, quod præferendum videbatur Heinsio Advers. p. 546.—60 *Testa* Venet. 1. Markl. et Burm. tentabant: *Tigna per et postes*; sed postea Burm. scripsit: *Tecta super postesque leves emergis in auras*; Scriver. *Tecta per, ut postes, &c.*—61 *Quonam sub domino* Grotius in Epist. ad Gronov. 633. *Quæ non sub domino* maluit Gevartius.—62. 63 *Et non* Par. Parm. et Rom. *lubrica Dryas* Leid. *Et nunc ignaræ* codex Lipsii. Versu seq. Parm. omittit *tibi*, pro quo Urat. et Venet. 1. habent *ubi*. Rom. et Leid. *tibi demit*; Venet. 1. *tibi damnet*. N. Heins. ad Ovid. Fast. IV. 231. et in Advers. p. 547. emend. *At nunc ignaræ . . . tibi debet*; unde nostras Jortin: *Et nunc ignaræ . . . tibi debet*, ut in textu, quod primus reposuit Markl. Gronovius: *At nunc intactæ . . . tibi comet*; Forcellinus in Lex. sub v. 'Hamadryas' affert: *non abruptos tibi reddet*; Hand. conj. *Et nunc cognatæ . . . tibi comet*. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Til. Gronov. Barth. Gevart. Grasser. Veen. et Delph. habent: *Et nunc ignaro . . . tibi demet*; ut edidit Handius.—64 Omnes codd. et edd. vett. habent: *alternas gemino super aggere mensas*; tribus conjecturis mutavit Marklandus; sc. *alternas g. s. a. ninfus*, i. e. *nymphas*; vel: *gemino s. a. lymphas*; vel: *alterno geminas s. a. nymphas*.—65 Heins. in Advers. p. 546. conj.

NOTÆ

ut in metatura castrorum separata totidem Papilionum fastigia. Et certe hæc descriptio optime respondet villæ Tiburtinæ, cujus tres partes fuisse ex hac Sylva discimus: nam singulæ domus ad utramque ripam Anienis ædificatæ erant, fornixque intercedebat, supra quem aliud ædificium tectum constructum verisimiliter erat. Sic tripartita erat hæc villa.

59 *Quid te arbor*] In mediis ædibus Manlius conservaverat arborem.

62 *Lubrica Nais*] Supplendum aliqua Nais seu Nympha Anienis. Horum vero verborum mens est: Forte cessante Manlio, aquas subterfluentes sensim corrupturas arboris illius radices, quæ postquam emortuæ erunt, ipsa arbor necessario morietur. Aut eam lasciviens Nais dejiciet.

63 *Vel non abruptos tibi debet Hamadryas annos*] Nota omnibus stulta credulitas veterum, qua cuivis arbori Nympham Hamadryadem præesse volebant, qua moriente, etiam ipsas arbores mori credebant. Vide quæ diximus ad Theb. lib. VI.

64 *Gemino super aggere*] Super crepidine utriusque ripæ.

65 *Albentesque lacus*] Per *albentes*

Teque per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Marcia, et audaci transcurris flumina plumbo?

obliquum fluvium, et transcurris amnes audaci plumbo? An solus Alpheus Elidis

Algentesque lacus; Idem, cum Bern. Barth. et Christio: *aliosque in g. fontes;* Burm. *olidosque in g. fontes,* sed non omnino damnat *altos;* alius quidam: *altoque in g. fontes.* Hinc Marklandus: *Albentesque l. gelidosque;* et: *Algentesque l. albosque;* et denique: *albosque in margine fontes;* nam Venet. 1. habet: *altosque immergite fontes.* Ceteri libri omnes exhibent ut in textu. —67 *Martia* omnes codd. et edd. vett. sed Morellus primus correxit e Strabone v. p. 240. ubi vocatur *τὸ Μάρκιον ὕδωρ.* Hanc correctionem, non nominato auctore, dedit Marklandus. Heinsius Advers. III. 17. p. 548. legit: *et audaci transcurris f. ponto.* V. D. in exemplari Gott. malit: *et audaci transmittis flumina plumbo.* Num legendum: *et audaci*

NOTÆ

lacus intelligit Albulas. Observandum est, Anienem, ubi ex monte Trebanorum oritur, tres lacus amœnitate nobiles perfluere, ut jam diximus. Inde per montes et sylvas decurrens juxta Tibur ex editissimis rupibus præcipitatur in subjectos campos maximo cum strepitu. Alicubi per scopulos et saxa delapsus, sui magnam partem recondit, quam alibi tamen in descensu large revomit. Quin ad montium radices per imam planitiem egelidis venis sulfureis per subterranea metalla derivatis, sparsim erumpit, quas Albulas vocant a colore seri lactis, cui similes videntur. Medica virtute multa pollere dicuntur tam in potu, quam balneis, ut etiam Strabo testatur lib. v. Plinius lib. XXXI. cap. 2. eas vulneribus mederi scribit. Neque solum Albulæ, sed et Albuneus supra Tibur, et Anien ipse vi quadam sua naturali consolidant, et agglutinant corpora quævis, verum et virgulta, ligna, folia, vel herbas, aliaque solidiora, quæ perfluere contingit, cortice lapideo sensim obducunt. Albularum aliæ calidæ erant, ut testatur Suetonius Augusto cap. 82. aliæ frigidæ, ut habet Strabo et Plinius locis citatis. Galenus lib. VIII. Methodi medendi vocat ἄλβουλα. Vide infra vs. 75. *Altosque in gurgite fontes*] Intelligit aquas salientes vel in ipso fluvio, vel in utraque ripa fluvii, aut Albulas e pluribus fontibus erumpentes.

66 *Teque per obliquum penitus quæ laberis amnem, Marcia* [*Martia*], *et audaci transcurris flumina plumbo*] Innuit Martiam per fistulas, seu tubulos plumbeos perductam fuisse per transversum Anienem in villam Tiburtinam. *Audaci plumbo*] Quia ut transveherentur aquæ per obliquum Anienem, multus labor sumendus, multæque impensæ faciendæ. *Martia* vero, ut verbis Plinii utar lib. XXXI. cap. 3. ‘clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma, præconio urbis, inter reliqua Deum munere urbi tributa. Vocabatur hæc quondam Aufeia, fons autem ipse Piconia: oritur in ultimis montibus Pelignorum: transit Marsos, et Fucinum lacum, Romam non dubie petens: mox specu mersa, in Tiburtina se aperit novem millia passuum fornicibus structis perducta. Primus eam in urbem ducere auspicatus est Ancus Martius unus e regibus: postea Q. Martius rex in prætura: rursusque restituit M. Agrippa.’ Vide et Frontinum de Aquæ-

Non solum Ioniis sub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad Ætnæos deducit semita portus.
Illis ipse antris Anienus fonte relicto,
Nocte sub arcana glaucos exutus amictus,
Huc illuc fragili prosternit pectora musco:
Aut ingens in stagna cadit, vitreasque natatu

transmittatur dulci meatu per medias undas Ionii maris ad portus Ætnæos? In his cavernis ipse Anienus, relicto suo fonte, et exutus cæruleo amictu, recubat per tacitam noctem huc et illuc in tenero musco: aut magnus labitur in lacus, et plaudit

transcurris flumine plumbō? i. e. *plumbum.*—68 *Haud solum Ioniis* Wakef. in Sylv. Crit. Tom. IV. p. 235. sed Tom. V. p. 156. *Ne solum . . . deducat,* deleto interrogationis signo, quemadmodum longe antea Heinsius, cujus ex conjectura suam fecit Markl. ut in textu. *An solum . . . deducat* codd. et edd. vett. *helidos* Vicent. In Venet. 1. desideratur hic versus.—69 *Dulcis ad ætherios* Urat. *Dulcis ad æthreos* Venet. 1. *Hennæos* Wakef. l. l. Drakenborch. ad Sil. Ital. I. 93. et Heins. ad Claud. Rapt. Pros. I. 222.—70 *Aniene in fonte* Venet. 1. quod Domitius mutavit in *Anieni fonte;* et sic legitur in Rom. et ceteris Venett. et Leid. *Anienis* Parm. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. Primus correxisse videtur Jac. a Cruce Bonon. Thes. Crit. Tom. I. p. 675. *Anienem* Urat. et Vindob. *Anien et fonte* Politianus Epist. VI. 1. ut in codice Sen.—72 N. Heins. mutavit *Hic illic;* Venet. 1. *Huc illuc f. prosternunt.*—73 *Aut vergens* Heins. quod placuit Burmanno Sec. ad Anthol. Lat. Tom. II. p.

NOTÆ

ductibus, Strabonem lib. V. Vitruvium lib. VIII. cap. 3. *Martia* vocata fuit ab Anco Martio, qui primus eam in urbem perduxit.

68 *Non solum Ioniis sub fluctibus Elidis amnem Dulcis ad Ætnæos deducit semita portus*] Designat Alpheum, fluvium Elidis, de quo vide Epithal. sup. qui dicitur subterraneo meatu pervenire subter Ionium mare in Siciliam ac misceri cum fonte Arethusa. Sensus vero: Alpheum non debere superbire, quod subterraneo meatu, subterque mare defluens, tandem apud fontem Arethusam prope Syracusas, quæ dicuntur *Ætnæi portus* ob celebritatem portus Syracusani, se attollat, cum Martia ex ultimis Pelignorum montibus tandem etiam in Tiburtino Manlii se aperiat. *Dulcis semita*] Quia hic fluvius dicitur aquas puras, et impermixtas mari conservare. Epith. Stellæ: ‘ Flumina demerso trahit intemerata canali.’

Ætnæos portus] Syracusas intelligit ob famam portus Syracusani, *Ætnæi* dicti ab Ætna monte Siciliæ.

70 *Anienus*] Deus Anienis fluvii, sicut a Tiberi, Tiberinus Deus formatur. Vide Varronem de Lingua Latina. Propertio quoque Anienus Deus appellatur: ‘ Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ.’

71 *Glaucos exutus amictus*] Cæruleis vestibus indui fluvios fabulati sunt veteres. Sic apud Virgilium, Tiberinum ‘ Glauco tenuis velabat amictu Carbasus.’

72 *Fragili musco*] Lectos e musco dant fluviis Poëtæ, quia muscus circa latera fontium, et in humidis locis frequenter nascitur. *Fragili*] Quia facile cedit.

Plaudit aquas : illa recubat Tiburnus in umbra,
Illic sulfureos cupit Albula mergere crines.
Hæc domus Ægeriæ nemoralem abjungere Phœben,
Et Dryadum viduare choris algentia possit
Taygeta, et sylvis arcessere Pana Lycæis.

natando pellucidas aquas. Illic Tiburnus in umbra recubat. Illic Albula optat condere sulfureas comas. Hæc villa posset avellere Dianam Nemorensem ab Ægeria, ac privare frigida Taygeta cœtibus Dryadum, et advocare Pana ex sylvis Ly-



659.—74 *Tiberinus in umbra* Avantius in Aldd. quod prætulerunt Politian. Gevart. Bern. et Lindenbrog. *Tiburinus* Venet. 1. *Tiburnus,* correctum a Calderino et Jac. a Cruce, legitur in Urat. Leid. Par. et in edd. Grasser. Gevart. et in notis Lindenbrogii.—75 Venet. 1. *sulphureos;* Urat. cum ceteris edd. vett. *sulfureos.*—76 Morel. correxit *Ægeriæ nemore almam abjungere Phœben;* Urat. Vindob. Par. Venet. 1. Rom. et ceteræ Venett. *adjungere;* correxit Avantius in Ald. 1. *Egeria N. abjungere* edidit Handius. —77 Venet. 1. *viduare thoros algentia;* Parm. *algeona.*—78 *Taigeta et silvis acersere P. beatis* Venet. 1. *accessere* Urat. *accersere* ceteræ Venett. *arcessere*

NOTÆ

73 *In stagna*] Per *stagna* tres illos lacus, quos Anio defert in Tiberim, intelligit. Eos Tacitus 'Simbruina stagna' videtur appellare, scribens Ann. XIV. apud illa fuisse Neronis villam Sublacensem in finibus Tiburtium, cujus etiam Frontinus de Aquæductibus meminit.

74 *Plaudit aquas*] Domitius intelligit aquas Martiæ, ego vero ipsius aquas Anieni vel trium lacuum intelligo. *Tiburnus*] Tiburnus Domitio genius est loci a Tibure sic dictus. Sed Tiburnus est conditor Tiburis qui ibi colebatur, et lucum habebat Horatio nominatum, 'Tiburni lucus.' Alii legunt Tiberinus, sicque intelligeretur Tiberis subterraneis tubis in villam Manlii perductus ; nam Tiberis agrum Tiburtinum non alluit.

75 *Illic sulfureos cupit Albula mergere crines*] *Albula* hic intelligitur Nympha Albularum. *Sulfureos*] Martialis lib. I. Epig. vocat sulfureas etiam aquas Albulæ : 'Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces, Canaque sulfureis Albula fumat aquis.' Et lib. IV. vocat 'crudas Albulas :' 'Crudarum nebula quod Albularum.'

76 *Hæc domus*] Supple Manlii. *Ægeriæ*] Ægeria Nympha, quæ colebatur in Aricino lacu. Illa est cum qua Numa simulabat se nocturnos congressus habere, ab eaque accipere quæ ad administrationem Reipublicæ, et ad sacra cærimoniasque religionis pertinebant. *Nemoralem Phœben*] Intelligit Dianam Aricinam, *nemoralem* seu nemorensem dictam, quia in nemore Aricino colebatur, ibique templum habebat. *Phœben* vero Dianam, quia Luna et Diana una eademque Dea.

77 *Dryadum*] Dryades Nymphæ sylvis præsidentes, quæ noctu choreas agere credebantur.

78 *Taygeta*] Taygeta seu Taygetus mons Laconiæ Baccho sacer. *Pana*] Pan, seu Sylvanus, Deus pastorum. *Sylvis Lycæis*] Id est, sylvis quæ sunt in Lycæo monte Arcadiæ, qui sacer Pani erat. Vult vero Poëta tantam amœnitatem esse Manlianæ

Quod ni templa darent alias Tirynthia sortes,
Et Prænestinæ poterant migrare sorores.
Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? vosque,

cæis. Sorores Prænestinæ Tibur migrarent edituræ sua oracula, nisi fanum Herculis hic daret alias sortes. Quid celebrem pomaria Alcinoi bis quotannis

---

Aldd. Lindenbr. et Gevart. *arcessere* Grasser. cum recentt.—79 *Quin templa* marg. Parm. *Quod in* Urat. *altas T. sortes* Leid. *thirintia*, aut *thyrintia*, aut *tyrinthia* edd. vett. Schrader correxit: *Quod si templa darent;* itemque Hopfius, qui tentabat etiam: *Quodni templa d. altæ Tirynthie sortes*, et: *Quod ni t. d. aliæ Tirynthie sortes.* V. D. in exempl. Gott. *Latias T. sortes.*—80 *Huc*

NOTÆ

villæ, ut Diana ultro relinqueret Ægeriam, Dryades Taygeta, et Pan Lycæas sylvas, loca sibi gratissima, commigrarentque ad eam villam.

79 *Templa Tirynthia*] Tibure enim magnificum habebat templum Hercules 'Tirynthius' cognominatus, ut docet Juvenalis: 'Vincens Fortunæ atque Herculis ædes.' Unde Tibur erat sub tutela Herculis, illique sacrum, teste Suetonio, Caligula cap. 8. Hinc 'Herculeum' vocant Strabo et Martialis. Herculis quidem ibi templum autumant illud fuisse periti antiquitatum, quod sub monte ad viam Tiburtinam videtur. Et altera fuit ibidem ædes Herculis Saxani, ut colligitur ex titulo antiquo marmori inscripto. *Sortes*] Templum Herculis sortium oraculis celebre, non minus quam Buræ in Achaia, cujus Pausanias meminit.

80 *Et Prænestinæ poterant migrare sorores*] Intelligit sortes Prænestinas, quarum erat Præneste celeberrimum templum, in quo oracula per sortes edebantur. Hujus superstitionis originem refert Cicero de Divinatione lib. II. ubi hæc ait: 'Numerium Suffucium Prænestinorum monumenta declarant, honestum hominem et nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minantibus, cum juberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis, irridentibus suis civibus, id agere cœpisse. Itaque perfracto saxo sortes erupisse, in robore insculptis priscarum literarum notis. Eodem tempore, illo loco, ubi nunc Fortunæ sita est ædes, mel ex olea fluxisse dicunt, aruspicesque dixisse summa nobilitate illas sortes futuras, eorumque jussu ex illa olea arcam esse factam: eaque conditas sortes, quæ hodie fortunæ monitu tolluntur.' Hæc Cicero. Suetonius refert in Caligula, hunc principem vicina urbi oracula disjicere conatum esse, sed majestate Prænestinarum sortium territum, destitisse: cum obsignatas devectasque Romam non reperisset in arca, nisi relatas rursus ad templum. *Sorores* autem vocat, quia, ut Strabo ait, Fortuna habitu duarum sororum apud Præneste colebatur. Hujus Fortunæ templum parvulis crustis sterni fecit Sylla. Plinius lib. XXXVI. cap. 25. Mens Papinii vero: Nisi sortes Tiburi essent, sorores Prænestinæ ultro loci amœnitate inductæ huc migrarent, ibi oracula edituræ. Ceterum Præneste, in quo erat illud Fortunæ delubrum, erat oppidum Latii.

81 *Alcinoi pomaria*] Alcinous rex Phæacum seu Corcyrensium, Marsithei filius, Ulyssem naufragum benigne recepit, Nausicaamque filiam illi

Qui nunquam vacui prodistis in æthera, rami ?
Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Jugera, Lucrinæque domus, littusque cruenti
Antiphatæ : cedant vitreæ juga perfida Circes

fructum ferentia, cum vos, arbores Tiburtinæ, nunquam assurgitis in aërem sine fructibus? Cedant Telegoni, cedant agri Laurentes Turni, et Lucrinæ ædes ac ripa crudelis Antiphatæ. Cedant cacumina infida pellucidæ Circes, ubi socii

P. poterant Heins. *poterunt* Venet. 1.—82 Par. Venet. 1. et Vicent. *ad æthera;* reliqui libri *in æthera.*—83 *Cedant thelegoni* Venet. 1.—84 *Laciniæ* codex Markl. Leid. Par. margo Parm. Venet. 1. Rom. Vicent. et Venett. 2. 3. 4. *Lucrinæque* Urat. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. &c. Heinsius conj. *Lavinæque,* et *Lanuviique domus.*—85 *Antiphate* Leid. *Anthiphate* Venet. 1.—86 Pro *superbæ,*

NOTÆ

in matrimonium obtulit, ac deinde remisit in patriam. Pomaria hortique ejus celeberrimi, quorum descriptionem vide apud Homerum in Odyssea. Juven. Satir. v. 'Illa jubebat Poma dari, quorum solo pascaris odore, Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat.' Nunc vult Poëta loca amœnissima totius orbis cedere villæ Tiburtinæ Manlii.

83 *Telegoni jugera*] Tusculanum agrum intelligit, sic dictum a Tusculo oppido Latii, a Telegono Ulyssis ac Circes filio condito. Strabo scribit agrum Tusculanum fuisse amœnissimum, secessumque gratissimum, multisque magnificis prætoriis ornatum. Tusculum nunc vocatur *Frescati. Laurentia*] A Laurento oppido Latii sic dicta, ut Priscianus putat. Sunt qui id confundant cum Lavinio: dicitur *Turni,* quia his locis Turnus imperabat.

84 *Lucrinæque domus*] Vide Epithal. Stellæ vs. 269. Lege Plinium lib. III. cap. 5. Aliquæ editiones habent, *Laciniæque domus.* Nam Lacinium promontorium Bruttiorum Ptolemæo lib. III. cap. 1. et nobile fuit oppidum ejusce nominis Junonis delubro, quæ et inde 'Lacinia' vocata est. Locum hunc pascuis et sylvis gratissimum fuisse ex Livio lib. XXIV. aliisque discimus. Vide Plinium lib. III. cap. 5. *Littusque cruenti Antiphatæ*] Designat Formias, Hormias prius dictas, secessum amœnissimum, sedes quondam Læstrygonum, cujus dux Antiphates fuit, quem 'cruentum' vocat, quod carne humana vescebatur. Vide Plinium lib. III. cap. 3. Ovid. Met. XIV. et Strabonem lib. V. et Homerum, qui testatur Formias esse amœnissimas. Martialis hoc littus valde laudat lib. X. Ep. 30.

85 *Vitreæ juga perfida Circes*] Intelligit Circeios, sedem Circes, ubi Circe homines in feras vertere credebatur, unde *perfida juga.* Hæc erat Solis et Perses filia, soror Ætæ Colchorum regis; post mortem mariti Sarmatarum regis, quem occiderat, expulsa profugit in Italiam, ubi montem ab ea 'Circæum' dictum tenuit. 'Circen vitream' vocat, imitatus Horatium I. Od. 17. 'Dices laborantes in uno Penelopen vitreamque Circen.' 'Vitream' appellat, quia juxta mare habitabat, cujus color, ut omnium aquarum vitreus est, id est, pellucidus. Hinc paulo ante Papinius dixit: 'Vitreasque

Dulichiis ululata lupis, arcesque superbi
Anxuris, et sedes, Phrygio quas mitis alumno
Debet anus: cedant, quæ te, jam solibus arctis,
Antia nimbosa revocabunt littora bruma.
Scilicet hic illi meditantur pondera mores:

Ulyssis Dulichii in lupos conversi ulularunt, ac arces magnificæ Anxuris, et sedes, quas placida vetula debet Trojano alumno. Cedat villa Antii, quæ te revocabit, cum jam dies breviores fient, et instante pluviosa hyeme. Hoc in loco mores Vopisci

quod omnes codd. et edd. vett. exhibent, Markl. substituit *superbi.*—87 *Aut curis* Rom.—88 *Debet annus c. jam te quæ* Urat.—89 *Avia . . . littora* omnes codd. et edd. vett. N. Heins. in Advers. p. 489. et in Epist. Syllog. Tom. v. p. 534. legendum censuit aut, *Daunia,* aut, *Apulia.* Markl. postquam apud Domitium legisset: '*Cedant quæ te*] Antium intelligit, quo hyeme secedebant Romani,' correxit *Antia,* quam lect. necessariam putavit Handius. Leid. *revocabant;* Parm. *revocabunt frigora.*—90 *Scilicet hic hilari miscentur pondere mores* tentavit Markl. cujus vestigia secutus Burmannus, conj. *hilares moderantur pondera mores.* Handius vero: *hic illi moderantur pondera mores.*—

NOTÆ

natatu plaudit aquas.' Lactantius vero refert Circen post obitum suum, Maricam littoris Minturnensium Deam factam esse. Ejus verba sunt: 'Nam et Romulus post mortem Quirinus dictus est, Leda Nemesis, et Circe Marica.'

86 *Dulichiis ululata lupis*] Alludit ad fabulam, qua dicuntur socii Ulyssis mutati in lupos a Circe. *Dulichii* vero, a Dulichio parva insula prope Ithacam, quæ parebat Ulyssi. Homerus tamen refert comites Ulyssis, qui ad Circen venerant, versos fuisse in sues: fuisseque illic leones, lupos, ursos, in quos alii mutati fuerant. *Arcesque superbi* [*superbæ*] *Anxuris*] Anxur, nunc Terracina urbs Volscorum, de qua Plinius l. v. c. 5. et Servius ad illud Virgilii: 'Circæumque jugum quis Jupiter Anxurus arvis.' Dicuntur *arces superbæ,* quia Anxur in colle edito situs erat. Anxuris placidos recessus celebrat Martialis lib. x. Ep. 58. Eidem 'superbus' dicitur Anxur lib. vi. Ep. 42.

87 *Et sedes, Phrygio quas mitis alumno Debet anus*] Caietam intelligit, hoc nomen sortitam a Caieta nutrice Æneæ, ibi mortua, et sepulta ab Ænea, qui hic dicitur *Phrygius alumnus.* Noti versus Virgilii: 'Tu quoque littoribus nostris Æneia nutrix Æternum moriens nomen Caieta dedisti.' Alii tamen Caietam a Laconibus conditam ferunt, sicque vocatam ait Strabo, a curvitate sinus: nam 'Caieta' omnia curva Lacones appellant.

88 *Solibus arctis*] Brevibus diebus, sole breviores circulos describente.

89 *Antia* [*Avia*] *littora*] Antium intelligit Domitius, vetus Latii oppidum, Volscorum caput, quo hyeme secedebant Romani. In eo erat Fortunæ templum, ut et Præneste, atque utroque loco sortes historicis omnibus cognitæ. Vide Macrob. Saturn. lib. I. cap. 10. et lib. v. cap. 16. *Avia* vero sine portu. Nam Antium portu caruit, ut scribit Strabo lib. v. At Livius initio lib. III. Antium maritimam urbem nominat.

90 *Hic*] Scilicet in hac secessus

Hic premitur fœcunda quies, virtusque serena
Fronte gravis, sanusque decor, luxuque carentes
Deliciæ, quas ipse suis digressus Athenis
Mallet deserto senior Gargettius horto.
Hæc per et Ægeas hyemes, Pliadumque nivosum

ad gravitatem componuntur, hic otium fœcundum, et virtus severa tranquilla fronte: sanus vitæ nitor, et voluptates sine luxu, quas ipse longævus Gargettius, migrans suis Athenis, præferret suo horto. Et conveniret tendere ad hæc loca et per tem-

91 N. Heins. conj. *facunda quies.*—92 *Sotiusque decor* Vatt. 3. 4. et Parm. *Sanusque nitor* Urat. quod ex aliis codd. tacite reposuit Gronovius: idem fecit Handius. *Sanctusque decor* conj. N. Heins. Vide Advers. p. 607. et Syllog. Epist. Tom. v. p. 534.—94 Urat. *gargeticus orto;* Venet. 1. *carthetius;* Rom. Vicent. ceteræ Venett. et Aldd. *Gargetius;* Gronov. correxit *Gargettius*. Scaliger ad Cirin Virgilii: *cultoque senex Gargettius horto.*—95 *Nec par* Venet. 1. *Pliadumque* omnes codd. etiam Vatt. et ita legi solitum in antiquis codd. Virg. Æn. I. 748. et III. 516. *Pleadumque* citat Smetius in Prosodia; *Placidumque* Parm. *Hyadum* legit Heins. in Advers. IV. 1. p. 554. et ad finem Tibulli Edit. Broukhusianæ. *Hyades Pliadumque* antiquus codex

NOTÆ

Tiburtini amœnitate componis mores ad gravitatem.

91 *Fœcunda quies*] Otium tuum, in quo aliquid semper agis. Supra: 'Pieriosque dies et habentes carmina somnos.' Seneca Ep. 73. 'Pingue otium et imperturbata publicis occupationibus quies. Otium quod inter Deos agitur, quod Deos facit.' Chio in Ep. ad Clearchum, docet quam fœcunda sit θεὰ ἡσυχία, *Dea Quies. Virtusque serena Fronte gravis*] Discis comis esse, et pariter gravis, quod difficillimum est, ut scribit Cicero.

92 *Sanusque decor* [*nitor*] Quidam legunt *decor*. Papinio vero *sanus nitor*, est alibi, Protrep. Crispini: 'Nitor luxuriæ confine tenens.' Et Statius: *Nitorem* pro liberalitate et splendore rei familiaris sæpe sumit, ut Lacrymis Hetrusci: 'Testis adhuc largi nitor inde assuetus Hetrusci, Cui tua non humiles dedit indulgentia mores.'

93 *Athenis*] Athenæ urbs clarior, quam ut indicari egeat. Vide Theb. XII. sub finem.

94 *Senior Gargettius*] Epicurus Neoclis filius, Philosophus Atheniensis, auctor sectæ Epicuræorum, pago Gargettius, summum bonum in voluptate constituebat, non tamen in voluptate corporis, ut Aristippus, sed in absentia omnium dolorum, et in summa animi tranquillitate ac pace. Effugere tamen non potuit, quin homines voluptatibus dediti, non et Epicuræi vocarentur: unde 'Epicuri de grege porcum' dicit Horatius. *Horto*] Epicurus incolebat Athenis exiguum hortum, in quo frugalissime vivebat, primusque, ut scribit Plinius lib. XIX. instituit Athenis habere hortos in urbe, unde hortorum magister appellatus est. Juvenalis: 'Epicurum Suspicit exigui lætum plantaribus horti.' Vide Diogenem Laërtium in ejus vita. Meus: Epicurus qui voluptatem sectabatur et tranquillitatem animi, ultro desereret hortum suum, et in villam tuam commigraret.

95 *Hæc per et Ægeas, &c.*] Vult Poëta tantæ amœnitatis esse seces-

Sidus, et Oleniis dignum petiisse sub astris.
Si Maleæ credenda ratis, Siculosque per æstus
Sit via, cur oculis sordet vicina voluptas?
Hic tua Tiburtes Faunos chelys, et juvat ipsum
Alciden, dictumque lyra majore Catillum:

pestates Ægei maris, et pluviosum signum Pleiadum, et sub sideribus Oleniis: quanquam navigaretur per promontorium Maleæ, et transeundum esset per gurgites Siculi maris. Cur amœniora loca, cum proxima sunt, displicent oculis. Hic tua cithara oblectat Faunos Tiburtes, ipsumque Herculem, ac Catillum cantatum anti-

Prosodiæ Despauter.—96 *Olenii . . . astri* Heins. ibid. *Holeniis* Rom.—97 *Simileæ credenda* Venet. 1. Lenzius legendum putat: *Siculosque per æstus Si via.*—98 Venet. 1. *sorbet* pro *sordet*. Totum h. l. ita distinguit Markl. *Hæc (per . . . astris, Si Maleæ c. ratis, . . . Sit via) cur . . . voluptas?* Bern. ita: *Hæc per . . . hyemes, . . . Sidus, . . . astris, . . . ratis, . . . via. Cur . . . voluptas?* Multi editores punctum ponunt post *astris*, et post *via* colon.—100 Venet. 1.

NOTÆ

sum Tiburtinum Manlii, ut par esset venire in talem villam, etiam si per Ægeum mare ac Maleam, et procellosis etiam temporibus navigandum esset. *Ægeas hyemes*] Id est, tempestates maris Ægei, respicitque Poëta significationem vocis Græcæ *χείμων*, quæ et tempus anni *hyemem* dictum significat, ac procellam et tempestatem. *Pliadumque nivosum sidus*] Nam Pleiades seu Pliades in ortu suo tempestates maximas excitant. Vide quæ diximus ad Theb. I. 26.

96 *Oleniis sub astris*] Capram Jovis nutricem intelligit, et hædos signa tempestates excitantia.

97 *Maleæ*] Malea promontorium Laconiæ, quod in mare per 50. millia passuum protenditur, naufragiis infame, ubi unda tam sæva est, ut prosequi navigantes videatur, ait Isidorus lib. XIV. cap. 7. *Siculosque per æstus*] Intelligit Scyllam et Charybdim in freto Mamertino, inter Siciliam et Italiam, mare vorticosum, ambo clara sævitia, ut ait Plinius. Mela: 'Id angustum,' ait, 'fretum et anceps alterno cursu modo in Tuscum, modo in Ionium pelagus profluit, atrox, sævum, et Scyllæ Charybdisque sævis nominibus inclytum. Scylla saxum est: Charybdis mare: utrumque noxium appulsis.' Vide Protrept. Crispini.

98 *Cur oculis sordet vicina voluptas*] Hæc interrogative legenda sunt, quasi omnes Romanos hortetur secedere in tam amœnum locum, nec debere dicit sordere oculis, tam vicinam voluptatem, more ingenii humani, cui tanta suarum rerum satietas est, et alienarum aviditas, cuique sordent domestica. Huc et spectant verba Luciani in Cyn. Ἀπὸ περάτων γῆς ἐμπορευόμενοι τὰς ἡδονὰς, καὶ ξενικὰ τῶν ἐπιχωρίων ἀεὶ προτιμοῦντες. *Ab ultimis terræ terminis sectantes voluptates, alienasque res domesticis præferentes.*

99 *Tiburtes Faunos*] Fauni Dei camporum ac nemorum Tiburtinorum: cuivis enim loco Deos ascribebant veteres.

100 *Alciden*] Herculem, sic dictum ab avo Alcæo, Deum tutelarem Tibu-

Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris,
Sive chelyn tollas heroa ad robora, sive
Liventem Satiram nigra rubigine turbes:
Seu tibi non alta splendescat Epistola cura.

quiore lyra. Seu tibi mens est, æmulari plectrum Pindari, sive tollis citharam ad celebrandos fortes Heroës, sive tingas mordacem satiram atra rubigine, sive scribas



doctumque.—101 *Si tibi* Venet. 1.—102 Urat. Leid. Par. et edd. usque ad Aldum omnes *chelyn*, vel *chelim tollis;* Lindenbrog. et Gruter. *tollas.*—103 Forcellinus in Lex. sub v. 'Satira,' affert *turbas;* Gevart. Guy. et V. D. in exempl. Gott. conj. *turpes;* Markl. *tingas.* Omnes libri, etiam Vatt. consentiunt in verbo *turbes.* P. Scriv. et post eum N. Heins. in Syllog. Epist. Tom. IV. p. 423. Tom. V. p. 534. et Advers. p. 607. conj. *vibres,* et alibi *curves;* Hopfius *purges,* quod Burmanno Sec. ad Anthol. Lat. Tom. II. p. 677. genuinam scripturam referre videbatur. Gevartii emendationem in textum admisit Handius.—104 *Seu tibi non alta* emendavit Markl. *Seu tua non alta* Gevart. *Seu tua non alia* omnes codd. et edd. vett. quod revocavit Handius.

NOTÆ

ris' *Dictumque lyra majore Catillum*] Catillus unus e conditoribus Tiburis, rater Tiburti et Coracis, et filius Amphiarai. *Lyra majore*] Virgilio. Respexitque hos versus Virgilii. 'Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt, Fratris Tiburti dictam cognomine gentem, Catillusque, acerque Coras Argiva juventus.' Hi enim tres fratres relictis Argis, consilio Œcli avi, in Italiam venerunt, et condiderunt Tibur.

101 *Pindaricis plectris*] Id est, Lyricis. Pindaricis vero, a Pindaro Thebano vate, Lyricorum apud Græcos facile principe: unde et 'olor Dyrcæus' seu 'Thebanus' dictus est Poëtis. Claruit, ut scribit Eusebius 76. Olympiade, quo tempore in scena florebat Æschylus Athenis; quo etiam tempore Xerxes Persarum rex magnis terra marique copiis bellum Græciæ intulit. Ex ejus libris, quod ultra 17. fecerat, restant nobis solum Hymni, qui nunc in omnium manibus et ore versantur, quos in honorem eorum, qui vicerant in quatuor certaminibus Græcorum, vario genere carminum composuit. Reliqua ejus opera perdita sunt. Scripserat Pæanes, Dithyrambos, Scolia, Epitaphia, Encomia, Threnos, Prosodia, Parthenia, Enthronismos, Bacchica, Daphnephorica, Hyporchemata, Dramata tragica, quæ ab Hermogene, ubi de sermonis castitate agit, valde laudantur. Scripserat item Epigrammata Epica, et ad Græcos oratione soluta Admonitiones, et multa alia. Vixit annos 55. Contigit autem ipsi mori, ut optaverat: cum enim petiisset, inquit Suidas, ut quod optimum in vita esset, sibi daretur, subito mortuus est capite posito super gremium pueri, quo unice delectabatur.

102 *Sive chelyn tollas heroa ad robora*] Id est, sive extollas lyram ad celebrandos Heroas carmine epico.

103 *Liventem Satiram nigra rubigine turbes* [*turpes*] *Turpes,* hoc verbum optime convenit cum *nigra rubigine,* seu mordacitate, qua Satiram tinctam esse oportet.

104 *Non alta cura*] Eleganter dixit *non alta cura,* quod Epistolæ plebeio

Digne Midæ Crœsique bonis, et Perside gaza,
Macte bonis animi! cujus stagnantia rura
Debuit et flavis Hermus transcurrere ripis,
Et limo splendente Tagus: sic docta frequentes
Otia; sic omni detersus pectora nube,
Finem Nestoreæ precor egrediare senectæ.

epistolas familiari stylo. Digne Midæ et Crœsi opibus, et Persiæ thesauris, Macte dotibus animi. Tu, cujus agros Hermus debuit irrigare aureis aquis, et Tagus fulgente cœno. Sic in hoc sæpius fruaris docto otio. Sic vacuus omni cura, superes terminos vitæ Nestoris.

—105 *Mida* Leid. *Crœsique opibus* Markl. *et Crœsi, Pelopisque et Perside gaza* Wakef. ad Lucr. II. 43.—107 Venet. 1. *hermis;* Rom. *heremus;* Vicent. *hermius.* Wakef. in Sylv. Crit. Tom. IV. p. 35. correxit: *Debuit et fulvis Hermus transcurrere rivis.*—109 Omnes codd. et edd. vett. *detectus;* Heins. ad Claud. Præf. I. Ruf. 4. Advers. p. 431. et Syllog. Epist. Tom. V. p. 534. conj. *detersus;* quam conjecturam suam fecit Markl. V. D. in exempl. Gott. *dejectus,* aut *detersus.*

NOTÆ

et minime exquisito stylo scribi debeant, ut docent Demetrius Phalereus, Dionysius Halicarnassæus, et Quintilianus. Hinc Cicero in Ep. ad Pætum: 'Quid tibi ego in Epistolis esse videor? nonne plebeio sermone agitur tecum, quæ præcipua virtus est.'

105 *Midæ*] Midas rex Phrygiæ ditissimus, quem ob divitias fingunt Poëtæ obtinuisse a Baccho, ut quæcumque contingeret, in aurum mutarentur. *Crœsique*] Crœsus rex Lydiæ ditissimus, unde proverbium tritum: 'Crœsi divitiæ.' Hujus notissima historia. Vide Herodotum lib. I. et Plutarchum in Solone. *Et Perside gaza*] Id est, thesauris regum Persarum, qui florentissimi et opulentissimi fuerunt, et omnibus divitiarum generibus affluxerunt.

107 *Hermus*] Hermus fluvius Lydiæ, aureas arenas volvens. Vide Epith. Stellæ vs. 132.

108 *Tagus*] Tagus Lusitaniæ fluvius aurifer. Vide ibidem eodem versu.

109 *Nube*] Curarum scilicet et solicitudinum.

110 *Nestoreæ senectæ*] Nestor enim longissime vixisse creditur. Vide Theb. IV. 127.

IV. SOTERIA † RUTILII GALLICI.

Rutilio Gallico, qui apud Domitianum plurimum valebat, ex lethargico morbo convalescenti gratulatur.

ESTIS, io Superi, nec inexorabile Clotho

Io vere estis Dii, nec Clotho volvit opus inflexibile. Alma Astræa respicit probos,

Edd. vett. *Soteria pro Rutilio Gallico;* Rhod. *Sciteria Rutilii Gallici;*

Volvit opus: videt alma pios Astræa, Jovique

Salisb. *Soteria Rululi Gallici;* Gronovius: *Soteria Rutilii Gallici,* sc. nomine.

NOTÆ

† *Soteria*] *Soteria* quidam volunt esse munera, quæ ad amicos mittebantur, cum ex gravi morbo convaluissent, et probant hoc Martialis Epigrammate: 'Ægrotas uno decies, aut sæpius anno; Nec tibi, sed nobis hoc, Polycharme, nocet. Nam quoties surgis, Soteria poscis amicos: Sit pudor, ægrota jam, Polycharme, semel.' Sed *Soteria* nihil aliud sunt, ut bene hic observat Gevartius, quam vota et sacrificia, quæ pro salute principum, cum e gravi et periculoso bello salvi reverterentur, ac pro salute amicorum, cum ex morbo convalescerent, solvebant: servata notione Græca, qua σωτήρια sunt *sacrificia pro salute accepta.* Quod vero Martialis queritur de Polycharmo, quod Soteria poscat amicos, hoc est, quod hæc vota ac sacrificia, non sine magnis sumtibus, fiebant ac persolvebantur: quod satis ipse Statius declarat, in fine Soteriorum, de solvendis pro impetrata Gallici salute sacrificiis. *Rutilii*] Verisimile est Rutilium fuisse, ut patet ex hoc libello, ex antiqua et nobilissima Rutiliorum familia, quæ plures consules tulit. Et inter alios illum, qui occisus fuit bello Italico, ut testatur Velleius Paterculus lib. II. et illum celeberrimum jurisconsultum, qui cum Manlio consul fuit anno Urbis conditæ 648. quique interrogatus repetundarum, maximo cum gemitu civitatis, damnatus fuit. Hunc Velleius Paterculus et Cicero passim vocant optimum et sanctissimum virum. Smyrnam commigravit studiorum causa, et maluit in exilio remanere, quam in patriam redire, cum id ei victoria Syllæ præstaret, ne quid contra leges faceret. Meminit et Orosius Hist. lib. v. cap. 18. P. Rutilii Lupi, qui consul fuit cum L. Cæsare anno Urbis conditæ 663. et Ulpianus de Veteri Jure Enuc. lib. I. Rutilii Severi. Et mentio fit alterius Jurisconsulti Rutilii Maximi ad Leg. Falcidiam l. 125. de Legat. Auctor comœdiæ, quæ 'Querolus' vocatur, opus suum dedicat cuidam Rutilio. Habemus etiam Itinerarium Rutilii Numatiani, qui tempore Honorii vivebat, præter multos alios, qui referuntur in Fastis. Noster vero Rutilius Gallicus præfecturam urbis, quam infra Poëta vocat 'custodiam Romæ,' Seneca 'tutelam urbis,' obtinuit sub Domitiano, ut colligitur ex Juvenale Satir. XV. 'Et custos Gallicus urbis.' Præfectus urbi dicitur etiam custos Josepho.

1 *Estis, io Superi*] Nihil magis confirmabat veteres in opinione, quod Dii essent, quam cum boni probique florerent, mali vero meritis pœnis afficerentur: unde si aliquem virum probum ac virtute præstantem extolli honoribus, aut liberari ab imminentibus periculis viderent, subito exclamabant: *Estis, io Superi;* ac Deos esse aperte fatebantur: si vero e contra cernerent malos potentes, virtutemque afflictam, statim illa fides elabebatur, nec putabant Deos esse, aut saltem mundum divina providentia regi. Exempla passim obvia. *Io*] Vox lætantis et triumphantis. 'Io Saturnalia,' 'io triumphe.' Quandoque dolentis. Noster Theb. III. 'Io quanti rubebitis amnes.' Tibullus: 'Uxor io sævas tolle puella faces.'

2 *Astræa*] Astræa, Dea Justi-

Conciliata redit; dubitataque sidera cernit
Gallicus. Es cœlo, Dis es, Germanice, cordi,
Quis neget? erubuit tanto spoliare ministro
Imperium Fortuna tuum: stat proxima cervix
Ponderis immensi, damnosaque fila senectæ
Exuit, atque alios melior revirescit in annos.
Ergo alacres, quæ signa colunt urbana, cohortes,

et reconciliata cum Jove, pedibus ejus advolvitur. Gallicus luce insperata fruitur. Acceptus es cœlo, Germanice, acceptus es Superis: quis potest inficiari? Puduit fortunam privare tuum imperium tanto ministro. Cervix, quæ tecum sustinet tantum pondus, stat, et exuit damnosam senectutem, ac vegetior revirescit in novos annos. Ergo lætæ cohortes, quæ venerantur signa urbana, ac soliciti litigatores, qui sæpe



—2 *Astrea* edd. vett.—3 *Conciliata cadit* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. &c. *redit* correctionem Barthii recepit Markl. *Consiliata cadit* alii, improbante Lindenbrogio; *Conciliata audit* alii, teste Barthio.—4 *Es cœlo dives* edd. vett. cum nonnullis codd. unde Lindenbrog. *Es cœlo Divis.* Rom. Vicent. Venett. 3. 4. Aldd.

NOTÆ

tiæ, quam postremam omnium numinum recessisse in cœlum fingunt Poëtæ, terram invisam habentem ob scelera et flagitia hominum. Illam Hesiodus assidere facit Jovi. Papinius fingit hic ad 'patrios pedes cadere,' ut patronam Rutilii et *σώτειραν* agat.

3 *Conciliata*] Ob restitutam Gallico sanitatem, prius infensa, quod tam egregius vir ægrotaret. *Redit* [*cadit*] Corrigendum censet *redit* Barthius, dicitque hanc ad nos redire reconciliatam Jovi.

4 *Gallicus*] Rutilius Gallicus. *Cœlo, Dis*] Cœlum et Dii cœlites *ἓν διὰ δυοῖν*. *Cordi*] Quid enim præstabilius ac pulchrius munus Deus principi dare potest, quam fidum ac sapientem ministrum.

6 *Stat proxima cervix Ponderis immensi*] Sic Cicero pro domo sua dixit 'sustinere suis cervicibus Remp.' Præfectura enim urbis dignitas fuit summa, ac Præfectus urbi etiam in nonnullis supra ipsum Præfectum Prætorii erat, licet hujus potestas imperatoriæ proxima fuerit, ut jure dixerit Eunapius eam esse *βασιλείαν ἀπόρφυρον*. Nam Præfectus urbi, quodammodo princeps senatus erat, sedebatque in Curia ante patricios, consules, consulares, Præfectum Prætorio, magistros militum, et ceteros illustres, ut est in novella 62. Itaque Leg. 3. Cod. de Præfectura urbis: 'Præfectura urbis, inquiunt Impp. cunctis quæ intra urbem sunt, antecellat dignitatibus.' De institutione hujusce dignitatis ac progressu vide Tacitum Ann. VI.

9 *Quæ signa colunt urbana, cohortes*] Intelligit cohortes urbanas tres, ut ex Taciti Ann. IV. discimus, quæ erant sub dispositione Præfecti urbi, ut colligitur ex Ulpiano. Et sane debuit etiam dispositos milites habuisse stationarios ad tuendam popularium quietem, et ad referendum sibi, quid ubique ageretur. *Signa colunt*] Ex more: milites enim signa adorabant. Tertullianus: 'Religio Roma-

Inque sinum quæ sæpe tuum fora turbida questum
Confugiunt, leges, urbesque ubicumque togatæ,
Quæ tua longinquis implorant jura querelis,
Certent lætitia; nosseque ex ordine collis
Confremat, et sileant pejoris murmura famæ:
Quippe manet, longumque ævo redeunte manebit,
Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ.

confugiunt ad te, et municipia, et oppida ubique togata, quæ e longinquo veniunt invocatura tuam justitiam, contendant gaudio. Deinde mons noster consonet, et murmura funestæ famæ sileant. Ille enim vivit et longe vivet annis redeuntibus, quem

Colin. Gryph. &c. *Es cælo, Dis es,* ut correxit Calderinus.—10 Venett. 1. 2. 3. 4. Rom. Parm. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *questu;* lectio *questum* est ex conjectura Marklandi.—11 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Grasser. Gevart. Til. Cruc. Gronov. Barth. Veen. Delph. et Markl. *legesque urbesque;* mutaverunt Edd. Bipontini, jussu Marklandi in curis secundis; et ita certe in Venet. 1. Parm. et Rom.—13 Venet. 1. *nos teque ex ordine;* Parm. et codd. manuscripti: *nosseque ex ordine;* Rom. 1. 2. ceteræ Venett. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. 1. 2. Basil. 1. 2. Bern. &c. *nosseque* revocavit

NOTÆ

norum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, omnibus Diis præponit.'

10 *Fora turbida*] Id est, litigatores.

11 *Leges*] Per *leges,* municipia intelligit, quæ suis legibus utebantur. *Urbesque togatæ*] *Urbes togatæ,* coloniæ sunt Romanæ, aut alia oppida, quæ jus civitatis Romanæ obtinuerant, quamvis jam diu tota Italia civitate Romana decorata fuerat.

12 *Longinquis*] Nam usque ad centesimum lapidem jurisdictio Præfecti urbi extendebatur. Ultra Præfectus Prætorio; ut notat Ulpianus in fragmentis Pithæanis de Plagiariis lib. IX. et de Officio Præfecti urbis lib. I. Dio tamen lib. LII. ubi de Præfecto urbis agit, jurisdictionem ejus angustius terminat: Ἔξω τῆς πόλεως μεχρὶ πεντήκοντα καὶ ἑξακοσίων σταδίων, *Ultra urbem usque ad sexcenta et quinquagena stadia.* Nisi in Dione rescribendum sit, ἑπτακοσίων, seu *septingentorum.*

13 *Nosseque* [*nosterque*] *collis*] Incertum, an Parnassum intelligat, quia Gallicus Poëta erat, an montem aliquem urbis, in quo simul Rutilius et Papinius habitabant.

14 *Sileant pejoris murmura famæ*] Scilicet, quæ erat Gallicum moriturum.

15 *Ævo redeunte*] Quia fortior evaserat post sanitatem, quam antea erat, et quasi novum ævum auspicabatur Rutilius. Supra enim: 'Damnosaque fila senectæ Exuit, atque alios melior revirescit in annos.'

16 *Intrepidæ Romæ*] Vera hujus urbis laus. Claudianus Pan. tertio in Stilichonem de Roma: 'Nunquam succubuit damnis, et territa nullo Vulnere post Cannas Trebiamque revixit.'

Nec tantum induerint fatis nova sæcula crimen,
Aut instaurati peccaverit ara Terenti.
Ast ego nec Phœbum (quanquam mihi surda sine illo
Plectra) nec Aonias decima cum Pallade Divas,
Aut mitem Tegeæ, Dircesve hortabor alumnum ;

penes est lenis custodia impavidæ Romæ. Nec novum sæculum attribuerit fatis tantum scelus, nec ara redintegrati Terenti tantum deliquerit. Verum ego nec invocabo Apollinem (quamvis meum plectrum sit mutum absque illo,) nec Deas Aoniæ cum decima Minerva, aut placidos alumnos Tegeæ et Dirces: ipse, qui celebraris, accede, et

Markl. *nos seque* conj. Salmasius ; idem etiam : *septenusque ordine.*—17 Nonnulli codd. apud Gevart. et Morel. *Nec tantum indiderint.* Pro *fatis* Morel. malit *fastis,* improbantibus Gevart. et Barthio ; Cruceus vero *festis.*—19 *Ast ego ne* Morel. in comment.—21 Edd. antiquissimæ cum nonnullis codd. *hor-*

NOTÆ

17 *Induerint*] Alii codices habent *indiderint fatis.* Legit Morellus, *fastis,* sed nihil mutandum. Iuvehi enim in fata Deosque, nihil proclivius veteribus, si quid secus quam sperarent, ipsis accideret. Hinc solenniter voces illæ audiebantur 'fatorum crimen,' 'Deorum crimen.' Statius Protrept. Crispini : 'Fatum illud et ira nocentum Parcarum, crimenque Dei.' Mart. lib. II. Ep. 94. 'O scelus, o magnum facinus crimenque Deorum.' Unde illustratur hic locus, cujus sensus est : Absit ut nova sæcula, id est, anni quibus ludi sæculares jam recens editi sunt, fata accusent, quod tantum virum nobis eripuerint.

18 *Aut instaurati peccaverit ara Terenti*] Terentum, locus erat in Campo Martio sic dictus, quod ibi ara Ditis patris terra conderetur. Per *aram* autem *Terenti* designat ludos sæculares, recens celebratos a Domitiano, quique centesimo quoque ac decimo anno fieri solebant. Alii vero post centesimum rediisse existimant. Hi autem ludi potissimum instituti erant ad placanda inferna numina, ne pestilentia urbem invaderet, teste Valerio Maximo de Spectaculis lib. II. Ara autem ista per hos ludos detegebatur, ac factis sacrificiis, editisque ludis, iterum terra obruebatur. Igitur si Rutilius hisce diebus, quibus hi ludi committebantur, mortuus fuisset, merito potuissent Romani queri de fatis, ac Diis infernis, quod pro institutis nuper sacrificiis fuissent ingrati. Dicit *instaurati,* quia hæc ara centesimo quoque anno vel centesimo decimo detegebatur, ac renovabantur solita sacrificia. Ejusdem Terenti meminit etiam Papinius XVII. Cons. Domitiani : 'Mecum nova sæcula condes Et tibi longævi revocabitur ara Terenti.' Instituti autem sæculares ludi post exactos reges a P. Valerio Publicola, qui primus consul fuit, existimantur. De Ara Terenti consule Valerium Maximum de Spectaculis lib. II. et Zosimum lib. II. initio, ubi originem ludorum sæcularium, et ritus sacrorum, quæ in eis fiebant, prolixe narrat.

20 *Aonias Divas*] Musas, ab Aonia, seu Bœotia regione.

21 *Tegeæ alumnum*] Mercurium Arcadem ab urbe Arcadiæ Tegea. *Dirces*] Bacchum Thebanum, a fonte Dirce prope Thebas.

Ipse veni, viresque novas animumque ministra,
Qui caneris: dextro nec enim sine numine tantus
Ausoniæ decora ampla togæ, centumque dedisti
Judicium mentemque viris: licet enthea vatis
Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur
Pirene, largos potior mihi gurges in haustus,

commoda mihi ingenium et novas vires. Non enim sine præsidio doctorum numinum dedisti tanta ornamenta togæ Ausoniæ, et mentem ac judicium Centumviris. Esto; sacra Pimplæa expellat me sitientem, nec Pirene cognita mihi præbeat suas aquas: torrens, qui rapide fluit de tuo fonte, abundantius me haurientem replebit:

tatur; Domitius correxit *hortabor* in Rom.—23 Codex Salisb. Parm. et Venet. 4. *docto nec enim sine numine tantus;* quod reposuerunt Gronov. Veen. et Delph. in aliis vett. *docto nec enim sine carmine tantus;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *docto n. e. s. carmine cantus.* Nostrum *dextro* est ex emendatione Marklandi. Pro *tantus* Behottius malit *nactus.*—26 Heins. ad Ovid. Met. I. 504. scribi vult: *Excludas, Pimplei, sitim.* Venet. 1. *Piplea* habet; Aldd. Colin. Gryph. Basil. ceteræ *Pimplæa;* at Græcum est Πίμπλεια. Cruc. legi

NOTÆ

22 *Ipse veni*] Innuit Poëta, non sibi invocandos esse Phœbum Musasve ac Palladem, Mercuriumque et Bacchum Eloquentiæ ac Poëtices præsides; sed ipsum Rutilium, qui Poëta erat, et orator.

Viresque novas animumque ministra] Sic Epicedio patris: 'Ipse malas vires, et lamentabile carmen Da genitor perdocte. Neque enim antra moveri Delia, nec solitam fas est impellere Cyrrham,' &c.

23 *Dextro* [*docto*] *nec enim sine numine tantus Ausoniæ decora ampla togæ, centumque dedisti Judicium mentemque viris*] Innuit Musas Phœbumque ac reliquos Deos doctos, multum contulisse Rutilio ad obtinendam tantam claritatem in foro, et in toga, et ad intelligentiam juris, qua Centumviros in reddendis judiciis perspicaciores redderet. Advocatorum enim est dare sensum ac intelligentiam judicibus, 'Cum juris nodos legumque ænigmata solvunt.' Advocatus enim fuerat Rutilius, ut infra videbitur. *Centumviris*] Centumviri judices erant e triginta quinque tribubus, quæ et 'curiæ' dictæ sunt, terni ex singulis tribubus electi, quique Centumviri appellati sunt: et licet quinque amplius, quam centum forent, tamen, quo facilius nominarentur, Centumviri dicti sunt. Quibus autem de rebus Centumviri judicarint, ex his Ciceronis in primo de Oratore colligitur: 'Jactare se in causis Centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilia jura versentur.' Hæc Cicero. Horum unus hastam tenebat, præcipuum judiciorum signum: unde 'Centumviralis hasta' legitur in Suetonio.

25 *Enthea*] Quia divino furore replet Poëtas.

26 *Pimplea*] Pimplea fons Thraciæ, Musis sacra.

27 *Pirene*] Fons sub Acrocorintho, ut vult Strabo, licet Probus eum in

Qui rapitur de fonte tuo: seu plana solutis
Qua struis orsa modis, seu qua tibi dulcis in artem
Frangitur, et nostras curat facundia leges.
Quare age, si Cereri sua dona merumque Lyæo
Reddimus, et dives prædæ, tamen accipit omni
Exuvias Diana tholo, captivaque tela
Bellipotens; nec tu, quando tibi, Gallice, majus
Eloquium, fandique opibus sublimis abundas,

seu cum scribis oratione soluta, seu cum suavis eloquentia in artem dissolvitur, et servat nostros numeros. Quare age, si reddimus Cereri sua munera, et vinum Baccho, ac Diana, præda onerata, excipit tamen exuvias, quæ appenduntur in cunctis tholis suorum templorum, et Mars Bellipotens arma hostibus erepta; tu quoque, Gallice, licet major facundia tibi sit, et sublimis abundes dicendi ubertate,

jussit: *ne conscia, &c.*—27 Venet. 1. Parm. Rom. ceteræ Venett. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. *largos potius mihi;* Lindenbrog. legit: *largos potior mihi* ex conjectura Nicolai Fabri; Bern. vero pro *potius* legit *potus,* quod recepit Grasserus et approbavit Dempster. Pro *in haustus,* quod habent Gevart. Gronov. Veen. Delph. et Markl. *inhaustus* exhibent Aldd. Colin. Gryph. Bern. Lindenbrog. Cruc. &c.—29 *Cum struis o. m. s. cum* Venet. 1. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Grasser. Til. Gronov. Barth. Veen. Delph. et Markl. *Qua ... qua* ex edit. Parm. legit Heinsius ad Val. Flac. v. 85. quam lectionem reposuerunt Edd. Bipontini, jubente Marklando in curis secundis. Barthius, *in arctum.*—30 'Nolente fere animo properans lingua legebat: *et nostra currit facundia lege.* Ausonius certe 'cursus fandi' celerem facundiam appellat.' Ita scribit Tollius ad Auson. Profess. III. 2. Parm. habet; *nostra currat facundia leges.*

NOTÆ

Helicone collocet, Musis consecratus omnium consensu: dicitur *conscia,* vatum scilicet. Sic Theb. IV. 'Vatum qua conscius amnis Gorgoneo percussus equo.' *Largos potior mihi gurges in haustus, Qui rapitur de fonte tuo*] Innuit Poëta sibi non potandos fontes solitos Musarum, ut Pimpleam et Pirenen, sed sufficere sibi gurgitem potum de fonte Rutilii. Sic supra: 'Ast ego nec Phœbum, &c. Ipse veni, viresque novas animumque ministra.'

28 *Seu plana solutis, &c.*] Indicat Rutilium 'prorsa vorsaque oratione' claruisse.

30 *Nostras leges*] Poëticas. *Nostras*] Quia et Rutilius Poëta erat.

31 *Si Cereri sua dona merumque Lyæo, &c.*] Etsi Dii per se sint ditissimi, affluantque bonis, tamen lætantur accipere a nobis munera, de rebus quas ipsi nobis dederunt, licet non indigeant nostris opibus, ut grati animi in se nostræque pietatis testimonium. Ita nec tu Gallice, dedigneris coli tenuiore cithara. *Lyæo*] Baccho, sic dicto ἀπὸ τοῦ λύειν, quod vinum *solvat* curas.

33 *Exuvias Diana tholo*] Venatores enim pelles bestiarum a se occisarum Dianæ consecrabant. *Captivaque tela Bellipotens*] Sic victores Marti arma hostibus erepta dedicabant.

Sperne coli tenuiore lyra: vaga cingitur astris
Luna, et in oceanum rivi cecidere minores.
Quæ tibi solicitus persolvit præmia morum
Urbis amor? quæ tum Patrumque Equitumque notavi
Lumina, et ignaræ plebis lugere potentes?
Non labente Numa timuit sic curia felix,
Pompeio nec celsus eques, nec fœmina Bruto.

ne dedigneris celebrari inferiore cithara. Errabunda luna circumdatur sideribus, et tenuiores fluvii in Oceanum influunt. Quali munere anxia civium benevolentia remunerata est mores a te acceptos. Quales tunc observavi oculos Senatorum Equitumque ac plebis insciæ plorare magnos? Felix senatus non sic solicitus fuit, moriente Numa, nec celsus equitum ordo, Pompeio ægrotante, nec mulieres, mortuo Bruto.

—36 'Una litera vocalis expellenda est, (e voce sc. *tenuiore.*) Illustravit usum Papinianum aliis exemplis Justus Sinserlingius Promuls. Crit. cap. 36.' *Barth.* Aldd. 1. 2. non interpungunt inter *lyra* et *vaga.*—41 Quomodo felicem curiam vocat moriente Numa? inquit Gevartius, cui perplacet Heinsii conjectura hæc: *Non labante ... curia, vel sic Pompeio; nec ... Bruto.* Bernartius punctum ponit post *felix* et post *Bruto;* Gryph. punctum post *felix* et comma post *Bruto;* Aldd. 1. 2. vero sic: *Non ... felix. Pompeio: ...*

NOTÆ

36 *Tenuiore lyra*] Mea scilicet. *Vaga Luna*] Vaga, quia ἑλικοειδής, id est, *obliquo incedens cursu:* est enim e septem planetis, qui erratici vocantur, ad differentiam stellarum fixarum.

38 *Morum*] Id est, ob mores tuos. Forte et Rutilio morum cura commissa a principe. Hæc cura Censorum erat antiquitus, sed postquam creari censores desierunt, ei curæ Imperatores præfuerunt, aut alios qui præessent commiserunt, apud quos de moribus judicium ageretur, et maxime inter conjuges. Qua de re Gellius lib. IV. cap. 2.

40 *Lumina*] Supple, rigata lacrymis. *Et ignaræ plebis lugere potentes*] 'Insita mortalibus,' ut ait Tacitus, 'natura recentem ali rum felicitatem ægris oculis introspicere.' 'Et est hoc commune vitium,' inquit Nepos in Chabria, 'magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ sit comes: et libenter de iis detrahant, quos emergere videant altius: neque animo æquo pauperes alienam opulentum intueantur fortunam.'

41 *Numa*] Secundus Rex Romanorum. *Curia felix*] Numa enim summo cultu senatum prosequebatur.

42 *Pompeio nec celsus eques*] Nam ordinis equestris erat Pompeius. *Celsus*] Solenni olim titulo equestris ordo *celsus* dictus. Festus: 'Celsus ex Græco κέλης *equo* dictus.' Horatius de Equitibus Rhamnensibus: 'Celsi prætereunt austera poëmata Rhamnes.' *Nec fœmina Bruto*] Nam in morte ejus publica fuit mœstitia, eo ante omnia insignis, quia matronæ annum, ut parentem luxerunt, quod tam acer ultor violatæ pudicitiæ fuisset. *Bruto*] Junius Brutus, a stultitia, quam metu Tarquinii Superbi fingebat, *Brutus* est cognominatus. Hic exactis regibus, civitateque in libertatem vindicata, primus consula-

Hoc illud; tristes invitum audire catenas,
Parcere verberibus, nec qua jubet alta potestas
Ire, sed armatas multum sibi demere vires,
Dignarique manus humiles et verba precantum;
Reddere jura foro, nec proturbare curules,
Et ferrum mulcere toga: sic itur in alta
Pectora, sic mixto reverentia se dat amori.
Ipsa etiam cunctos gravis inclementia fati
Terruit, et subiti præceps juvenile pericli,

Hoc illud est, quod ægre audias vincula mæstorum civium: quod parce punias: quod amplam auctoritatem contrahas: quodque potestas cincta armis multa sibi deneget: quod nec rejicias manus miserorum, et preces supplicum, quod reddas jura foro, et non depellas magistratus curuli, et toga lenias ferrum. Sic intratur in intimos animos, sic reverentia mixto amori nititur. Ipsa etiam immisericordia acerbi fati, et magnum vitæ periculum, non intermittente morbo, consternavit omnes. Non illud noxa



eques, n. f. Bruto: Hoc, &c.—43 *Hoc illud: tristis* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. Vide Hand. ad I. 2. 276.—46 In iisdem libris *humilis;* Bern. et Morel. malint *humiles;* at vide Handium l. l.—49 Venett. Aldd. Colin. Gryph. &c. habent *mixto;* Rom. et Par. *miti,* quod reposuit Lindenbrog. Pro *se dat* quod in textum intulit Marklandus, omnes codd. et edd. vett. præbent *fidit.* —50 *Quinetiam cunctos* conj. idem Markl.—55 Gronov. Diatr. p. 66. (120.)

NOTÆ

tum iniit cum L. Tarquinio. Tantus illius in patriam amor fuit, ut proprios filios, qui de restituendis Tarquiniis multa egerant, non solum supplicio affecerit, sed etiam supplicii exactor esse voluerit. Rebus autem multis præclare gestis, tandem occisus fuit in ea pugna, quæ ad Regillum data est lacum, eumque matronæ, ut diximus, annum unum luxerunt.

43 *Hoc illud*] Nempe omnium amorem assecutus es, quod moderate uteris imperio tuo.

45 *Armatas*] Magistratu et auctoritate.

46 *Dignarique manus humiles*] Manuum extensio petitionis et venerationis index: unde apud Poëtas 'Supplices tendunt' sæpius 'cum voce manus.' Potest et hic locus referri ad libellorum porrectionem, de qua Suetonius, Augusto cap. 53.

47 *Proturbare curules*] Id est, auctoritate opprimere magistratus et judices. Tacitus de Tiberio: 'Ne prætorem curuli depelleret.'

49 *Sic mixto reverentia se dat amori*] Sensus: Cives te æque amant, ac reverentur coluntque. *Reverentia*] Scilicet, quæ defertur summæ dignitati. Civium nempe.

51 *Præceps juvenile pericli*] Græcanica locutio, τὸ νεανικὸν, *juvenile,* de re vehementi, acri, proterva, ardua. Græci enim τὸ νεανικὸν, id est, *juvenile* vocant τὸ μέγα, seu *magnum.* Exempla sunt obvia. Aristoteles Animal. lib. VIII. vocat *magnam differentiam,* νεανικὴν διαφοράν. Alibi νεανικὴν κίνησιν in Ethicis, seu μεγάλην κίνησιν, *magnum motum.* Sic Euripides *tonitru juvenile,* βροντὴν νεανικὴν, vocavit magnum tonitru. Est ergo Statio *præ-*

Nil cunctante malo: non illud culpa senectæ,
(Quippe ea bissenis vix dum orsa excedere lustris,)
Sed labor intendens, animique in membra vigentis
Imperium, vigilesque suo pro Cæsare curæ,
Dulce opus: hinc fessos penitus surrepsit in artus
Insidiosa quies, et pigra oblivia vitæ.
Tunc Deus, Alpini qui juxta culmina dorsi
Signat Apollineo sanctos cognomine lucos,
Respicit, heu tanti pridem securus alumni
Perpessusque moras: Huc mecum, Epidauria proles,

fuit senectutis (quippe ea vixdum superaverat duodecim lustra), sed labor intentus, et imperium animi vigentis in corpus, et vigiles ac gratissimæ curæ pro suo Cæsare. Hinc insidiosus lethargus, atque omnium rerum oblivio insinuavit se penitus in fatigata membra. Tunc Deus, qui prope cacumina dorsi Alpini illustrat Apollineas sylvas suo sacro cognomine, advertit oculos, heu dudum negligens tanti alumni, et abrumpens omnes moras, Huc mecum adsis, ait, soboles Epidauria, rebus arduis

legit: *vigilis*, ut sit; *dulce opus vigilis curæ.*—56 Heins. ad Ovid. Met. VII. 155. legit *subrepit* pro *subrepsit.* Unus codex habet *sibi venit.*—57 Venet. 1. Parm. Rom. Vicent. Brix. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Basil. aliæ *pigræ;* mutavit Marklandus.—58 *Tunc Deus, Alpini: qui, &c.* Aldd. 1. 2. Bernartius delet comma post *Deus*, et colon post *Alpini;* sed comma ponit post *dorsi.*—59 Omnes codd. et edd. vett. *Signat Apolloneos sancto.* Mutavit Marklandus.—61 *Progressusque moras* Parm. unus Lindenbrogii, Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. Basil. Bern. &c. *Progressusque morans* Rom. ut emendavit Bern. in comment. *Prægressusque moras* aliæ vett. quod retinuit Gevart. et receperunt Gronov. Barth. Veen. et Delph. Lectio nostra est ex emendatione

NOTÆ

ceps juvenile, idem quod *præceps immane* Juvenali: 'Et immensæ præceps immane ruinæ.'

53 *Lustris*] Lustrum, spatium quinque annorum, ut pueri sciunt. Ergo bissenis lustris, est sexaginta annis.

55 *Vigilisque suo pro Cæsare curæ, Dulce opus*] Nihil enim gratius erat ac dulcius Rutilio, quam impendere lucubrationes suas ac vigilias Cæsari.

57 *Insidiosa quies, et pigra* [*pigræ*] *oblivia vitæ*] Sic λήθαργον exprimit, 'qui est marcor, et inexpugnabilis necessitas somni,' inquit Celsus lib. II. cap. 2. 'cum alienatione mentis.' Provenit, ut aiunt medici, ex pituita frigidiore et humidiore, madefaciente cerebrum, unde oritur *pigra oblivio* omnium rerum, ut suspicari quis possit hic legendum: *pigra oblivia.*

58 *Tunc Deus, Alpini qui juxta culmina dorsi Signat Apollineo sanctos cognomine lucos*] Intelligit Apollinem, qui Vercellis, oppido ad Alpium radices sito, colebatur, et ubi erant luci Apollini sacri, Apollineique vocati.

60 *Respicit*] Respicere dicuntur Dii cum jam nostri reminiscuntur. *Tanti alumni*] Rutilii egregii Poëtæ. Poëtæ enim dicuntur alumni Apollinis.

61 *Perpessusque* [*Prægressusque*] *moras*] Id vulgo dicimus, haud mora,

Huc, altis gaudens; datur aggredienda facultas
Ingentem recreare virum: teneamus adorti
Tendentes jam fila colos: nec fulminis atri
Sit metus; has ultro laudabit Jupiter artes:

gaudens. Offertur res digna aggredienda. Conemur reficere magnum virum. Parcæ tendatis fila per colos, nec timeatur nigrum fulmen. Jupiter ultro appro-

Marklandi. *hic mecum* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Til. et Cruc. *hinc mecum* Rom. et Venett. *huc mecum* Grasser. Gevart. Barth. Gronov. Veen. Delph. &c.—62 'Quocumque vertes hunc versum, non persuadeberis, modo aliquo sis in talibus judicio, genuinam esse. Primum enim minime Papiniani aut ingenii aut eloquii sublimitatem habet. Deinde exemtus, omnem difficultatem tollet, quam insignem præsens exhibet. Quid enim his fieri possit commodius? *huc mecum, Epidauria proles; Ingentem recreare virum tentemus adorti.*' Ita Barthius, qui in omnibus codd. et edd. invenit: *hic mecum Epidauria proles, Hinc alti gaudens datur aggredienda facultas, Ingentem r. v. teneamus*, vel *tentemus, &c.* Alteram etiam conjecturam fecit: *Hinc altæ laudis datur aggredienda facultas.* Gevartius legit: *huc m. E. p. Huc altis gaudens; (d. a. f.) Ingentem, &c.* quam emendationem recepit Markl. mutata interpunctione, ut in textu nostro. Crucens hoc loco mire turbat, et pro *aggredienda* legit *aggrediendo*, et pro *Hinc alti*, vel *Huc altis, Hæc altis.* Gronov. in Diatr. p. 39. ed. Hand. scripsit: '*Alti gaudentem* Æsculapium, quod improvide in *altis* mutatum voluerunt.'—63 Omnes codd. cum Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *teneamus;* Bernartii conjectura est *tentemus.* Barthius tentabat: *Ingentem recreare virum tentemus ab Orco.*—64 *Tendatis* etiam in omnibus codd. et edd. vett. Mutavit Markl. qui totum h. l. ut supra in contextu videbis, exhibuit. In vett. libris, Aldd. Colin. Gryph. &c. ita se habet: *hic m. E. proles: Hinc alti g. d. a. facultas. I. r. v. teneamus adorti. Tendatis, &c.* Gronovius et qui eum sunt secuti, Veen. et Delph. *huc m. E. proles, Hinc alti g. d. a. facultas. I. r. v. tentemus adorti. Tendatis, &c.* Alii: *Tendantur jam fila colis.*—65 Domitius in suis codd. invenit *laudavit*, quod habent Venet. 1. et Parm. unde fecit *laudarit*, ut in Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. *laudabit* correxit

NOTÆ

sive sublata omni dilatione. Quidam legunt *Progressusque morans*, id est, tardans progressus ad medendum, vel paululum subsistens; nam ante dixit Apollinem fuisse securum, seu negligentem super morbo Rutilii; sed prior lectio magis mihi placet. *Epidauria proles*] Intelligit Æsculapium, Apollinis filium ex Coronide, qui Epidauri religiose colebatur.

62 *Huc, altis* [*Hinc alti*] *gaudens*] Gevartius legit *Huc altis gaudens*, seu ὑψιλὰ φρονῶν; et refert ad Æsculapium.

64 *Tendentes* [*Tendatis*] *jam fila colos*] Fila dicuntur tendere colos, quamdiu tenduntur, vel tensa sunt a colis. Quidam legunt: *Tendantur jam fila colis. Nec fulminis atri Sit metus*] Id dicit, quod Æsculapius a Jove percussus fuerit fulmine, cum in vitam Hippolytum seu Tindaridem revocavisset.

65 *Has artes*] Quæ scilicet sanitatem restituent tanto viro, ut Rutilio.

Nam neque plebeiam, aut dextro sine numine cretam
Servo animam: atque adeo, breviter, dum tecta subimus,
Expediam: genus ipse suis, præmissaque retro
Nobilitas: nec origo latet, sed luce sequente
Vincitur, et magno gaudet cessisse nepoti.
Prima togæ virtus: illa quoque clarus, et ingens
Eloquio: mox innumeris exercita castris,
Occiduas, primasque domos, et sole sub omni
Promeruit jurata manus nec in otia pacis
Permissum laxare animos, ferrumque recingi.
Hunc Galatia vigens ausa est incessere bello:

babit has artes. Non enim servo animam vulgarem, aut ortam sine favore Dei. Atque nunc referam tibi breviter quis sit, dum intramus ædes ejus. Ipse suos illustrat. Origo, et nobilitas majorum non est incognita, sed vincitur a lumine succedente, et lætatur cedere suo ingenti nepoti. Primus honos ex toga, in qua sua facundia enituit. Mox addictus sacramento militiæ, meruit innumeris expeditionibus, per Orientis ac Occidentis tractus, et in omni regione. Nec ei licuit remittere animum in desidiam pacis, et deponere ensem. Animosa Galatia ausa est hunc

Markl. sed hoc longe antea dederat Lindenbrog. ex codice Par.—68 'Etiam hæc verba mendosa sunt. Non enim effato conspirant sequentia, quæ non incipere ab hoc homine nobilitatem familiæ clare indicant. Sane si ipse suis genus dicatur, ignobiles genere fuerunt ante ipsum avi ipsius. Scribam: *genus ipsi ingens*, vel *genus illustre*. Illud tamen, quam hoc malim. Si vero *decus* legere malueris, cursus orationis longe meo animo erit facilior. Si tamen vulgatam lectionem interpretatione congrua, sequentibus verbis quis conciliare et applicare potuerit, cum eo non altercabimur.' *Barth.*—71 *Prima togæ virtus illi quoque* Lindenbrog. ex codice Par. eumque secuti sunt Cruc. et Barth. et sic est etiam in Venet. 1. *ille quoque* Parm. *lingua quoque* conj. Markl. *quaque clarus* ed. vet. Lindenbrogii.—74 *Permeruit jurata manus* Aldd. Colin. Gryph. &c. *Permetuit* codd. Domitii, qui in Rom. edidit *Promeruit*, quam emendationem, quasi suam, refert Marklandus. *Permeruit durata manus* Gebhard. lib. III. cap. 27. probante Barthio, improbante Markl. —75 Edd. vett. *ferrumque retingi:* mutavit Barthius.—76 Edd. vett. *Galatea.*

NOTÆ

66 *Plebeiam*] Vide supra initio hujusce libelli.

68 *Expediam*] Supple, quis sit Rutilius, quem sanatum imus, et quo genere sit ortus.

70 *Nepoti*] Rutilio Gallico.

71 *Prima togæ virtus*] Quia primum foro operam dederat Gallicus.

73 *Occiduas, primasque domos*] Supple particulam *per ; per occiduas, primasque domos.* Hoc loquendi modo Orientem et Occidentem innuit.

74 *Promeruit*] Id est, militavit: 'merere' enim verbum militare, unde 'emeriti.'

Jurata] Id est, sacramento militiæ.

75 *Ferrumque recingi*] Id est, deponere ferrum, et baltheum discingere. Quidam codices habent *retingi.*

76 *Galatia*] Galatia seu Gallogræ-

Hunc quoque perque novem timuit Pamphylia messes,
Pannoniusque ferox, arcuque horrenda fugaci
Armenia, et patiens Latii jam pontis Araxes.

bello provocare. Pamphylia quoque pertimuit illum per novem annos, acerque Pannonius, et Armenia formidabilis fugiente arcu, et Araxes jam tolerans Romani

Venet. 1. *igens*, i. e. *ingens*, ut habent Parm. et Rom. *vigens* correxit Avantius in Ald. 1. quod bene defendit Barth. contra Morel. legentem *rigens*.—77 Venet. 1. Parm. et Rom. *tenuit Pamphilia;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Lindenbrog. Cruc. Barth. Gronov. Veen. et Delph. *timuit Pamphilia*.—83

NOTÆ

cia, regio minoris Asiæ, sic cognominata a Gallis, qui ibi sedes fixerunt: hujus incolæ vocantur Galatæ, ac Gallogræci, quod ex Gallis simul ac Græcis una gens coaluerit, Gallis a regibus Bithyniæ in societatem agrorum in Asiam traductis. Galatia habet ab Oriente Cappadociam Halymque fluvium, ab Occidente Bithynia et Asia terminatur, a Meridie vero Pamphylia, a Septemtrione Ponto Euxino finitur. *Vigens*] Editio Parisiensis *ingens*. Aliqui *rigens* legunt, quia Ponto vicina, 'Scythicisque trionibus alget.'

77 *Pamphylia*] Pamphylia regio minoris Asiæ, inter Ciliciam, qua ab Oriente finitur, et Lyciam: ab Occasu habet Lyciam, et Asiæ provinciæ partem: a Septemtrione Galatiam et Cappadociam: a Meridie Mediterraneum mare, quod hinc 'Pamphylium' dicitur. Verum tunc temporis Galatas et Pamphylios rebellasse silent Historici interpretesque, ut et Pannonios. Fortasse leves quidem tumultus excitati sunt in his regionibus, quos Rutilius compescuit.

78 *Pannoniusque ferox*] Pannones incolæ Pannoniæ, quæ Ptolemæo regio Europæ latissima, Danubio a Germania ad Septemtrionem divisa: terminatur ab Oriente Mœsia, quæ et Servia et Bulgaria: ab Occidente Norico: a Meridie, Istrum usque et Illyricum extensa. Dividebatur olim in superiorem, quæ pars hodie *Styria et Austria* vocatur, caput habens Viennam firmissimum orbis Christiani propugnaculum: et inferiorem, quæ pars hodie fere uno nomine *Hungaria* dicitur.

79 *Armenia*] Armenia regio Asiæ inter Taurum et Caucasum montes; a Cappadocia usque ad mare Caspium excurrens, ab Armeno Thessalo Jasonis comite sic appellata, ut ait Strabo. In majorem et minorem dividitur, quarum partes ab Ortelio diligenter ex Eustathio collectæ recensentur. Porro tempore Neronis res in Armenia turbatæ sunt, hinc Romanis, hinc Parthis eam sibi vindicantibus, ac illi dare regem volentibus. Sed virtute Corbulonis compressi Parthi, victusque Tiridates, quem Parthi regem Armeniæ creaverant; quique, deposito ad effigiem Neronis diademate, illud Romæ resumsit a Nerone sibi impositum. Hujusce belli partem quandam gessisse Rutilium Gallicum sub Corbulone probabile est. Vide Tacitum Ann. xv. Dicitur *Armenia horrenda arcu fugaci*, quia Armenii sagittandi peritissimi. More Parthorum ac Orientalium populorum fugere simulabant, ut sic distraherent hostes, reversique ad pugnam facilius eos profligabant. Unde dicitur 'pugna fugax' Bo-

Quid geminos fasces, magnæque iterata revolvam
Jura Asiæ? velit illa quidem ter habere, quaterque
Hunc sibi; sed revocant fasti majorque curulis,
Nec permissa semel. Libyci quid mira tributi
Obsequia, et missum media de pace triumphum
Laudem, et opes quantas nec qui mandaverat ausus

pontis. Quid memorem duplices fasces, et resumtam administrationem ingentis Asiæ? Illa sane optaret possidere illum ter et quater, sed fasti illum revocant, ac m jor curulis, nec semel desponsa. Quid prædicem miram solutionem vectigalis Libyci? et reportatum triumphum in media pace, ac tot relatus inde divitias? Nec qui miserat, ausus fuit sperare. Thrasymenus, Alpesque,

Nec promissa omnes codd. et edd. vett. *permissa* Markl. in curis secundis.—84 Omnes codd. et edd. vett. *et missum;* Malim *jussum*, inquit Barthius; unde Marklandus alia mutatione: *et justum media de pace triumphum*. Cf. Hor. I. Od. 12.—85 Edd. vett. *et opes tantas*. Mutavit Markl. ‘Cultros iterum adhibendos arbitramur, et rescindenda hæc verba, ut cetera pulchre ha-

NOTÆ

thio Cons. Phil. lib. v. ‘Rupis Achæmeniæ scopulis, ubi versa sequentum Pectoribus figit spicula pugna fugax.’ De iisdem Armenis Noster Protreptico Crispini: ‘Quæ suspecta fides, aut quæ fuga vera ferocis Armenii.’ *Araxes*] Araxes Armeniæ nobilis fluvius, ex summis jugis Ararat, quæ Pariedrus olim, nunc *Chelder* vocantur. Et quidem primo ex iis Araxes profluit; exilit autem e monte Tauro, ea parte qua Pariedrus visitur, e latere montis Abo, ex quo Euphrates nascitur, et versum ortum cursum tenet, usque ad fines provinciæ Mediæ, nunc *Chirvan* dictæ; ibidem se flectit versus Corum, et Cyro fluvio mixtus dividit Artaxatam, quæ hodie *Nachuan* dicitur, et Armeniam porro rigans, præterquefluens Araxis planitiem, exonerat se in mare Caspium. *Patiens Latii pontis*] Respexit Poëta ad illud Virgilii: ‘Et pontem indignatus Araxes.’ *Latii*] Id est, Romani. Nam Augustus super eum struxerat pontem, et ante eum Alexander Magnus.

80 *Quid geminos fasces, magnæque iterata revolvam Jura Asiæ*] Hinc liquet Rutilium bis Asiæ proconsulem fuisse.

Asiæ] Non hic minor Asia intelligenda, sed provincia ejus particularis, *Asia* etiam dicta.

82 *Sed revocant fasti majorque curulis*] Innuit consulatum per fastos, qui nomine consulum insigniebantur, et majorem curulem; quem, et majorem togam pari figura vocat Claudianus in IV. Consulatu Honorii: ‘Communem majore toga signabitis annum.’

83 *Libyci quid mira tributi Obsequia*] Forte Afri hoc tempore rebellantes, solvere tributum detrectaverant, armaque sumserant; sed mira felicitate ac virtute domuerat eos Rutilius, tributumque solvere coëgerat, tantaque hujus victoriæ celeritas fuerat, ut imperium turbatam pacem non senserit, et Rutilius materiam triumphi repererit: quod his verbis exprimitur, *et missum media de pace triumphum*.

85 *Nec qui mandaverat ausus Ex-*

Expectare fuit? gaudet Trasimenus et Alpes,
Cannensesque animæ: primusque insigne tributum
Ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.

ac umbræ Cannenses, lætantur, et ipse Regulus primus lacera umbra palam petebat illustre vectigal. Non vacat narrare Septemtrionales pugnas, et re-

---

beant. Hoc pacto: *Libici q. m. t. Obsequia? Et jussum* (vel *missum*) *media d. p. triumphum Laudem, et opes tantas? Gaudet, &c.* Sic plana sint omnia.' *Barth.*—86 Post hunc versum in Venet. 1. Parm. et Rom. inseritur: *Attollam cantu: gaudet trasimenus et alpes.*—88 *Ipse palam læta poscebat* codex Burmanni a m. sec. cum Parm. Rom. et Venett. 3. 4. *Ipse palam lacera poscebat* codex Burmanni a m. pr. cum Venet. 1. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. Basil. Grasser. Gevart. et Bern. probante Barthio; illud tuentur Til. et Cruc. *Ipse palam lacera plaudebat* Jortinus Nostras in Obss. Miscell. Vol. II. P. III.

NOTÆ

pectare fuit] Id est, Tanta celeritas hujusce victoriæ fuit, tamque cito bellum confectum est, ac tributum solutum, ut Domitianus, qui huic rei Rutilium præfecerat, hoc sperare tam brevi tempore fieri posse non ausus fuerit.

86 *Trasimenus*] Thrasimenus lacus est in agro Perusino, juxta quem Hannibal vicit Flaminium consulem, ac Romanos magna clade affecit. *Alpes*] Montes altissimi, a candore nivium sic dicti, Galliam ab Italia dividentes.

87 *Cannensesque animæ*] Manes scilicet Romanorum victorum ac occisorum apud Cannas, vicum Apuliæ, ab Hannibale. Vide Historicos Romanos. Dicit ergo Poëta Thrasymenum, Alpes, ac Manes Romanorum occisorum apud Cannas, lætari de profligatis Afris, qui sub Hannibale quondam tot cladibus se affecerant, ac suos accolas vicerant. Alpes vero, quod Hannibal cum Afris has exsuperaverit, dirupto monte facto incendio, infusoque insuper aceto. Nam Alpes, ut scribit Plinius, Italiæ pro muris adversus impetus Barbarorum dedit natura, et prodigii loco habitum est, cum Hannibal eas superaverit.

88 *Regulus*] Attilius Regulus, post gravissimas Carthaginiensibus clades illatas, incidit tandem in insidias, quas illi Hasdrubal ac Xantippus dux Spartanus struxerant, sicque captus perductus est Carthaginem. Sed cum nobilissimi ac validi juvenes Carthaginiensium venissent etiam in manus Romanorum, Carthaginienses proposuerunt Regulo, se eum reddituros unum solum pro suis omnibus, remiseruntque eum Romam ad hoc obtinendum a Senatu: accepta tamen prius ejus fide se reversurum Carthaginem, re infecta. Cum igitur Romam venisset, ac in Senatu permutationem exposuisset, rogatus sententiam, negavit pro se uno ac sene, tot juvenes ac validos Carthaginiensibus restituendos, labantesque patres ita firmavit, ut in sententiam ejus iretur. Cum vero illum Romæ retinere vellent patres, negantes servandam esse fidem hosti, qui toties illam fefellerat, nulla ratione adduci potuit, ut a fide desisteret. Itaque reversus est Carthaginem. Ceterum quo clarior ejus esset gloria, Carthaginienses moribus suis usi sunt, illumque novis et exquisitis crudelitatis exemplis necarunt. Vide Valerium Maximum lib. I. de Religione,

Non vacat Arctoas acies, Rhenumque rebellem,
Captivæque preces Veledæ, et (quæ maxima nuper
Gloria) depositam Dacis pereuntibus arcem
Pandere; cum tanti, lectus, rectoris habenas,

bellem Rhenum, ac preces captivæ Veledæ, et (qui nuper summus honor) victam Dacorum urbem extinctis barbaris; cum Gallice, electus suscepisti frænos tanti

p. 221. probante Marklando.—90 Domitius *Velideæ* in omnibus codd. scriptum reperisse se dicit, unde ille fecit *Velidæ*. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Veledæ*.—91 Marklandus pro *urbem*, quod omnes codd. testantur, cum Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Brix. Vicent. Rom. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. Basil. &c. scripsit *arcem*, quomodo apud Hor. I. Od. 7. 5. legendum docuit Bentleius. Notandum produci priorem hujus vocis syllabam, cum *Daci* dicuntur; corripi cum *Dacæ*, ut observatum ap. Lucanum. Vide Comment. L. Hortens. p. 102.—92 Correxit Lipsius *lectu* ad Tacit. Ann. I. quod fecit etiam Bern.

NOTÆ

Livium, Aulum Gellium lib. VI. Ciceronem Off. III. et Oratione contra Pisonem, Horatium III. Od. 5. *Lacera umbra*] Veteres enim credebant mortuos simulacris suis post mortem retinere ac perpetuo ferre notas ac vestigia vulnerum, quibus deformati fuerant in vita. Sic Virgilius de Deiphobo Æneid. VI. 'Atque hic Priamidem laniatum corpore toto Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora: Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.' Carthaginienses resecuisse palpebras Regulo ac necavisse vigilando dicuntur. Hic vero Poëta dicit umbram Reguli lætam vidisse subactos penitus Pœnos ac vectigal pensitantes.

89 *Arctoas acies*] Sarmatas, Dacosque victos a Domitiano. *Rhenumque rebellem*] Intelligit Cattos Rheni accolas, iterum victos a Rutilio. Theb. I. 'Bisque jugo Rhenum,' &c.

90 *Captivæque preces Veledæ*] Hinc discimus, captam fuisse Veledam a Romanis. De hac multa Tacitus Hist. lib. IV. 'Ea virgo Nationis Bructeræ late imperitabat; vetere apud Germanos more, quo plerasque fœminas fatidicas, et augescente superstitione arbitrentur Deas.' De hac mentionem facit etiam libro de Moribus Germanorum. Sed Veldam potius dici debere arbitratur Lipsius.

91 *Depositam Dacis pereuntibus arcem Pandere*] Intelligit Regiam Dacorum urbem, quam expugnasse, victis demum Dacis, hinc discimus Rutilium. *Depositam*] Id est, desperatam, seu de qua spes non est, hanc posse resurgere. Cicero Verr. III. 'Itaque mihi videor magnam, et maxime ægram, ac prope depositam Reip. partem suscepisse.' Virgil. Æneid. XII. 'Ille, ut depositi proferret fata parentis Scire potestates herbarum usumque medendi Maluit, et mutas agitare inglorius artes.' Ubi Servius, 'depositi,' id est, desperati. Nam apud veteres consuetudo erat, ut desperati ante januas suas collocarentur, velut extremum spiritum redderent terræ, vel ut possent a transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laboraverant morbo. *Pandere*] Pro describere, verbum Poëticum.

92 *Lectus*] Corrigit Bernartius, *lectu rectoris*, seu *lectione*. Legatum

Gallice, fortuna non adversante, subisti.
Hunc igitur (si digna loquor) rapiamus iniquo,
Nate, Jovi: rogat hoc Latiæ pater inclytus urbis:
Et meruit (neque enim frustra mihi nuper honora
Carmina patricio pueri sonuistis in ostro)
Si qua salutifero gemini Chironis in antro

ducis, fortuna non obstupescente. Hunc itaque (si loquor digna) eripiamus maligno Jovi. Celeberrimus pater urbis Romanæ hoc precatur; et dignus est qui exaudiatur: neque enim pueri incassum cecinistis Pæanes in meum honorem, induti purpurea prætexta patricia. Si quod igitur gramen est in salutifera spelunca duplicis



quod non improbat Barth. damnat tamen Gevartius.—93 Omnes codd. et edd. vett. *non admirante;* Gronov. Diatr. p. 67. *non indignante*, unde nescio. Hoc ansam dedit Marklando ut corrigeret, *non adversante.*—94 Omnes libri

NOTÆ

Cæsaris fuisse vult Rutilium, et designat eum ab electione, quia legati Cæsaris delectu, ἀκληρωτεὶ, ut dicit Dio, non sorte, ut Proconsules, in provincias mittebantur. Observandum est enim Augustum in sexto consulatu duplicem fecisse provinciarum divisionem. Aliæ populo datæ, aliæ Cæsari: in eas quæ populi, proprie dicti proconsules mittebantur, in Cæsaris, legati aut proprætores: qui interdum tamen et prætores dicti, aut conjunctim legati proprætores, ut in lapidibus plerumque. Plures erant inter utrosque differentiæ: una hic observanda solum, quod proconsules sorte mittebantur, eoque Suetonius Aug. cap. 47. 'Ceteras provincias sortito proconsulibus permisit.' Et Tacitus Ann. III. 'Eoque etiam Asiæ sorte depellendum incusavit.' At legati Cæsaris delectu et ἀκληρωτεί.

94 *Iniquo Jovi*] Id est, Plutoni, qui Homero dicitur στυγερὸς, Ζεὺς καταχθόνιος, ἄναξ ἐνέρων. *Morosus, Jupiter subterraneus, rex umbrarum.*

95 *Latiæ pater inclytus urbis*] Sic Epith. Stellæ, 'Parens Latius' dicitur. *Latiæ*] Romanæ.

97 *Carmina patricio pueri sonuistis in ostro*] In ludis enim sæcularibus pueri prætextati, et puellæ virgines carmen solenne in honorem Apollinis et Dianæ canere consueverant, ut patet ex carmine sæculari Horatii. *Patricio ostro*] Quia prætexta primum a Patritiis gestata; purpura autem seu ostro prætexta erat.

98 *Gemini Chironis*] Chiron centaurus, unde *geminus* dicitur, (quia Centauri, media parte homines erant, media equi,) herbarumque ac artis medicæ peritissimus. *Antro*] Hujus descriptio habetur Achilleidos primo: 'Domus ardua montem Perforat, et longo suspendit Pelion arcu. Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas.' *Salutifero*] Ibidem: 'Nam nunc labor unus inermi Nosse salutiferas ægris animantibus herbas.'

Herba, tholo quodcumque tibi Trojana recondit
Pergamus, aut medicis felix Epidaurus arenis
Educat; Idæa profert quam Creta sub umbra
Dictamni florentis opem, quoque anguis abundat

Chironis, illud affer, et quodcumque Pergamus Trojana reservat tibi in Tholo, aut florens Epidaurus germinat in suis medicinalibus arenis. Affer quoque auxilium potentis Dictamni, quod Creta producit ad umbram Idæam, et spumam, qua redun-

rapiemus; lectio nostra est ex emendatione Marklandi.—99 Lipsius Elect. II. 14. legit: *Herba et holus*, i. e. *olus*. Assentitur Bernartius: sed id omnino damnant Barth. et Markl. *quocumque* edd. vett. *quamcumque* Barthius, qui colon ponit post *Herba*.—102 *Dictami* Rom. Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. &c. *Dictamni* Lindenbrog. Cruc. Barth. et Gronov. Pro

NOTÆ

9 *Tholo*] Non hic, *tholus*, accipiendus vulgari notione, ut bene observat Gronovius, pro testudine templi, seu loco in media templi camera, ex quo voventium munera suspendebantur, ut alibi Statio Virgilioque accipitur. Sed nomen est proprium ædificii cujusdam, quod propinquum erat templo Æsculapii Pergameni, auctore Pausania. *Trojana Pergamus*] Strabo lib. XIII. Pergamum appellat urbem insignem in montis στροβυλοειδοῦς vertice sitam, arce et gazophylacio Lysimachi Agathoclis filii ornatam. Longe clarissimum Asiæ Pergamum vocat Plinius, quod intermeat Selinus, profluit Cæsius, profusus Pindaso monte. Regia fuit Attalicorum regum, et postea Romanorum provincia facta. Apud eam chartæ usus inventus, quæ nunc quoque vulgo 'Pergamena' dicitur, ab Attalo, ut Ælianus, vel ab Eumene, ut Plinius ait, inventa. Item patria fuit Galeni celeberrimi medici, et Apollodori: hodie *Pergamo*. Pausanias vero in Bœoticis et Eliacis supra Caycum flumen ponit, ubi Æsculapii fanum fuit. *Trojana* vero, vel quia forte a Trojanis condita Pergamus, vel quia Troja etiam *Pergamus* dicta.

100 *Epidaurus*] De hoc oppido vide Theb. IV. 123. In hoc Æsculapius natus dicitur et religiose colebatur. Strabo scribit in Epidauro templum Æsculapii fuisse ingenti ægrotantium multitudine repletum, tabellis hinc inde propendentibus, quibus constaret, qui, quoque morborum genere, curati essent. *Medicis arenis*] Ob salutiferas herbas quæ in iis reperiebantur.

101 *Idæa umbra*] Intelligit Idæum montem Cretæ. *Creta*] Insula maris mediterranei prope Peloponnesum. Vide Theb. V.

102 *Dictamni*] Hæc herba, licet ubique veniat, optima in Creta est. Hæc admota vulneri, in quo ferrum est, extrahit ferrum. Illam describit Virgil. Æneid. XII. 'Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida, Puberibus caulem foliis, et flore comantem Purpureo: non illa feris incognita capris Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.' Vide Plinium lib. VIII. cap. 27. et lib. XXVI. cap. 14. ac Dioscoridem lib. III. cap. 32. et 34. Ælianum et Aristotelem. *Quoque anguis abundat Spumatu*] Serpentes communiter tribuuntur Heroibus, proprie vero Æsculapio. Sa-

Spumatu: jungam ipse manus, atque omne benignum
Virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis,
Aut Amphrysiaco pastor de gramine carpsi.
Dixerat: inveniunt positos jam segniter artus,
Pugnantemque animam: ritu se cingit uterque
Pæonio, monstrantque simul, parentque volentes;
Donec letiferas vario medicamine pestes,

dat anguis tuus. Ipse jungam manus, et omne benignum virus, quod peritus collegi in suaveolentibus campis Arabum, aut cum essem pastor ex herbis Amphrysiis. Locutus erat. Reperiunt membra jam languide jacentia, et animam certantem cum leto. Uterque colligit vestem ad morem Pæonium, docentque una alter alterum, invicemque obsequuntur libentes; donec vicerunt diversis remediis letalem morbum,

abundat Barth. malit *abundas.*—103 Edd. vett. *benigne;* Markl. *benignum* ex conjectura Lindenbrogii, non nominato tamen auctore.—105 'Inemendati codd. habent *carpsit;* sed ut persona conveniat Æsculapio loquenti, qui

NOTÆ

cri sunt Æsculapio: quia huic animali multa remedia insunt: quale hoc fuerit, contra omnium serpentium ictus, quamvis insanabiles, etiam exta serpentum vulneri imposita auxiliari. Et hoc, eos qui viperæ jecur coctum hauserint, nunquam postea feriri a serpente. Vide Plinium lib. XXIX. cap. 4. Macrob. Saturn. I. cap. 20. Quin etiam Æsculapius Pergamenus repræsentabatur insidens serpenti, ut Coma Earini apud nostrum: 'Ubi maximus ægris Auxiliator adest, et festinantia sistens Fata, salutifero mitis Deus incubat angui.' Et Dea Ὑγίεια, seu *Sanitas,* habebat in manu dextra serpentem. Vide Valerium lib. II. de Miraculis.

104 *Virus*] Non prima sua notione accipiendum hic *virus,* sed significat quicquid viret, herbas, olera. *Odoriferis Arabum arvis*] *Odoriferis,* ob thus et myrrham. *Arabum*] Arabes populi ad Orientem Ægypti siti, et tenentes hanc peninsulam, quæ Rubro mari ac sinu Persico comprehenditur.

105 *Amphrysiaco*] Amphrysus fluvius Thessaliæ, vel Magnesiæ, juxta quem Apollo dicitur pavisse armenta regis Admeti. Quam pœnam subiit, quod Cyclopes artifices fulminis, quo Jupiter Æsculapium percusserat, interfecisset. Lucanus: 'Et flumine puro Irrigat Amphrysus famulantis pascua Phœbi.'

107 *Ritu se cingit uterque Pæonio*] Habitum chirurgicum hic eleganter exprimit Poëta. Hippocrates requirebat, ut chirurgus veste esset astricta, et succincta, non laxa vel duplicata, in humeris et cubitis. Et Soranus scribit in vita Hippocratis, consuevisse hunc sapientissimum senem pallium complicatum in caput rejicere, ne, in operatione, a circumfuso pallio impediretur. Hujusmodi habitum describit Virgilius Æneid. XII. loquens de Iapide medico: 'Ille retorto Pæonium in morem senior succinctus amictu, Multa manu medica Phœbique potentibus herbis.' *Pæonio* vero, a Pæone viro medicæ artis peritissimo, quem Homerus Il. V. refert curasse Martem graviter a Diomede vulneratum, cuique inventio herbæ Pæoniæ ab eo dictæ tribuitur.

Et suspecta mali ruperunt nubila somni.
Adjuvat ipse Deos, morboque valentius omni
Occupat auxilium: citius non arte refectus
Telephus Æmonia; nec quæ metuentis Atridæ
Sæva Machaonio coierunt vulnera succo.

et funestum soporem noxii veterni. Ipse Deus adjuvat, et potentior omni morbo, prævenit remedia. Telephus non promtius sanatus est arte Æmonia, nec ipsæ crudeles plagæ timentis Atridæ citius coaluerunt liquore Machaonio. Quem locum



paulo ante ait *jungam*, nos legimus *carpsi*, i. e. collegi.' *Domit.*—110 Unus codex *rapuerunt.*—111 *Adjuvat ipse Deus* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Deos* Venet. 1. Parm. Rom. et Vicent. quod primus recepit Markl. cui debetur τὸ *valentius;* omnes enim codd. et edd. vett. *valentior.*—112 Bern. conj. *non ære refectus,* improbante eodem Marklando.—113 *Hæmonia* edd. vett.—115

NOTÆ

110 *Măli somni*] Sic etiam, λήθαργον exprimit Poëta. Supra: 'Insidiosa quies et pigra oblivia vitæ.' Et Epicedio in patrem: 'Sed te torpor iners, et mors imitata quietem Explicuit, falsoque tulit sub Tartara somno.' *Mali*] Quia letalis, non ad sanitatem animalis institutus.

113 *Telephus*] Telephus rex Mysiæ, Herculis et Auges filius, cum Græcos euntes ad expeditionem Trojanam impedire conaretur, ne per Mysiam iter facerent, ab Achille graviter vulneratus est. Cum autem hoc vulnus nullo remedio curari posset, oraculum consuluit, a quo responsum est, fore, ut eadem hasta, qua vulneratus fuerat, sanaretur. Relicta itaque patria Achillem adiit, ab eoque obtinuit, ut ex hastæ, qua vulneratus erat, rubigine, remedium conficeret et vulneri suo imponeret, quo facto id statim sanatum est. Hoc comprehenditur his duobus Ovidii versibus Art. Am. I. 696. 'Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.' *Æmonia*] Id est, Thessalica: Tessalia enim prius Æmonia vocabatur. Achilles autem Thessalus erat, et in Thessalia educatus apud Chironem. *Metuentis Atridæ*] Menelai filii Atrei, vulnerati a Pandaro. Vide Homerum Il. IV. *Metuentis*] Quia Menelaus non admodum fortis erat.

114 *Machaonio succo*] Herbarum scilicet. *Machaonio*] A Machaone filio Æsculapii, qui cum fratre Podalirio, ut ait Cornelius Celsus, lib. I. bello Trojano ducem Agamemnonem secutus, non mediocrem opem commilitonibus suis attulit. Quos tamen Homerus, non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro et medicamentis mederi solitos esse, proposuit. Ex quo apparet has partes medicinæ solas ab iis tentatas, easque esse vetustissimas. Hi fratres exercuerunt chirurgicam artem, ac medicamentariam, seu τὸ φαρμακευτικὸν solum: cum τὸ διαιτητικὸν primus sit auspicatus Hippocrates, quem subsecuti deinde Herodicus, Praxogoras, Chrysippus, et alii, illam medicinæ partem locupletiorem reddiderunt. Quidam tamen volunt Machaonem chirurgum fuisse, Podalirium vero exercuisse τὰ περὶ τὴν διαιτάν. Illud autem φαρμακευτι-

Quis mihi, tot questus inter populique patrumque,
Sit curæ votique locus? tamen ardua testor
Sidera, teque, pater vatum Thymbræe, quis omni
Luce mihi, quis nocte timor; dum postibus hærens
Assiduus, nunc aure vigil, nunc lumine, cuncta
Aucupor: immensæ veluti conuexa carinæ
Cymba minor, cum sævit hyems, pro parte, furentes
Parva receptat aquas, et eodem volvitur Austro.
Nectite nunc lætæ candentia fila sorores,
Nectite: nemo modum transmissi computet ævi:

meæ solicitudines et mea vota tenent inter tot turbas plebis et Senatus? Testor tamen alta sidera, ac te, Thymbræe vatum pater, qualis fuit metus mihi, omni die ac nocte; dum continuo affixus liminibus tuis, nunc attentus auribus, nunc oculis, conjicio omnia. Ut minor scapha alligata ingenti navi, cum procella violenta est, recipit exigua pro modulo suo undas sævientes, et rotatur eodem vento. Lætæ sorores deducite nunc alba pensa, deducite. Nullus numeret tempus ante actæ vitæ. Hic dies natalis

---

Quis mihi tot cœtus Venet. 1. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. Lectio nostra debetur Marklando.—118 Venet. 1. *quis nocte tenor.*—120 *Auguror* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. Burmannus ad Val. Flac. II. 44. legit *Aucupor*, quod primus reposuit Markl. At Morelli nota ita se habet: ‘Eodem vergit Œdipodium illud in Thebaidis Dramate Lat. ‘Hinc *aucupabor* verba rumoris vagi.’’—121 Edd. vett. *pro parte furenti.* Lect. nostram dedit Gevartius ex codice Sen. Handius ex suis codd. legit *furentis;* et sic Lindenbrogius e cod. Par.—123 *Netite* Rom. ed. vet. Lindenbrogii, Aldd. Colin. et Gryph. et sic v. sequenti.

NOTÆ

κὸν intelligendum tantum de medicamentis, quæ vulneribus inspergebantur, qualia sunt, quæ hodie vel unguenta vel balsama, vel generalius emplastra appellantur. Nam in usu non fuerunt potiones illæ, quæ postea ægris propinarunt.

116 *Votique locus*] Vota pro ducibus ægris suscepta, ut pro Pompeio laborante. Cicero Tuscul. I. Juven. Sat. x. ‘Provida Pompeio dederat Campania febres Optandas, sed multæ urbes, et publica vota Vicerunt.’ Sic pro L. Druso, cum repentina vi morbi in publico concidisset. Aurel. Victor de viris illustribus, et Suetonius Claud. cap. 45. Sed et pro sanatis vota persoluta, ut infra patet. Tacit. Annal. II. Sueton. Caligula cap. 6.

117 *Thymbræe*] Apollo, sic dictus a Campo Thymbræo prope Trojam, ut jam sæpius diximus.

118 *Dum postibus hærens Assiduus*] Character hominis anxii, inquieti, et admodum soliciti de salute alterius, terere limina domus illius, ire redire viam multoties, et oculis atque auribus haurire velle, an melius habeat.

120 *Immensæ veluti connexa carinæ Cymba minor, &c.*] Eadem utitur comparatione, Pietate Abascantii sub finem.

123 *Candentia fila*] Supra Epithal. Stellæ: ‘Parcarum conditus albo Vellere.’ Vide ibidem. *Sorores*] Parcæ.

Hic vitæ natalis erit. Tu Troica dignus
Sæcula, et Euboici transcendere pulveris annos,
Nestoreosque situs. Qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? nec si vacuet Mevania valles,
Aut præstent niveos Clitumna novalia tauros,
Sufficiam: sed sæpe Deis hos inter honores
Cespes, et exiguo placuerunt farra salino.

erit. Tu mereris transgredi Trojanos annos, et ætatem Cumanæ Sibyllæ, ac senectutem Nestoris. Qua nunc acerra inops sacra faciam pro tua salute? Non sufficiam, etsi Mevania exhauriat valles suas, aut pascua Clitumni dent suos candidos tauros. Sed inter hos honores, gramen et far modico salino sæpe accepta fuerunt numinibus.

—125 *Troia* Venet. 1. quod probant Heins. et Burm.—128 'Vel legendum, *non si vacuet*, vel si retineas *nec*, scribendum, *Et præstent*: et hoc verum.' *Markl.*—131 Rom. *sacra salino.*

NOTÆ

125 *Troica Sæcula*] Tithoni, vel Laomedontis, aut Priami.

126 *Euboici pulveris*] Alludit ad fabulam, qua Sibylla Cumana annos a Phœbo petiisse fingitur pro numero pulveris, quem manu ceperat, et obtinuisse. Vide Ovid. Met. XIV. *Euboici* vero, quia Cumæ, patria Sibyllæ, conditæ fuerant a Chalcidensibus ex Eubœa profectis.

127 *Nestoreosque situs*] Id est, senectutem Nestoris, qui tria sæcula vixisse dicitur. *Qua nunc tibi pauper acerra*] Hinc colligitur 'Soteria' non fuisse munera, quæ mittebantur ad amicos, ubi convaluerint, sed sacra, quæ fiebant pro eorum salute restituta, ut initio diximus.

128 *Mevania*] Oppidum Umbriæ armentorum ac gregum ferax. Lucanus lib. I. 'Tauriferis ubi se Mevania campis Explicat.' Erat patria Propertii Poëtæ.

129 *Clitumna novalia*] Id est, novalia adjacentia Clitumno amne, Umbriam a Tuscia dividente, cujus aqua pota candidos boves facit. Hinc *nivei tauri*. Tauri autem, seu boves candidi immolabantur Diis, ut iis gratiæ agerentur, vel de re in bello bene gesta, vel de alia ab iis impetrata. Vide Plinium lib. VIII. Ep. 8. ad Romanum.

130 *Sæpe Diis has inter honores Cespes, &c.*] Tibullus lib. IV. ad Messalam: 'Parvaque cœlestes pacavit mica, nec illis Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.'

131 *Farra*] Id est, mola: nam ex farre et sale mola fit. Plinius: 'Mola tantum salsa litant, qui non habent thura.' *Salino*] Ad veterum superstitionem, qua salinum inter vasa sacra. Livius lib. XXVI. 'Ut salinum patellamque Deorum causa habeant.' Arnobius: 'Sacras facitis mensas salinorum appositu.'

V. BALNEUM CLAUDII ETRUSCI.*

Etrusci amici balneum describit.

Non Helicona gravi pulsat chelys enthea plectro,
Nec lassata voco toties mihi numina Musas.
Et te, Phœbe, choris, et te dimittimus, Evan:
Tu quoque muta feræ, volucer Tegeæe, sonoræ
Terga premas: alios poscunt mea carmina cœtus.
Naidas undarum dominas, regemque corusci
Ignis, adhuc fessum, Siculaque incude rubentem
Elicuisse satis: paulum arma nocentia, Thebæ,

Mea cithara numine afflata non percutit Heliconem molesto pectine, nec imploro Musas, Deas a me toties fatigatas. Et te, Apollo, et te, Bacche, dimittimus ad vestras choreas. Tu quoque, Tegeæe ales, pulses muta terga sonoræ testudinis. Mei versus requirunt alios cœtus. Sufficiet invocare Nymphas aquarum reginas, et Deum luminosi ignis, lassatum adhuc, et rubicundum incude Sicula. Thebæ

Balneum Etrusci edd. vett. ' Istud nomen *Claudii*, quod in edd. desiderabatur, ex codd. recte addidit Gronovius: et hoc confirmat Præfatio libri.' *Markl. Claudii Etrusci Balneolum* Parm.—2 Handius ad I. 2. 93. legit, *totiens mihi.*—4 *Tuque inimica feræ* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Tu quoque muta feræ* Venet. 1. ut emendavit Politianus Epist. VI. 1. probantibus Scal. Gevart. et Bern. itaque legit Huschk. ad Tibull. III. 4. 69. *Tu quoque amica feræ* Morel. quam veram Statii lectionem arbitrabatur Barthius; *Tuque o muta feræ* Markl. *Tu quoque terga feræ* Heinsius; unde Markl. etiam: *Tu quoque tarda feræ;* Barth. adolescentulus conj. *Tuque imitata.* Cf. Serv. ad illud Virg. Georg. IV. ' Ipse cava solans ægrum testudine amorem.' Lin-

NOTÆ

* *Etrusci*] Etruscus ille erat filius Claudii Etrusci, qui libertus imperatoriæ domus ad amplissima munera provectus fuerat. Vide Lacrymas Etrusci. Easdem Etrusci thermas celebrat Martialis lib. VI. Ep. 42.

1 *Helicona*] Montem Bœotiæ, Musis sacrum.

2 *Lassata numina Musas*] Ut quas sæpius invocaverat.

3 *Et te, Phœbe, choris, et te dimittimus, Evan*] Phœbus enim dicitur a Poëtis agere choros in Parnasso cum Musis, et Bacchus, qui idem ac *Evan*, cum Nymphis.

4 *Feræ sonoræ*] Testudinis, quam ut ad concentum accommodarit Mercurius, vide apud Philostratum in Iconibus. *Volucer Tegeæe*] Mercurius, qui cum Arcas esset, semper designatur per aliquem locum aut oppidum Arcadiæ. *Tegea* autem urbs Arcadiæ.

6 *Naidas*] Nymphas aquarum præsides, quæ Naides et Naïades vocantur. *Regemque corusci Ignis*] Vulcanum.

7 *Siculaque incude rubentem*] Vulcanus enim officinam habebat in Sicilia.

8 *Paulum arma nocentia, Thebæ, Ponite*] Hinc liquet compositum fuisse

Ponite: dilecto volo lascivire sodali.
Junge, puer, cyathos, sed ne numerare labora,
Cunctantemque intende chelyn: discede, laborque,
Curaque, dum nitidis canimus gemmantia saxis
Balnea; dumque procax, myrtis hederisque soluta
Fronte, verecundo Clio mea ludit Etrusco.

paulum intermittite scelestas pugnas. Libet ludere in gratiam cari amici. Puer porrige crebra pocula, et cura numerare ea, et accommoda segnem citharam. Labor et solicitudines migrate, dum celebramus thermas fulgentes nitidis lapidibus, et dum mea Clio proterva myrtis, hederisve, ac fronte explicita, lascivit in gratiam modesti

denbrogius, pro *Tegeæ, sonoræ* legit ex codice Par. *Tegeæus honore.*—10 Venett. 1. 2. Parm. et Rom. *et enumerare;* Avantius in Ald. 1. fecit, *atque enumerare;* Heins. Adverss. p. 640. *atque annumerare.* Lectio nostra debetur P. Scriverio ad Martial. et primum recepta est in editione Gevartii. —11 *Cunctantemque incende* ed. vet. Lindenbrogii. *chelum* Domitius in Rom. *chelym* Aldd. Colin. Gryph.—14 Parm. *Fronde.*—15 Parm. *nitidosque adver-*

NOTÆ

hunc libellum ante absolutam Thebaidem. *Arma* vero *nocentia:* quia bellum Thebanum inter duos fratres Eteoclem et Polynicem gerebatur: damnandum igitur.

10 *Junge, puer, cyathos*] Catullus: 'Minister vetuli puer Falerni Inger mi calices amariores.' *Jungere* autem *cyathos*, est sine intermissione semper novos epotandos præbere. *Sed ne numerare* [*atque enumerare*] *labora*] Alludit ad morem veterum, qui tot bibebant pocula, quot literis nomina amicarum, vel amicorum absentium scribebantur. Quod innuit Martialis: 'Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.' Sed Gevartius et P. Scriverius legunt: *sed ne numerare labora.* Et sic legendo, tangeret superstitionem veterum, qui finitum numerum fascino obnoxium credebant. Itaque laudantes aut numerantes dicebant, 'præfiscine,' seu φθόνος ἀπέστω· hoc verbo invidiam omnem se amoliri putabant. Vide Scaligerum ad illud Catulli: 'Da mihi basia mille, deinde centum,' &c.

12 *Gemmantia saxis Balnea*] *Gemmantia* hic non simpliciter intelligas 'splendentia:' sed *gemmantia* idem valet, quod veris gemmis et lapillis ornata. Nam infra Statius ponit onychen, et ophiten: 'Mœret onyx longe, queriturque exclusus ophites.' Et Martialis de eodem balneo, lib. VI. Ep. 46. 'Siccos pinguis onyx anhelat æstus, Et flamma tenui calent ophitæ.'

13 *Procax myrtis hederisque*] Horatius II. Od. 1. 'Sed ne, relictis, musa procax, jocis, Cææ retractes munera næniæ.' Sic Epith. Stellæ 'petulans Elegia.' Vult enim Poëta hilaritatem ac lætitiam in Musa, ut melius possit describere balneum, quod exprimit etiam per *soluta fronte.*

Myrtis hederisque] Quibus ut et lauro Musæ coronari solitæ.

14 *Verecundo Etrusco*] Laudat Etruscum a verecundia, quæ maxime decet adolescentes, ut custos omnium virtutum, dedecus fugiens, laudemque maximam consequens, ut ait Cicero.

Ite, Deæ virides, liquidosque advertite vultus,
Et vitreum teneris crinem redimite corymbis,
Veste nihil tectæ: quales emergitis altis
Fontibus, et visu Satyros torquetis amantes.
Non vos, quæ culpa decus infamastis aquarum,
Solicitare juvat: procul hinc, et fonte doloso
Salmacis, et viduæ Cebrenidos arida luctu

Etrusci. Venite cæruleæ Deæ, et huc flectite liquida ora, et nectite pellucidas comas mollibus corymbis: nudæ, quales assurgitis e profundis fontibus, et excruciatis vestro visu amantes Satyros. Non vos libet advocare, quæ dedecoratis scelere vestro famam undarum. Longe hinc migret Salmacis fallacibus aquis, et fluvius,

tite vultus; Rom. *liquidosque a vertice vultus;* Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. &c. *avertite,* quod tuentur Til. et Cruc. et ita legit Huschk. ad Tibull. III. 4. 3.—21 *Crebenicos* dederat Domitius, qui inversam illam dictionem in omnibus codd. se invenisse notat. *Crebenidos* ed. vet. Lindenbrogii; *Crebrenidos* Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Til. et Cruc. *Cebrenidos*

NOTÆ

15 *Ite, Deæ virides*] Hic, *Ite*, per venite exponendum est.

Virides] A colore viridi seu cæruleo aquarum. *Liquidos*] Puros et claros. Sic 'liquidus ignis' Virgilio in Sileno, et 'liquida vox' Horatio, Epicedio Quintilii.

16 *Corymbis*] Corymbi, hederæ racemi; iisque Nymphæ coronantur, ut comites Bacchi, cui hedera sacra est. Propertius lib. II. 'Tum capiti sacros patiar pendere corymbos.'

18 *Satyros*] Satyri enim salaces ac lascivi semper depinguntur. Vide Theb. IV. 695.

19 *Non vos*] Rejicit ac repellit Nymphas fontium, quæ aliquo scelere infames sunt.

20 *Fonte doloso Salmacis*] Salmacis fons in Caria, cujus aqua pota molles fiebant et impudici. Id negat Strabo lib. XIV. Negat etiam Vitruvius, quem vide lib. II. cap. 8. Festus autem dicit hanc opinionem pervagatam ob eam rem, quod ejus aditus angustatus parietibus occasionem largiretur juvenibus petulantibus, accedentium puerorum, puellarumque violandarum, quia non patebat effugium. Ovidius vero fingit Salmacin Nympham adeo arcte complexam fuisse Hermaphroditum, ut ambo unum corpus facti sunt. Hinc 'dolosum fontem' appellat Papinius.

21 *Et viduæ Cebrenidos arida luctu Flumina*] Intelligit Cebrenem fluvium Phrygiæ, cujus filia Hesperie adamata fuit ab Æsaco Priami filio. Hæc cum fugeret Æsacon se persequentem, morsu serpentis periit, tantoque ob ejus mortem dolore correpti sunt Æsacus et puellæ pater, ut ille in mergum conversus fuerit; hic vero exaruerit, et palus factus fuerit, unde pestilentes exhalationes emittuntur. Vide Strabonem lib. XIII. et Stephanum, Apollôdorum lib. III. Bibliothecæ, et Ovid. Met. XI. 749. *Cebrenidos*] Hesperies, filiæ Cebrenis. *Viduæ*] Amisso Æsaco, et in mergum mutato. *Arida luctu*] Post mortem Hesperies filiæ.

Flumina, et Herculei prædatrix cedat alumni.
Vos mihi, quæ Latium, septenaque culmina Nymphæ
Incolitis, Tybrimque novis attollitis undis,
Quas præceps Anien, atque exceptura natatus
Virgo juvat, Marsasque nives et frigora ducens
Marcia, præcelsis quarum vaga molibus unda
Cessit, et innumero pendens transmittitur arcu,

pater viduæ Crenetidos, dolore siccatus, et Nympha, quæ rapuit Herculis alumnum. Mihi vos adeste, Nymphæ, quæ habitatis Latium, et septem montes, et augetis novis aquis Tiberim, et vos, quas delectat præceps Anien, ac Virgo natantes admissura, et Martia trahens Marsas nives et frigora, quarum omnium aqua attollitur altis ædificiis, et suspensa multis fornicibus transvehitur. Suscipimus memoran-

Gevart. Gronov. et recent.—24 *Thybrimque* Aldd.—27 *Martia* Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. mutavit Marklandus.—28 ‘ Diu suspectum

NOTÆ

22 *Et Herculei prædatrix cedat alumni*] Intelligit Ascanium fluvium Mysiæ, in quem decidit Hylas, (quem hic Poëta vocat alumnum Herculis, Propertius ‘comitem invicti herois,’ Strabo ἕνα τῶν Ἡρακλέους ἑταίρων, Apollodorus ἐρώμενον,) hauriendo aquam; cum enim delapsam e manu hydriam retinere vellet, ejus pondere immersus est. Unde Poëtæ finxerunt Hylam raptum fuisse a Nymphis propter pulchritudinem.

23 *Quæ Latium*] Latium, regio Italiæ, in qua Roma sita erat. *Septena culmina*] Romæ scilicet, quæ ‘septemgemina’ Papinio dicitur, quod intra suum circuitum septem montes contineret.

24 *Tibrim*] Tiberis fluvius præterfluens Romam notissimus. *Novis undis*] Id est, quibus augetur Tiberis, quæque in Tiberim influunt.

25 *Præceps Anien*] Horatius: ‘Et præceps Anio, et Tiburti lucus.’ Vide libello superiori vs. 2.

26 *Virgo*] Frontinus de Aquæductibus lib. I. hæc de Virgine dicit: ‘Idem Agrippa C. Sentio, Sp. Lucretio Coss. post annum 13. quam Juliam deduxerat, Virginem quoque in agro Lucullano collectam, Romam perduxit. Virgo appellata, quod quærentibus aquam militibus, puella virguncula quasdam venas monstravit, quas secuti, qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt. Ædicula fonti apposita hanc virginem pictura ostendit. Concipitur ergo via Collatia ad milliarium octavum, palustribus locis, signino circumjecto, continendarum scaturiginum causa.’ Hactenus Frontinus. Plinius lib. III. cap. 3. ‘Idem Agrippa et Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo duo millia passuum, Prænestina via: juxta est Herculeus rivus, quem refugiens, Virginis nomen obtinuit.’ *Exceptura natatus*] Quia aqua Virginis præstabat tactu, et sic in ea solebant ablui, Martia vero haustu, ut ait Plinius. *Marsasque nives et frigora ducens Martia*] De Martia consule Tiburtinum Manlii vs. 67. Dicitur *ducere Marsas nives*, quia per Marsos transit populos Italiæ.

27 *Præcelsis molibus*] Describit fornices ductuum.

28 *Et innumero pendens transmitti-*

Vestrum opus aggredimur; vestra est, quam carmine molli
Pando, domus: non unquam aliis habitastis in antris
Ditius: ipsa manus tenuit Cytherea mariti,
Monstravitque artes: neu vilis flamma caminos
Ureret, ipsa faces volucrum succendit Amorum.
Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos;
Mœret onyx longe, queriturque exclusus ophites:
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis

dum vestrum opus. Vestra est ædes, quam celebro teneris versibus. Nunquam habitastis opulentius in aliis cavernis. Ipsa Cytherea duxit manum conjugis sui, illumque instruxit, et ne vilis ignis incenderet fornaces, ipsa inflammavit tædas alitum Cupidinum. Non hic marmora Thasi, aut aquosæ Carysti recepta sunt. Onyx multum dolet, Ophites mæret, quod rejiciantur. Solus Porphyrites excisus

habueram vocem *Crescit:* gratias ago optimæ Venetæ, quæ hunc mihi scrupulum exemit, suppeditando: *quarum vaga molibus unda Cessit.* Unda antea vaga nunc cessit molibus, in ordinem et modum redacta: elegantissime.' *Markl.*—34 *Caristos* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Gevart. Barth. Gronov. &c. mutavit Morellus; Græce enim scribitur Κάρυστος. Vide Hesych. Steph. B. et Strab. lib. x.—36 Pro *Nomadum* Venet. 1. habet *nomasis*, quod Marklandus opinabatur scribi pro *Nomasin;* et hoc forte, inquit, nonnullis non

NOTÆ

tur arcu] Nam fornices struebantur ad sustinendas formas aquæductuum. Vide Plinium lib. x. Ep. 46. Ædificiis enim in altum substructis aquæ deducebantur. Rutilius: 'Quid loquar aërio pendentes fornice rivos.'

31 *Cytherea*] Venus, a Cythera insula ipsi sacra. *Mariti*] Vulcani.

33 *Volucrum*] Amorum, seu Cupidinum, qui alas habebant.

34 *Thasos*] Intelligit marmor Thasium; nam Thasus insula Thraciæ adjacens, insigni genere marmoris nobilis erat. *Carystos*] Designat marmor Carystium. Carystos autem urbs Eubœæ ad ripam sita, hinc *undosa* dicitur, sub monte, ubi erat Apollinis Marmarii templum. Lapis illic nascebatur, qui pectebatur, ac texebatur, et mantilia inde conficiebantur egregie contexa. Vide Strabonem. Plutarchus autem, lib. de Oraculorum Defectu, scribit hunc lapidem suo tempore defecisse. Erat et Carystos varii marmoris ferax. Excidebantur enim ibi columnæ quæ a loco 'Carystiæ' vocabantur. Seneca: 'Ferax varii lapidis Carystos.' Carystii marmoris meminit etiam Plinius lib. IV. cap. 12. et lib. XXXVI. cap. 6.

35 *Onyx*] Vide Epith. Stellæ vs. 149. *Ophites*] Ophites marmoris genus, serpentium maculis simile, unde et nomen accepit; neque ex Ophite columnæ, nisi parvæ admodum inveniuntur: duo ejus genera, molle candidum, nigricans durum. Plinius lib. XXXVI. cap. 7.

36 *Flavis Nomadum decisa metallis Purpura*] Intelligit Porphyritem Numidicum, de quo vide Epith. Stellæ supra vs. 148. Nomades, vero, seu Numidæ sic dicti sunt a permutandis pabulis, Mapalia sua, hoc est, domus, plaustris circumferentes. Consule

Purpura, sola cavo Phrygiæquam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis liventibus Attys:
Quasque Tyrus niveas secat, et Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ, viridis cum regula longo

e cæruleis fodinis Numidarum coruscat, solus, quem ipse Atys tinxit guttis fulgentibus proprii sanguinis in profunda caverna Synnados. Et marmora candida, quæ Tyros et Sidon cædunt. Vix locus Eurotæ marmori, nisi cum illius linea viridis

displicebit.—37 *Synados* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. &c.—38 Cruceus hunc locum citans habet *liventibus*, probante Marklando; *lucentibus* Venet. 1. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Atys* edd. vett.—39 *Quasque Tyri* ed. vet. Lindenbrogii.—40 'Ita recte hunc locum distinxit Gevartius cum antea legeretur: *Vix locus Eurotæ viridis: cum, &c.* vel *viridi.*' Markl. Ed. vet. Lindenbrogii habet: *viridi cum regula longa*

NOTÆ

Geographos. *Flavis metallis*] Noster Eucharist. ad Domitianum: 'Æmulus illic Mons Libys.' Surrentino Pollii: 'Hic Nomadum lucent flaventia saxa.' *Metallis*] Lapidicinis; nam metalla sunt venæ tam lapidis, quam æris, et aliarum rerum, quas e terra eruimus. Unde metalla Græci videntur dixisse. Nam μεταλλάω significat, *scrutor, indago.*

37 *Purpura*] Inveniebatur etiam in his lapidicinis Numidiæ interdum marmor purpurei coloris, seu Porphyrites.

Sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro Ipse cruentavit maculis liventibus Attys] Designat Synnadicum marmor, de quo vide Epith. Stellæ vs. 148. *Attys*] Alludit ad fabulam, qua Atys, quem Cybele dicitur adamasse, abscidit sibi genitalia. Vide Arnobium lib. v. contra gentes, ubi prolixe totam hanc fabulam exponit. Hunc autem lapidem Atys cruentasse fingit Poëta, quod marmor illud maculis purpureis interstinctum sit.

39 *Tyrus niveas secat, et Sidonia rupes*] Notat marmora e lapidicinis Tyri et Sidonis excisa, quæ erant candida. Tyrus autem et Sidon urbes Phœniciæ.

40 *Vix locus Eurotæ*] Per Eurotan fluvium Laconiæ, intelligit Lacedæmonium marmor viride. Vide Epith. Stellæ vs. 148. *Viridis cum regula longo Synnada distinctu variat*] Ita hunc locum distinxit Gevartius, cum in vulgatis nullo sensu legeretur: *Vix locus Eurotæ viridi, &c.* Est autem hic elegans locus, qui marmorationis genus e duobus marmoribus compositum clare ob oculos ponit. Solebant enim marmori Synnadico crustulam aliquam marmoris Lacedæmonii, vel Tyrii interserere. Plinius lib. xxxv. cap. 1. 'Neronis principatu, inventum maculas, quæ non essent, in crustis inserendo, unitatem variare, ut ovatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Synnadicus, qualiter illos nasci optarent deliciæ.' Seneca Ep. 89. 'Pauper sibi videtur, ac sordidus, nisi parietes magnis ac pretiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint.' Fallitur igitur Lampridius in Alexandro Severo, qui sentire videtur marmorationis genus e duobus marmoribus fuisse inventum Alexandri Severi, quod ideo vocat Alexandrinum opus. Supra enim ex Plinio et Seneca constat, jam Claudii

Synnada distinctu variat: non limina cessant,
Effulgent cameræ, vario fastigia vitro
In species animosque nitent: stupet ipse beatas

longo tractu discriminat Synnadicum. Non fenestræ carent marmoribus. Cubicula lucent. Laquearia fulgent diverso vitro, et exprimunt imagines, quæ animatæ

Synada distinctum.—41 *Synada* edd. vett. *lumina cessant* Aldd. Colin. Gryph. &c. *limina* Parm. Rom. Vicent. et Venett. et hanc lectionem sequitur Gevartius. Politiano duce mutavit Avantius in Ald. 1.—43 In margine suæ Diatr. Gronovius manu notavit emendationem Strateni: *In species hominesque nitent.* Pro *animosque* Venet. 1. habet *animoque;* unde Marklandus: *In*

NOTÆ

et Neronis temporibus fuisse cognitum. Innuit fortasse Lampridius novum aliquod genus ex Porphyretico, et Numidico. Vide quæ ad Manilii Sphæram Barbaricam accurate disputat Jos. Scaliger, de variis vermiculationis et musivi operis generibus. Hoc opus 'Alexandrinum' vocabatur, vel quod Alexandrino marmore ad hoc maxime uterentur, vel quod in Alexandria primum repertum.

41 *Non limina* [*lumina*] *cessant*] Domitius et Gevartius legunt *limina*, et explicant *limina non cessasse*, seu non vacasse marmoribus. Viliora enim marmora in liminum erant usu. Plinius lib. XXXVI. cap. 6. 'Numidicum marmor, non in columnis tantum crustisve, sed in massa ac vilissimo liminum usu.' Morellus legit *lumina*, et ait: *Non cessare lumina*, cum excitarentur oculi varietatibus colorum. Sed hic *lumina*, non interpretanda, oculos aspicientium, sed sunt fenestræ quibus lumen admittitur. Uti Cicero de Oratore: 'Cum ædes venderet, in mancipio lumina, uti tum erant, recepit.' Eorum margines pretioso fulgidoque marmore adornatas innuit Papinius, et hæc optime cum cameris junguntur.

42 *Vario fastigia vitro*] Novitium hoc erat inventum, inquit Plinius lib. XXXVI. cap. 25. et auctor est, post M. Agrippæ tempora, vitrum cameris adhiberi cœptum esse. Seneca Ep. 86. 'Nisi,' inquit, 'vitro abscondatur camera,' et Plinius loco citato: 'Pulsa ex humo pavimenta in cameras transiere e vitro.' Et hic *varium* dicitur vitrum, id est, imaginibus versicoloribus signatum, quale in specularibus templorum hodie cernimus. Hoc vero, ut ingressis variæ eæque jucundæ redderentur imagines. Quod suo tempore ita in usu fuisse notat Plinius lib. XXXVI. cap. 25. ut vitrum Obsidianum parietibus applicari consuetum, pro imagine umbras reddere solitum, observet: 'In genere vitri et Obsidiana numerantur, ad similitudinem lapidis, quem in Æthiopia invenit Obsidius nigerrimi coloris, aliquando et translucidi, crassiore visu, atque in speculis parietum pro imagine umbras reddente.' Porro ejusmodi vitra per cubicula disposuisse veteres, quæ nunc majores, nunc minores ipsis rebus imagines redderet, omnes sciunt, qui modo legerunt vitam Horatii, ac quod refert Seneca de Hostio Natur. Quæst. lib. I.

43 *In species animosque*] Id est, specula illa non solum reddunt imagines intrantium, sed ipsos animos, hoc est, affectus.

Circumplexus opes, et parcius imperat ignis.
Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis
Perforat, atque alio sol improbus uritur æstu.
Nil ibi plebeium: nusquam Temesæa notabis
Æra; sed argento felix propellitur unda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat
Delicias mirata suas, et abire recusat.
Extra autem niveo qui margine cœrulus amnis
Vivit, et in summum fundo patet omnis ab imo,
Cui non ire lacu, pigrosque exsolvere amictus
Suadeat? hoc mallet nasci Cytherea profundo;

videntur. Ipse ignis miratur, circumplectens tantas divitias, et moderatius dominatur. Multa ubique lux est, ubi sol transfigit omnibus radiis culmina, et nimius incenditur alio ardore. Nihil ibi est vulgare. Nullibi videbis æra Themeses, sed superba aqua protruditur argenteis tubis et labitur ex epitoniis argenteis, et premit fulgentia vasa, mirans suas delicias, et non vult emigrare. Extra vero cœrulea piscina fluit in candido labro, quæ tota perlucida est ab imo fundo usque ad summum. Quis tam segnis, qui non invitetur exuere vestes, et lavare se in tam limpidis aquis?

species animata nitent. Cf. Theb. VI. 268.—47 *Temesea* Venett. Parm. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Temesia* Rom. Usus tamen postulat *Temesæa.* Steph. B. scribit Τεμεσαῖος.—52 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *et in fundum summo;* Gevart. Amstel. Gronov. Veen. et Delph. *et in summum fundo;* quæ

NOTÆ

44 *Et parcius imperat ignis*] Refer ad illud Theb. VII. 'Quam rarus terris hic imperet ignis.' Et vult significare Poëta ignem, cum tamen sua natura sit edax, hic parcius et moderatius uti imperio suo.

45 *Multus ubique dies*] Vide Martial. lib. VI. Epigr. 42.

46 *Sol improbus*] *Improbus* hic pro nimio est. *Æstu*] Balneorum scilicet.

47 *Temesæa Æra*] Vide Equo Domitiani vs. 42.

48 *Argento propellitur unda, Argentoque cadit*] Innuit tubos et canales, nec non epitonia, immo et labra argentea fuisse. Seneca Ep. 86. 'Nisi Parius ac Thasius lapis, rarum quondam in aliquo templo spectaculum, piscinas nostras circumdederit, nisi aquam argentea epitonia fuderint.' Plinius lib. XXXIII. cap. 12. 'Nisi argentea, solia fastidiant, eademque materia et probris serviat et cibis. Videret hæc et Fabricius, et stratas argento mulierum balneas.'

51 *Niveo margine*] Id est, ex candido marmore facto. *Cærulus amnis*] Cœrulus epithetum amnium, ut et viridis.

52 *Vivit*] Supra Epith. Stellæ: 'Perspicui vivunt in marmore fontes.'

53 *Pigros*] Id est, licet promte exuantur amictus, id tamen lente fieri dicitur: tanta est cupido lavandi se in hoc amne.

54 *Hoc mallet nasci Cytherea profundo*] Dicit tantam esse pulchritudinem hujusce amnis, ut Cytherea, seu

Hic te perspicuum melius, Narcisse, videres;
Hic velox Hecate velit et deprensa lavari.
Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat

Cytherea mallet nasci ex hoc mari. Hic te, Narcisse, clarius spectares, et considerares. Hic agilis Diana optaret lavare se et deprehendi. Quid nunc memorem pavimenta, auditura resonantes pilas ludentium, ubi adhuc debilis flamma vagatur in

lectio est ex conjectura Adriani Behottii: silent tamen editores.—56 Rom. et Gryph. *deprehensa;* Aldd. *depræhensa.*—57 *Quid . . . . tabulata? crepantis, &c.* Aldd. Colin. Gryph. &c. Mirum est interpretes ad h. l. ita hæsisse: si quantitatem *τοῦ pĭlas* paulum considerassent, scirent saltem Poëtam *pilas lu-*

NOTÆ

Venus, mallet nasci ex hoc, quam e mari, e quo nata esse dicitur.

55 *Narcisse*] Nota fabula Narcissi, qui spectando se in clarissimo fonte, præ nimio sui amore contabuit. Vide Theb. VII.

56 *Hecate*] Diana. *Velit et deprensa lavari*] Notat fabulam, qua dicitur Dianam tanta ira exarsisse in Actæonem, quod se nudam lavantem in fonte Gargaphio deprehenderit, ut in cervum illum mutaverit.

57 *Crepantes Auditura pilas*] Hunc locum varie explicant interpretes. Bernartius, ut et Mercurialis, et Cœlius Rhodiginus per *crepantes pilas*, glomos pice illitos intelligi existimant, quos in ignem balneorum conjicere solebant, sicubi forte restingueretur, et adducunt locum Vitruvii lib. v. ubi ait: 'Suspensuræ caldariorum ita sunt faciendæ, ut primum sesquipedalibus tegulis solum sternatur inclinatum ad hypocaustum, uti pila cum immittatur, non possit intus resistere.' Robortellus fulcra intelligit, seu parvas columnas, quæ certo ordine collocatæ pavimentum balnearum sustinebant, ut fuse exponit in descriptione Sudationis Pisanæ. Domitius intelligit pilam concavam. Turnebus denique et Gevartius pilas lusorias, quibus in balneis ludebant, interim dum hypocausta calescerent. Quod ut intelligatur, observandum est, Trigonem fuisse, Sphæristerium quoddam in balneo, sic dictum vel quod triquetram seu triangularem haberet figuram, quam τρίγωνον vocant Græci, vel quod ludentes eo situ starent, ut triangulum efficerent. Ad hujusmodi pilæ lusum constructum, ac tepidum semper erat ob adjunctum hypocaustum, ne exuti ad ludendum homines statim algerent. Ad hunc locum confluebant, ac ludebant, interea dum hypocausta et sudationes calescerent. Quod expressit Statius his verbis: 'Ubi languidus ignis inerrat Ædibus, et tenuem volvunt hypocausta vaporem.' Unde Martialis lib. IV. Ep. 19. 'Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona.' Et lib. XII. Ep. 84. 'Captabat tepidum dextra lævaque trigonem, Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas.' Cum autem hypocausta satis incaluerant, æris sonitu signum dabatur, quo ad balneum vocabantur. Hinc Martialis lib. XIV. Epig. 163. 'Redde pilam: sonat æs thermarum: ludere pergis? Virgine vis sola lotus abire domum.' Dicuntur autem *crepantes pilæ*, quia dum pila datatim cava manu redditur, excipiturve, crepitum edere solet. Hinc

Ædibus, et tenuem volvunt hypocausta vaporem?
Nec si Baianis veniat novus hospes ab oris,
Talia despiciat; (fas sit componere magnis
Parva;) Neronea nec qui modo lotus in unda,
Hic iterum sudare neget. Macte, oro, nitenti
Ingenio, curaque, puer: tecum ista senescant,
Et tua jam melior discat fortuna renasci.

domo, et hypocausta emittunt tenuem fumum? Nec novus advena, etsi veniret a plagis Baianis, hæc contemnat, (liceat comparare modica ingentibus,) nec ille, qui nuper abluit se in aqua Neronis, recusaret hic denuo sudare. Macte, precor, o adolescens, eleganti ingenio, ac studiis. Hæc durent tecum usque ad summam senectutem, et tua fortuna jam incipiat melius renasci.

sorias voluisse.—64 Pro *curaque* Marklandus conj. *cultuque*. Cf. Anson. Mosell. 18. 345.—65 Edd. omnes habent *melius;* unde Markl. tentabat *in melius; τὸ melior* citat Gronov. Diatr. cap. XII. et Gevart. Papin. Lect. cap. XXXIX. cum tamen edd. eorum præferant *melius*, et uterque sileat de mutatione. Hinc in textum recepit Marklandus.

NOTÆ

composita voce 'Pilicrepus,' lusor pilæ. Glossæ Isidori: 'Pilicrepus, qui pila ludit.' Nomen hoc sæpius occurrit in veteri marmore quod primum produxit M. Velserus, et hic citat Gevartius: 'Ursus togatus, interea qui primus pila Lusi decenter cum meis lusoribus, Laudante populo maximis clamoribus, Thermis Trajani, Thermis Agrippæ, et Titi, Multum et Neronis, si tamen mihi creditis, Ego sum, ovantes convenite Pilicrepi.' Et paulo post: 'Ursumque canite voce concordi senem, Hilarem, jocosum, Pilicrepum Scholasticum, Qui vicit omnes antecessores suos.' Et juncta quidem Sphæristeriis hypocausta docet Ulpianus leg. 16. ff. mandati, et Plinius lib. II. Ep. 17. et lib. V. Ep. 6.

59 *Hypocausta*] Hypocausta sunt, Mercuriali, fornaces seu caminatæ structuræ calidario, calidæ lavationi, atque vasario suppositæ, in quibus ad calefaciendam aquam et prædicta balnearum loca succendebatur ignis, cujus calor per tubos et canales parietibus in orbem affixos quoquoversus spargebatur. Horum usus hodie frequens in Germania, ubi triclinia calefiunt hypocaustis.

60 *Baianis oris*] Intelligit Baianum sinum intra Misenum et Puteolos in Campania. Totus hic tractus maritimus miram habebat aëris temperiem ac amœnitatem, terræque fertilitatem et rerum omnium copiam, in eoque erant aquæ calidæ, et ad voluptatem, et ad varios morbos commodæ, ut ait Strabo lib. V. unde teste Horatio: 'Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.'

62 *Neronea unda*] Designat Thermas Neronis, de quibus sæpe Martialis, lib. VII. Epig. 33. et lib. II. Ep. 48. Calidissimæ fuisse videntur: idem lib. V. Epig. 72. 'Neronianas is refrigerat thermas.'

65 *Fortuna renasci*] Etruscus pater a Domitiano in exilium fuerat missus, sed precibus filii Etrusci reditum suum obtinuerat. Unde ait Poëta,

NOTÆ

ipsius fortunam jam renasci. Statius Lacrymis Etrusci: 'Quas tibi devoti juvenes pro patre renato, Summe ducum, grates, aut quæ pia vota rependunt?' Exilium enim, civilis mors est, quo cœlum hoc, spiritusve, ac domicilium civitatis amittitur. Quare inter capitalium id judiciorum pœnas recenset Paulus JC. in l. 2. D. de Publicis Judiciis. Unde qui ab exilio revertebantur, dicebantur 'renati,' et fortuna eorum renascebatur: ut supra 'pro patre renato.' Claudianus de Bello Getico: 'Tectisque suis redduntur et agris, Damnati fato populi, virtute renati.' Cicero post reditum in Senatu: 'Quem denique illo die, quem P. Lentulus mihi, fratrique meo, liberisque nostris natalem constituit.' Idem ad Atticum: 'Alterius vitæ quoddam initium ordimur.' Παλιγγενεσίαν suam appellat Cicero ad Atticum lib. VI. Epist. 6. Sic apud Athenienses qui postliminio revertebantur δευτερόποτμοι vocati, quasi qui secunda fata ordirentur. Alias omnia, quæ velut ab interitu revocantur, analogia quadam renasci dicuntur. Ita 'templa renata,' Mart. lib. VI. Ep. 4. et 'renata lex Julia,' Ep. 7. ejusdem libri, et 'ver renatum orbis' apud auctorem Pervigilii. Valerius Maximus lib. VI. cap. 5. 'Justitiæque promtissimo tenore effecit, ut exitio suo lætari possent, qui sic renati erant.' Loquitur de Camerinis, qui sub hasta venditi, restituti erant, assignatis in Aventino habitandi sedibus.

VI. KAL. DECEMBRES [SATURNALES.†]

Adulatur Imperatorem Domitianum, quod præter spectacula ac missilia omnis generis, Senatui, Populoque Romano lautissimum epulum dederit.

Et Phœbus pater, et severa Pallas,

Et pater Apollo, et tetrica Minerva, et Musæ longe ite otiatæ. Revocabimus

Decembris Calendæ Venet. 1. et Parm. sine voce *Saturnales*, quam non agnoscit etiam codex Bernartii; *Kal.* (sive *Cal.*) *Decembres Saturnales* Rom.

NOTÆ

† *Saturnales*] Suetonius Domitiano: 'Saturnalibus epulum dedit populo Romano, præterea ludos gladiatorios, ac missilia large sparsit in plebem.' Kalendas autem Decembres, *Saturnales* vocat, non quod festum Saturnaliorum totum Decembrem occuparet; agebantur enim solum per septem dies istiusce mensis; sed quod occasione hujusce festi, totus December lætitiæ erat dicatus, ut colligitur ex Seneca Ep. 18. Et Plutarch. in Causis Rom. et Juvenal. 'Toto vinum nescire Decembri.' Hisce diebus jocorum ac lætitiæ plenis piaculum erat facere bellum, aut pœnas a nocentibus exigere: exæquatoque omnium jure, passim in conviviis servi cum dominis recumbebant: hinc 'libertatem Decembrem' vocat Horatius: ac ubique plausus, cantus, ludique percrepabant. Mos etiam erat mittendi munera ad amicos. Catullus Saturnalia 'optimum dierum' appellat, utpote reducentem imaginem aurei istius sæculi, quod

Et Musæ procul ite feriatæ:
Jani vos revocabimus Kalendis.
Saturnus mihi compede exsoluta,
Et multo gravidus mero December,
Et ridens Jocus, et Sales protervi
Adsint, dum refero diem beatam
Læti Cæsaris, ebriamque noctem.
Vix Aurora novos movebat ortus,

vos prima die Januarii. Saturnus vinculis expeditus et December madidus multo vino, ridensque Jocus, ac protervi sales adsint, dum describo diem felicem gaudentis Cæsaris, et temulentam noctis partem. Vix Aurora reducebat novos ortus, jam

Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. &c. Vide Epist. ad Stellam.—2 Omnes codd. et edd. vett. *ite feriatæ*, vel *feriate;* Domitius legi jussit: *ite feriatum*, quod non improbat Bernartius; Gevartius vero damnat; nam *feriatæ*, ait, idem hic, quod 'otiosæ;' ut ap. Auct. Pervigil. Ven. 'Ite nymphæ, posuit arma, feriatus est Amor.'—8 Hunc versum, ut spurium, omitti jubet Barthius. Richardus Tomsonus nostras in lit. ad P. Scriv. legit, *ebriamque noctem*, pro eo, quod multæ edd. vett. habent, *ebriamque partem;* quam correctionem primus in contextum intulit Thomas Stephens Cantab. 1651. In codice quodam invenit idem Tomsonus, *ebriamque mœram;* Parm. *ebriamque parcam;* Rom. *ebriamque pando.* Alii, *ebriumque Martem; ebriamque pacem; ebrium-*

NOTÆ

Saturno regnante fuisse dicitur. Vide Macrob. Saturn. lib. I.

1 *Et severa Pallas*] Tetrica, Martiali Epig. de Plinio: 'Totos dat tetricæ dies Minervæ.'

2 *Ite feriatæ*] Vide floridam Libanii Kalendarum descriptionem.

3 *Jani vos revocabimus Kalendis*] Alludit ad consuetudinem artes delibandi primo Januarii die, qui sacer erat Jano, de quo Ovidius, Fast. I. Tamen privata studia fere auspicabantur Vulcanalibus, ut docet Plinius Ep. de Morte Avunculi.

4 *Compede exsoluta*] Macrobius Saturn. lib. I. 'Cur autem Saturnus ipse in compedibus visatur, Verrius Flaccus causam se ignorare dicit: verum Apollodorus ait alligari per annum laneo vinculo, et solvi ad diem sibi festum, id est, mense Decembri.'

5 *Multo gravidus mero December*] Totum enim hunc mensem traducebant in comessationibus ac epulis, genioque indulgebant.

6 *Et ridens Jocus*] Joci enim ridere debent; alias læderent. Unde infra 'jocos licentes' dixit.

7 *Diem beatam*] Ut quæ in spectaculis, epulis, missilibus mittendis transacta fuerat.

8 *Ebriamque noctem* [*partem*] Per *ebriam partem*, intelligit illam beatæ illius diei læti Cæsaris partem, quæ in epulis transacta est. Partes enim totius illius diei variis oblectamentis ac spectaculis discretæ, et singulæ a Poëta diligenter et exacte descriptæ sunt. Post varia autem spectacula ac oblectamenta, epulæ appositæ, vinumque largius affusum, ut testatur Noster sub finem hujusce libelli.

Jam bellaria adorea pluebant.
Hunc rorem veniens profudit Eos.
Quicquid nobile Ponticis nucetis,
Fœcundis cadit aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quod percoquit Ebosia cannis,

adorea bellaria pluebant. Eurus oriens immisit hunc imbrem. Quicquid insigne est in nucetis Ponti, quicquid labitur e feracibus jugis Idumeæ, quicquid religiosa Damascus fert in ramis, ac ficus, quas Ebosus maturat, id omne spargitur gratuito

que axem. Gronovio in Diatr. placet *ebriamque partem.*—10 *Jam bellaria adorea pluebant* Aldd. Colin. Gryph. &c. *velaria adorea* Parm. *velaria Borea* Florent. *velaria linea* Lipsii codex, Sen. et Exc. Scal. *velaria lintea pluebat* citat Hermolaus Barbarus ad Plin. XIII. 9. *velaria lineæ et pluebat* Salmasius Epist. LXXXVIII. Vide Syllog. Epist. Tom. II. p. 535.—11 Idem Salmas. legit, *profudit Eurus,* ut in Aldd. Colin. Gryph. &c. Markl. conj. *Eos,* addens: 'Post versum, *Jam bellaria, &c.* (quocumque modo iste scribendus sit, quod sane juxta cum ignarissimis scio,) excidisse puto tres vel quatuor, quibus enumerabantur missilia et bellaria quæ prima prolusione spargebantur ad populum.'—15 *Et quas præcoquit Ebosia* (vel *Ebusia*) *cannas* edd. vett. *Ebosita* Gevart. et sic in ed. vet. Lindenbrogii; *Ebosita Caunas* Heins. Grævio Syllog. Epist. Tom. IV. p. 451. *Ebusita caunas* Grævius Heinsio ibid. p. 462. *percoquit* Salmas. et Gronov. *Et quod percoquit Ebosia caunis* Markl. et in curis secundis *cannis,* quod reposuerunt Edd. Bip. *quod* habent etiam

NOTÆ

10 *Bellaria adorea*] *Bellaria,* Græcis τραγήματα, dicuntur secundarum mensarum cibi. *Bellaria* autem *adorea,* seu farracea, sunt placentæ, πέμματα, *liba,* quæ e frumento et opere pistorio conficiuntur.

11 *Rorem*] Bellariorum scilicet. *Eos* [*Eurus*] Ventus ab oriente flans: et tunc temporis, seu mane, ortus hic ventus est, cum dicat Eurum hunc imbrem attulisse. Eurus enim pluviosus est.

12 *Ponticis nucetis*] Potius Corylis: nam nuces Ponticæ sunt Avellanæ, quas Græci *Ponticas* vocant; quia in Ponto nascuntur copiosius. 'Prænestinæ' etiam dicebantur.

13 *Jugis Idumes*] Palmas intelligit. Idume seu Idumæa regio Syriæ, Judææ pars, ab occidente Jordanem spectans, Idumæa vocata, ab Edom, qui et Esaü dicebatur. Eadem Gabalene et Amalechitis Josepho: Palmæ ferax est. Lucanus: 'Arbusto Palmarum dives Idume.'

14 *Quod ramis pia germinat Damascus*] Intelligit prunas Damascenas. Damascus autem urbs Syriæ nobilissima et antiquissima, Persidi vicina. Mons ejusdem regionis duobus fructibus maxime nobilis est, prunis scilicet et myxis, ut Plinius scribit. *Pia* dicitur, quia Syrii admodum superstitiosi erant.

15 *Ebosia*] Est Ebosus insula Hispaniæ in mari Balearico: aliis Ebusus: Græcis Βοῦσος et Ἐβοῦσος, quibusdam etiam Ἤβουσος dicta: Ebosia vero Papinio, quasi Ἡβόσεια νῆσος diceretur. Sic Rhodia insula Plinio ἡ Ῥόδος. Ita Latini 'Coam insulam,' quæ Græcis Κῶς vocatur, appellant: et Ceam τὴν Κέαν quam Κέως. Secundam in Ebuso etiam corripit Ma-

Largis gratuitum cadit rapinis.
Molles caseoli, lucunculique,
Et massis Amerina non perustis,

ad largas direptiones. Delicati Caioli, et lagunculi, pyraque Amerina non tostis

Venet. 1. et Parm.—16 Parm. *calet rapinis.* Versiculum ineptum aut depravatum putat Marklandus, et exulare jubet. Vide Barth. Advers. xvi. 1. —17 *Caioli Lagunculique* edd. vett. *gaioli* Parm. *caieoli* Rom. *lugunculique* codex Lipsii ; unde ille *lucunculique.* Vide Syllog. Epist. Tom. ii. p. 29.—18 *Et passis A. cum perustis* Heinsius. Vulg. defendit Gronov. Diatr. p. 141.

NOTÆ

nilius: 'Oceani victricem Ebusum.' Et Silius: 'Jamque Ebosus Phœnissa movet.' Hodie hæc insula vocatur *Ayussa. Caunas*] Caunæ ἰσχάδες, seu ficus siccatæ, *Caunece* dictæ, quia ex Cauno urbe Cariæ advehebantur, sicut et 'Caricæ' dicebantur ex eadem Caria. Et sicut Caricis, hoc est, ficis e Caria, contigit, ut omnes ficus siccatæ, seu ἰσχάδες, vocarentur generali et communi nomine 'Caricæ;' ita eædem ἰσχάδες, *Caunœ* dictæ sunt, quia ex Cauno afferebantur. Sic Statius dixit *Caunas Ebosi,* pro caricis seu ficis siccis, quæ ex Eboso insula advehebantur. Cum Damascenis autem prunis, et palmulis recte jungit caricas sive ficus aridas. Eæ enim ex Eboso insula præstantissimæ, et amplissimæ apportabantur. Plinius : 'Siccas honos laudatas servet in capsis, Ebuso insula præstantissimas amplissimasque, mox in Marrucinis.' In Ebuso etiam ficus et saccharum gigni testatur Ludovicus Nonius in sua veteri Hispania. *Percoquit*] Id est, maturat. Sic Plinio 'percoctæ,' Hygino 'coctæ' fici, sunt maturæ. Sic 'uvæ coctæ,' et 'cocta vindemia,' de matura. Illud etiam 'percoquere' dicitur de messe, de fructibus, et de vino, ut constat ex Cicerone, Seneca, Plinio, et aliis.

16 *Rapinis*] Spargebantur enim, ut raperentur.

17 *Molles caseoli, lucunculique* [*Caioli, Lagunculique*] Aliqui volunt fuisse cupedia, ex pane dulciario facta, in quibus impressæ erant formæ duorum puerorum Caii et Lagonis, de quibus Martialis lib. ix. Epig. 37. 'Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum.' Hæc vero liba, effigie istorum puerorum insignita, per Saturnalia missitabantur, ideoque hæc munera 'Sigillaria' dicta sunt. Martial. lib. xiv. Epig. penult. Alii legunt hic *Caseoli,* et *lucunculi.* Caseus enim fuit inter dona Saturnalitia. Papinius Risu Saturn. 'Non sal, oxyporumve, Caseusve.' Et lucunculi erant etiam genera edulii, vel panificii potius sciti, ut discimus ex Apuleio Met. x. 'Hic panes, crustula, lucunculos, hamos, lacertulos, plura scitamenta mellita.' Absque diminutione Varroni 'lucuns' dicitur: 'Panis, pemma, lucuns, cibus qui purissimus multo est, Vinum, pemma, lucuns.'

18 *Et massis Amerina non perustis*] *Amerina*, Pira sic dicta. Plinius lib. xv. cap. 15. 'Patriæ nomina habent serissima omnium Amerina, Picentina, Numantina.' *Massis non perustis*] Integra Amerina, nec in sole siccata, ac velut recocta. Solebant enim scindere in massas cujusvis generis pira, et ad solem siccare. Varro de R.R. lib. i. cap. 59. 'Sorba quidem dis-

Et mustaceus, et latente palma
Prægrandes caryotides cadebant.
Non tantis Hyas inserena nimbis
Terras obruit, aut soluta Pleias,
Quali per cuneos hyems Latinos
Plebem grandine concutit sedentem.

massis, mustaceus, ac magni dactyli occultato termite cadebant. Nubilosa Hyas, aut Plias non tantis imbribus opprimit tellurem, quanta grandine tempestas missilium verberat exultantem vulgum per Romanos cuneos. Jupiter ferat nubes per

ed. Hand.—20 *Prægnantes cariotides* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. pro quo Venet. 1. Rom. vet. Lindenbrogii, et Florent. habent, *Prægrandes caryotides.* —22 *Plias* edd. vett.—23. 24 *Qualis* edd. vett. et sic legit Heins. ad Claudiani Rapt. Pros. II. 91. Idem Heins. ibid. legit : *concutit serena ;* Parm. *severam ;* Aldd. Colin. Gryph. &c. *serenam.* Lectio nostra, *Quali . . . . seden-*

NOTÆ

secta, et in sole macerata, ut pira.' Vide Plinium lib. XXIII. cap. 7. Et Palladium in Februario. Hæ sectiones in sole siccatæ sunt *massæ perustæ.*

19 *Et mustaceus*] Juvenalis neutro genere usurpavit : 'Et mustacea perdas.' Erat libi genus sic dictum, quod ex farina melle conspersa fiebat : addebant anisum, cuminum, aliaque. Vide Catonem de Re Rustica.

Et latente palma Prægrandes [*Prægnantes*] *caryotides cadebant*] Hic *caryotides* sunt ipsi dactyli, fructus palmæ. *Palma* autem spathalion, ramum palmæ, hic significat. *Caryotides*] Id est, spathalio appendentes tam grandes sunt, ut spathalion ipsum lateat, nec videatur obtectum scilicet corpore dactylorum, seu caryotidum. Ita fere Ovidius : 'Arboreæ frondes auro radiante nitentes : Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.' 'Poma aurea tegebant aureos ramos.' Illa munus erat pauperiorum Jani Kalendis : hæ inter missilia Cæsaris Kalendis Saturnalibus. Observandum etiam Ms. Florentinum, Romanum Venetumve habere *Prægrandes*, non *Prægnantes.*

21 *Hyas*] Quinque Stellæ, quæ visuntur in fronte Tauri, *Hyades* Græcis, 'succulæ' Latinis dicuntur. Sic dictas volunt Theon et Hero Mechanicus, quod Y figuram obtinent; potius fortassis, quod pluviarum effectrices. Thales Milesius duas Hyades dixit, Borealem et Australem. Euripides tres, Achæus quatuor, Hippias et Pherecydes septem.

22 *Pleias*] *Pleias*, seu *Pleiades* Græcis, 'Vergiliæ' Latinis, sunt sex vel potius septem Stellæ quæ in latere Tauri conspiciuntur, quarum ortus tempestates maximas facit.

23 *Cuneos*] Cunei hic sunt theatri graduum, ubi sedent spectatores, ordines, qui diriguntur in intervallis duarum linearum a centro ad circumferentiam cunei modo ductarum (centrum hic pro Orchestræ medio puncto sumitur), spectantur autem a summa gradatione ad imam. Inter cuneos fiebant itinera. Eodem sensu Juvenalis accepit Sat. VI. 'Cuneis an habent Spectacula totis, Quod securus ames.' Alias cuneus dicitur, quo lignum finditur, et ordo in exercitu. *Latinos*] Romanos.

Ducat nubila Jupiter per orbem,
Et lætis pluvias minetur agris,
Dum nostri Jovis hi ferantur imbres.
Ecce autem caveas subit per omnes,
Insignis specie, decora cultu
Plebes altera, non minor sedente.
Hi panaria, candidasque mappas
Subvectant, epulasque lautiores;
Illi marcida vina largiuntur:
Idæos totidem putes ministros.
Orbem, qua melior severiorque est,
Et gentes alis insimul togatas;
Et cum tot populos beata pascas,
Hunc, Annona, diem superba nescis.
I nunc sæcula compara, Vetustas,

orbem, et minetur imbres spatiosis campis, dum hæ pluviæ nostri Jovis cadant. Ecce vero alia turba præstanti forma ac cultu, non minor numero ea quæ sedebat, intrat per cunctas caveas. Hi gestant canistra, albasque mappas, et delicatiores cibos. Illi præbent marcida vina. Crederes totidem famulos Idæos. O annona, quæ nutris orbem terrarum, sive in aliqua parte solum sit fœcundum, sive infertile, et quæ alis pariter populos togatos: cum beata pascas tot nationes, non sentis superba hujusce diei sumtum profusum. I nunc, antiquitas, confer ætatem prisci

tem, debetur Marklando,—26 *Et latis* Venet. 1. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Et lætis* Morel. et Markl.—33 *Illi Massica* conj. Markl. at

NOTÆ

27 *Nostri Jovis*] Domitiani, qui se Deum vocari volebat. *Imbres*] Missilium scilicet, ut supra.

28 *Caveas*] Triplex in spectaculis cavea, summa, media, et infima, ut notant qui de Circo et Theatro scripserunt: nec theatri tantum cavea dicitur, sed Circi, et Amphitheatri.

33 *Marcida*] Ab effectu quod marcidos seu ebrios efficiant, ut 'mors pallida,' quod mortuos pallidos reddit. Quidam *Massica* legunt. Massicum autem vinum totius Italiæ generosissimum: nascitur in Massicis montibus Campaniæ. Plinius lib. III. cap. 5.

34 *Idæos ministros*] Ministros, *οἰνοχόους, pocillatores,* qualis Ganymedes Phrygius, quem Jupiter rapuit in Ida monte Phrygiæ, ut sibi pocula administraret.

35 *Orbem, &c.*] Apostrophe ad Annonam.

38 *Annona*] Annona, ubertas, *εὐφορία, εὐπορία.*

Hunc diem superba nescis] Domitius: Non sentis jacturam ullam hujusce diei, nec propterea penuriam tui afferes. Domitiani autem laus est; qui, ut scribit Suetonius, vitium curam remitti jussit, ut major esset annonæ fertilitas.

Antiqui Jovis, aureumque tempus:
Non sic libera vina tunc fluebant,
Nec tantum seges occupabat annum.
Una vescimur omnis ordo mensa,
Parvi, Fœmina, Plebs, Eques, Senatus.
Libertas reverentiam remisit.
Et tu quin etiam (quis hoc rogare,
Quis promittere posset hoc Deorum?)
Nobiscum socias dapes inisti.
Jam se (quisquis is est) inops, beatus
Convivam ducis esse gloriatur.

Jovis, aureumque sæculum: vina non tunc fluebant tanta abundantia, nec fruges sic præveniebant lentum annum. Omnes ordines pascuntur una mensa; pueri, mulieres, plebs, equites, patres: libertas remisit reverentiam. Quin etiam tu (quis possit hoc rogare, quis Deorum possit hoc polliceri?) edisti nobiscum communes cibos. Nunc quisquis sit, sive dives, sive pauper, gloriatur se esse convivam Impe-

marcida habent omnes edd.—42 *Nec tardum* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Nec tantum* ex conjectura edidit Markl.—43 *Una nascimur* Venet. 1. unde Marklandus *vescimur;* nam ceteræ edd. exhibent *vescitur.*—45 *Libertus* vet. Lindenbrogii.—46 Venett. Parm. et Rom. *hoc vocare;* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *huc vocare;* Scal. ex Sen. *hoc rogare*, quod primus recepit Markl.—47 Omnes edd. *possit;* mutavit

NOTÆ

39 *I nunc sæcula compara, Vetustas*] Epiphonema ironicum in aurei sæculi laudatores, et suorum temporum obtrectatores.

40 *Antiqui Jovis*] Saturni. *Aureumque tempus*] Innuit aureum sæculum, Saturno regnante, et id postponit Saturnalibus Domitiani.

41 *Tunc*] Tempore scilicet aurei sæculi.

43 *Una vescimur omnis ordo mensa*] Suetonius Domitiano cap. 4. 'Congiarium populo nummorum trecenorum ter dedit: atque inter spectacula muneris largissimum epulum. Septimontiali sacro, quidem senatui equitique panariis, plebei sportellis cum opsonio distributis, initium vescendi primus fecit.' Noster Eucharistico ad Domitianum: 'Hic cum Romuleos proceres trabeataque Cæsar Agmina, mille simul jussit discumbere mensis.' Martialis ad Domitianum: 'Vescitur omnis eques tecum populusque patresque, Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.'

45 *Libertas reverentiam remisit*] Nam in Saturnalibus omnium jus exæquabatur, et servi cum dominis discumbebant. Plinius lib. II. Ep. 6. 'Ceteris rebus exæquat, quos cœna et mensa æquavit.'

46 *Quis hoc rogare*] Nota enim formula, 'rogat te:' vel 'rogat, ut secum cœnes.'

50 *Convivam ducis esse gloriatur*] Summus enim erat honor admitti ad mensam principis. 'Mensæ regalis honorem' vocat Ammianus, et princi-

Hos inter fremitus, novosque luxus,
Spectandi levis effugit voluptas.
Stat sexus rudis, insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim, ferumve Phasin,
Thermodontiacas calere turmas.
Hic audax subit ordo pumilonum,
Quos Natura brevi statu peractos

peratoris. Inter hos strepitus, et novos luxus, oblectatio spectaculorum leviter effluxit. Stat sexus imperitus et ignarus tractandorum armorum, et audax exercet certamina hominum. Putares alas Thermodontiacas furere ad Tanaim et ad barbarum Phasin. Hic subit audax cohors nanorum, quos statim absolutos illiberalis

Marklandus.—51 Lipsius Saturn. Serm. II. 4. h. l. citans omittit versum proxime sequentem. Marklandus credit eum non esse Statianum vel certe non hujus loci. Lipsius legit *lusus* pro *luxus*, improbante Markl.—54 *Et pugnas cupit* edidit Lindenbrogius; *capit* exhibent edd. vett.—55 Venet. 1. Rom. Parm. Aldd. Colin. Gryph. &c. *ferumque;* Marklandus in curis secundis *ferumve*, quod soli edd. Bipontini in textum receperunt: *ferumque* iterum revocavit Handius.—56 Alii codd. *turbas*, quod damnat Barthius. Nostram lect. Statio asseruerunt Janus Gulielmius ad Pseudolum Plautinam, et Justus Sinzerlingus, seu Jodocus Sincerus, Promuls. cap. 18.—57 *His* Bern. improbante Markl.—58. 59 *Quos Natura brevis* Venett. Parm. Rom. et Gronov. *peracta* vero in iisdem pro *peracto*, quod habent edd. ceteræ omnes; *statu peracto* edidit Lindenbrog. *peractos* debetur Barthio. Marklandus in

NOTÆ

pis epulæ 'divinæ' vocantur lege 7. Cod. de Com. et Trib. Schol. Unde sic gloriatur noster Eucharistico ad Domitianum: 'Ast ego cui sacræ Cæsar nova gaudia cœnæ Nunc primum dominaque dedit consurgere mensa.' Et Claudianus invehitur in Eutropium lib. II. quod ejus statuis subscriptum erat: 'Conviva et domini.' Quod erat summæ impudentiæ.

53 *Stat sexus rudis, &c.*] Suetonius Domitiano: 'Venationes, gladiatoresque et noctibus ad lychnuchos, nec virorum modo, sed fœminarum.' Tacitus lib. XV. de Nerone: 'Fœminarum, senatorumque plures illustrium per arenam fœdati sunt.' Mansit hic mos ad Severi tempora, quibus, teste Herodiano, Senatusconsulto vetitum est: 'Non ultra fœminam ullam ad gladium depugnare.' *Stat* vero, verbum militare et forense.

55 *Tanaim*] Tanais fluvius Sarmatiæ in paludem Mæotin influens. Vide Theb. XII. 578. *Phasin*] Phasis fluvius Colchidos in pontum Euxinum influens. Vide Theb. V. 458. *Ferus* dicitur, ob feros mores Colchorum.

56 *Thermodontiacas*] Id est, Amazonias, ab Amazonibus sedes habentibus ad Thermodontem fluvium Themysciræ. Vide Achill. lib. I.

57 *Subit ordo pumilonum*] Xiphilinus Domitiano: 'Pugnas etiam noctu exhibuit sæpe, et interdum nanos et fœminas inter se commisit.'

58 *Quos Natura brevi statu* [*brevis statim*] *peractos Nodosum semel in glo-*

Nodosum semel in globum ligavit.
Edunt vulnera, conseruntque dextras,
Et mortem sibi (qua manu!) minantur.
Ridet Mars pater, et cruenta Virtus:
Casuræque vagis grues rapinis,

natura constriuxit semel in nodosum globum. Faciunt plagas, et miscent manus, et intentant sibi (qua dextra?) letum. Mars pater ridet, et bellicosa Virtus; et

curis secundis excogitavit: *Quos N. breves s. per artus Nodoso similes globo ligavit.* Pro *semel* Livineius ad Propert. IV. 9. legit *simul*, quem secutus est nemo.—60 Pro *conserunt* Venet. 1. habet *fonferunt*.—61 Vet. Liudenbrogii *quam;* edd. vett. *minentur;* Gronov. Obss. 38. et in ed. sua, *minantur*, ut

NOTÆ

bum ligavit] *Brevis natura* est haud larga, haud longius indulgens. *Brevis*, quos breves facit. *Statim peractos*, cito consummatos in tantum in quantum natura ipsis indultura erat. Natura maligna nanos *statim peractos*, et ultra formare desinens, *semel in globum nodosum ligasse* dicitur ineffabili prorsus elegantia, et doctissime, seu totum corpus esset globus ex meris articulis, nunquam posthac nisi morte solvendis, constans et cohærens. Propertius lib. IV. 'Nanus et ipse suos breviter curvatus in artus.' Hoc etiam nefaria arte mangonum fiebat. Dionysius Longinus περὶ Ὕψους: 'Sicut audio catastas, in quibus Pygmæi, vocati nani, educantur, hæ non solum impediunt quominus membra inclusorum crescant ac augeantur, sed contrahunt corpora propter circumjectum corporibus nodum.'

62 *Ridet Mars pater, et cruenta Virtus*] Sic Theb. v. de Lemniis armatis: 'Audaces rubuit mirata catervas Pallas, et adverso risit Gradivus in Hæmo.' *Cruentam* vero *Virtutem* dicit; quia in bello, ubi funditur sanguis, maxime enitet virtus.

63 *Grues*] Hoc dicit, quia Grues habere dicuntur æternum bellum cum Pygmæis, eosque vincere. Mirantur igitur hic grues ferociam Pumilonum. An vero Pygmæi sint, et alicubi existant, et an veri homines sint, merito dubitatur. Videntur tamen affirmare auctores gravissimi, Aristoteles, Plutarchus, Ctesias, Plinius, quibus astipulantur omnes Septemtrionalium rerum scriptores. Hos in extremis Scythiæ Septemtrionalis partibus collocant Geographi. Ostendit hoc clare Geographia Arabica, parte 10. climatis 5. Ita Paulus Jovius in libro de Moscovitarum legatione. De iis vide quoque Olaum Magnum, qui eos *Screlingers*, hoc est, cubitales appellat. Ac proinde, ut non facile negandum est, ea aliquando visa monstra, ita non facile affirmandum, eos veros homines esse; cum in hunc diem metallorum fossoribus, hujusmodi monstrorum genus in profundioribus terræ locis, (dæmunculos montanos passim vocant,) apparere soleat, ut refert Georgius Agricola lib. ultimo de Animalibus Subterraneis; cui consentiunt quotquot in visceribus terræ auro scrutando operam dant. Atque hinc dicti Pygmæi fortasse sunt, qui homunculorum specie in caliginosis hujusmodi locis apparentes, fabulæ de Pygmæis cubitalibus, gruum adversariis, occasio-

Mirantur pumilos ferociores.
Jam noctis propioribus sub umbris
Dives sparsio quos agit tumultus!
Huc intrant faciles emi puellæ:
Hic agnoscitur omne, quod theatris
Aut forma placet, aut probatur arte.
Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes,
Illo cymbala, tinnulæque Gades:
Illic agmina confremunt Syrorum,

grues lapsuræ ad varias direptiones, stupent nanos fortiores solito. Nunc, die advesperascente, opulenta missilia quos edunt strepitus? Huc subeunt puellæ, quæ facile emuntur: hic omne spectatur, quod in theatris aut venustate arridet, aut arte laudatur. In hoc agmine Lydiæ obesæ saltant. Illic cymbala et tinnulæ Gadi-

correxit Gevartius.—66 *Dives spassio* Parm. *spasio* Rom. et vet. Lindenbrogii. —67 *Hic intrat* mallet Markl. *Hemi puellæ* Rom. et ed. vet. Lindenbrogii. Vide Justinian. Imp. Novell. cv. 1.—70 *Ludiæ* Scal. ad Catull. xxx. probante Barthio. *Lydias* defendit Turnebus xv. 17.—71 *Illic* omnes codd. et

NOTÆ

nem præbuerint. Atque hoc non improbabile esse, is facile sentiet, qui ea, quæ de dæmonum spectris in Septemtrionalibus regionibus passim apparere solitis, Olaus Magnus, Jornandes, et Marcus Venetus de deserto Lop in Cathaio tradunt, diligenter examinaverit.

66 *Dives sparsio*] Et hoc, ex munificentia imperatorum, qui solebant, diebus festis, diversas res, quæ 'missilia' appellabantur, spargere in populum, quæ occupantis essent, unde hæc *sparsio*, 'rapina et direptio' vocabatur. *Dives* vero ob multiplicitatem et varietatem rerum sparsarum. Meminit et Suetonius Domitiano cap. 4. 'Omne genus rerum missilia sparsit.' Interdum non solum res mittebant, sed tesseras, quibus aliquid inscriptum erat. Vide Xiphilinum Nerone.

67 *Faciles emi*] Tangit detestandam consuetudinem, qua meretrices post ludos finitos omnium libidini ac licentiæ prostituebantur. Vide Tertull. de Spectaculis.

70 *Lydiæ tumentes*] Scaliger legit *ludias*. Ludius proprie Græcis ὀρχεστής, *saltator* Latinis. Sed nihil mutandum; nam et Lydias obesas et tumentes fuisse docet Juvenalis Sat. VIII. 'Turgida nil prodest condita pyxide Lyde.' *Lydiæ* autem ex Lydia regione Asiæ minoris. Vide Theb. VI. 540.

71 *Tinnulæque Gades*] Intelligit puellas Gaditanas saltatrices et crotalistrias. Dicuntur *tinnulæ* ob testulas et ossicula, quibus inter saltandum crepitum excitabant: quæ testulæ dicuntur Martiali 'crousmata,' 'scabilli' etiam, Gallice, *Castagnettes*. Juvenalis Sat. XI. 'Forsitan expectes, ut Gaditana sonoro Incipiat prurire choro.' Gades autem duæ insulæ in freto Gaditano in ipso capite Bæticæ. Vide Plinium lib. IV. cap. 22. Hodie, *Cadiz*.

72 *Syrorum*] Syri semper ludis dediti. Vide Strabonem et Stephanum.

Hic plebs scenica, quique comminutis
Permutant vitreis gregale sulfur.
Inter quæ subito cadunt volatu
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas udo Numidæ legunt sub Austro.
Desunt qui rapiant; sinusque pleni

tanæ: illic greges Syrorum personant: hic vulgus theatrale, et illud quod permutat vile sulfur fractis vitreis. Inter quæ, immensa multitudo avium cadit repentino volatu, quas sacer Nilus, et dirus Phasis, quas Numidæ capiunt sub udo austro.

edd. vett. *Illo* correxit Markl.—74 *Permutat* Aldd. Colin. Gryph. &c. *Permutant* Venet. 1. et Parm. quod, jubente Marklando, primi reposuerunt

NOTÆ

Capitolinus Vero: 'Adduxerat secum et fiducinas, et tibicines, et histriones, et omnia mancipiorum genera, quorum Syria et Alexandria pascitur voluptate.' Juvenalis Sat. III. 'Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas Obliquas, nec non gentilia tympana secum Vexit.' Syri vero, ex Syria regione Asiæ, quæ Plinio quondam terrarum maxima dicitur et pluribus distincta nominibus: nam Palæstinam comprehendit, Judæam, et Cœlesyriam, Phœniciamque; et qua recedit intus, Damascenam, Babyloniam, Mesopotamiam, Sophenen, Comagenen, Adiabenem. Assyria ante dicta et ubi Ciliciam attingit, Antiochia. Sed non tam late patet Syria; constatque veteres, tam Græcos quam Latinos, Syros et Assyrios, Syriam et Assyriam confudisse, unamque solam ex iis duabus et Chaldæa fecisse.

73 *Quique comminutis Permutant vitreis gregale sulfur*] Innuit infimam plebeculam, in qua multi vitam tolerabant permutatione mercis sulfuratæ, cum rupto vitro: signate exules Judæi Romæ mendicantes. Vide Martialis: 'Qui pallentia sulfurata fractis Permutat vitreis.' Idem: 'A matre doctus nec rogare Judæus, Nec sulfuratæ lippus institor mercis.' *Vitrea fracta* proverbiali figura sunt res viles et nullius pretii.

76 *Immensæ volucrum nubes*] Aves enim inter missilia, quæ spargebantur in populum.

77 *Nilus sacer*] Nilus fluvius Ægypti. *Sacer*] Quia divinis honoribus cultus apud Ægyptios, ut docent Diodorus Siculus, et Heliodorus lib. VII. unde festa in hujus honorem Νειλῷα vocata. *Horridusque Phasis*] Designat Phasianos. De Phasi supra. Dicitur *horridus* ob feritatem Colchorum.

78 *Numidæ*] Africæ populi. *Legunt*] Gallinas Numidicas intelligit, quæ Plinio sunt Meleagrides. Columella alias existimat et Varro, crista scilicet cœrulea: cum Numidicæ rubram habeant, guttis distinguuntur. Martialis 'Numidicas guttatas' vocat. Juvenalis 'aves Afras.'

79 *Desunt qui rapiant, &c.*] Dicit tantam esse missilium copiam, ut desint qui rapiant, et sinus jam pleni gaudent, quod supersint adhuc alia, quæ rapiantur.

Gaudent, dum nova lucra comparantur.
Tollunt innumeras ad astra voces,
Saturnalia Principis sonantes;
Et dulci Dominum favore clamant:
Hoc solum vetuit licere Cæsar.
Vixdum cœrula nox subibat orbem,
Descendit media nitens arena
Densas flammeus orbis inter umbras,
Vincens Gnosiacæ facem coronæ.
Collucet polus ignibus, nihilque
Obscuræ patitur licere nocti.
Fugit pigra Quies; inersque Somnus

Qui capiant deficiunt, et referti sinus lætantur, dum nova lucra offeruntur. Mittunt ad sidera innumeras voces, clamantes Saturnalia Imperatoris, et vocant illum dominum blando applausu. Hoc solum Cæsar noluit permitti. Vixdum atra nox occupabat orbem, fulgidus globus ignis descendit inter opacas tenebras in mediam arenam, superans lucem coronæ Gnossiacæ. Cœlum resplendet flammis, et nihil permittit licere densæ nocti. Pigra quies emigrat, et deses somnus, hæc videns,

editores Bipontini.—80 *Laudant dum* ed. vet. Lindenbrogii. *temperantur* Venet. 1.—90 Parm. *nocere* pro *licere*.—92 Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c.

NOTÆ

82 *Saturnalia principis sonantes*] Et hoc ex more. Livius lib. XXIII. 'Ac per urbem Saturnalia die ac nocte clamatum.' Macrobius: 'Quo solo die apud ædem Saturni, convivio soluto, Saturnalia clamabantur.' Martialis lib. II. Ep. 'Clamant ecce mei Io Saturnalia versus.' Sed hic *Saturnalia principis* dicit, quo significet, 'Saturnalia Imperatoris' omnia alia Saturnalia superasse.

83 *Et dulci Dominum favore clamant: Hoc solum vetuit licere Cæsar*] Innuit hic Poëta Domitianum, etsi se dominum dici palam vellet et Deum etiam, habuisse tamen rationem Saturnaliorum, in quibus omnes pares et æquales erant, nec servi erant nec domini, et ideo vetuisse ne 'dominus' hic appellaretur. Et bene 'licere,' quia bis diebus summa verborum libertas erat.

87 *Flammeus orbis Vincens Gnossiacæ facem coronæ*] Supra vidimus ex Suetonio Domitianum dedisse spectacula et gladiatores ad lychnuchos. Per *coronam* autem *Gnossiacam* intelligit Ariadnæ coronam, quam inter sidera Bacchus dicitur retulisse. *Gnossiacam* vero seu Cretensem a Gnosso oppido Cretæ, regia Minois, patris Ariadnes.

88 *Facem*] Lucidam stellam innuit, quæ est, qua parte corona est solubilis, et est numero prima. Eam Arabes *Alphecca* vocant; id solutionem significat: dicitur et *Munir*, quod omnibus stellis lucidis commune est nomen.

Hæc cernens, alias abit in urbes.
Quis spectacula, quis jocos licentes,
Quis convivia, quis dapes inemtas,
Largi flumina quis canat Lyæi?
Jamjam deficio, tuoque Baccho
In serum trahor ebrius soporem.
Quos ibit procul hic dies per annos!
Quam nullo sacer exolescet ævo!
Dum montes Latii, paterque Tybris,
Dum stabit tua Roma, dumque terris
Quod reddis, Capitolium manebit.

petiit alias civitates. Quis poterit referre spectacula, quis lascivientes ludos, quis epulas, quis cibos gratis datos, quis rivos copiosi vini? Jamjam fatisco, et marcidus tuo Baccho, trahor in tardum somnum. Per quanta sæcula hic dies memorabitur! certe immortalis, nullis annis oblivioni tradetur! Manebit, dum erunt montes Romani, et pater Tiberis, dum tua Roma stabit, et dum durabit in terris Capitolium, quod restaurus.

alias adivit urbes; Venet. 1. et Parm. *alias abit in urbes;* quod verissimum putat Marklandus, et mutatum ab aliquo qui metro timebat. Hinc receptum est ab editoribus Bipontinis.—96 ' Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. v. 150. ex Parmensi vult, *Jamjam deficior*. Recte quidem dicimus ' deficior viribus,' vel ' animo,' vel ' pecunia.' Sed adhuc quæro exemplum ubi τὸ *deficior*, sine ablativo, ponitur pro *deficio;* quæ enim ibi attulit Heinsius non probant hoc. Noster Epiced. Puer. 42. ' Deficio, medicasque manus fomentaque quæro.' Non igitur muto. Vide Marq. Gudium ad Phædr. I. 21.' *Markl.*

NOTÆ

95 *Lyæi*] Bacchi, seu vini.

96 *Baccho*] Vino.

100 *Dum montes Latii*] Romani seu Romæ. *Paterque Tybris, Dum stabit tua Roma*] Sic equo Domitiani: ' Stabit dum terra, polique, Dum Romana dies.' Ad opinionem scilicet veterum, qui urbem Romam fore æternam credebant: unde dicta ' æterna urbs.'

102 *Quod reddis, Capitolium*] Domitianus enim refecit Capitolium, quod tempore Titi rursus arserat, ut scribit Suetonius.

P. PAPINII STATII

SYLVARUM

LIBER II.

AD MELIOREM† ATEDIUM.[1]

Et familiaritas nostra, qua gaudeo, Melior vir optime, nec minus in judicio literarum, quam in omni vitæ colore[a] tersissime,[b] et ipsa opusculorum, quæ tibi trado, conditio sic posita est, ut totus hic alter liber meus etiam sine epistola expectetur.[c] Primum enim habet Glauciam[d] nostrum, cujus gratissimam infantiam, et qualem[e] plerumque infelices sortiuntur, apud te complexus amabam.[2] Jam vero

1 *Statius Meliori suo S.* Barth. et Gronov. ex codd. *Ad Meliorem Atedium* Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Till. Cruc. &c.—2 'Prosam non sapit hoc: nec sensui satisfacit. Lege: *apud te complexus admirabar:* scriptum erat *ammirabar;* quod non intelligentes fecerunt *amabam.*' Markl.

NOTÆ

† *Meliorem*] Melior cognomentum Atedii.

[a] *Colore*] Habitu. Dicunt Græci χρῶμα. Sumsit ab Horatio II. Sat. 1. 'Quisquis erit vitæ, scribam, color.'

[b] *Tersissime*] De hoc Meliore discimus ex Statio, Arbore Atedii, ac Martiali lib. IV. Ep. 54. adeo splendidæ ac elegantis vitæ fuisse, ut peculiari nomine ab utroque 'nitidus' vocaretur. Quod hic per illud *tersissime* adumbratum est, tractum a 'tergo' quod est, mundo; unde et 'tersum' nitidum appellamus et politum.

[c] *Expectetur*] Debeat a te expectari.

[d] *Glauciam*] Id est, Epicedium seu carmen de morte Glauciæ.

[e] *Qualem*] Id est, jucundissimam, qualis esse solet in pueris cito morituris. Quintilianus de filio mortuo: 'Observatum facile est, occidere celerius festinatam maturitatem,' et Martialis de eodem Glaucia: 'Immodicis brevis est ætas et rara senectus.'

tibi hujus amissi recens vulnus (ut scis) Epicedio[3] [f] prosecutus sum, adeo festinanter, ut excusandam habuerim affectibus tuis celeritatem: nec nunc eam apud te jacto, qui nosti:[g] sed et ceteris indico; ne quis asperiore lima carmen examinet, et a confuso[h] scriptum, et dolenti datum; cum pæne supervacua sint tarda solatia.[i] Pollii mei Villa Surrentina, quæ sequitur, debuit a me vel in honorem eloquentiæ ejus diligentius dici: sed amicus ignovit. In Arborem certe tuam, Melior, et Psittacum, scis a me leves libellos[j] quasi epigrammatis loco scriptos. Eaudem exigebat styli facilitatem Leo mansuetus, quem in Amphitheatro prostratum, frigidum erat sacratissimo Imperatori ni statim traderem. Ad[4] Ursum quoque nostrum, juvenem candidissimum,[k] et sine jactura desidiæ[l] doctissimum, scriptam de puero amisso Consolationem, super ea, quæ ipsi debeo, huic libro libenter[5] inserui, quia honorem ejus[6] tibi laturus acceptum.[7] [m] Excludit[n] volumen Genethliacon[o] Lucani,[p] quod Polla Argentaria,[q] clarissima uxorum,[8] [r]



Huic lectioni favet Venet. 1. quæ habet *amabare*.—3 *Epicædio* edd. vett.—4 Barthius legit: *nisi statim; tradere ad*, &c.—5 Vocem *libenter* non agnoscunt edd. vett. ideo deleri jubet Marklandus. Parm. *super ea quæ ipsi de hoc libro huic inserui, quia*, &c.—6 Barthius legendum putavit: *quippe supra ejus*, &c.—7 'Excidit verbum substantivum. Repone: *tibi laturus est acceptum*. Scriptum erat: *tibi laturus ē acceptum*, unde facile excidere potuit *est*.' Markl.—8 Venett. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. &c. *carissima uxorum;* Venet. 1. *carissima uxor*, i. e. *uxorī*, vel *uxorum;* Rom. et Parm. *clarissima uxorum*, quod probant

NOTÆ

[f] *Epicedio*] Epicedion, carmen est in laudem defuncti, et quo ejus mors defietur.

[g] *Qui nosti*] Qui scis, quam celeriter scripserim.

[h] *A confuso*] Nimio dolore turbato. Juvenalis Sat. VI. 'Discessu veteris confusus amici.'

[i] *Tarda solatia*] Seræ consolationes.

[j] *Libellos*] Sic semper vocat hæc opuscula Papinius.

[k] *Candidissimum*] Id est, sine labe vitiorum et invidiæ.

[l] *Sine jactura desidiæ*] Id est, otii; nam semper in otio aliquid agit.

[m] *Quia honorem ejus tibi laturus acceptum*] Putabit Ursus se abs te accepisse, quod ad eum scripserim, cum videbit consolationem insertam libro ad te misso.

[n] *Excludit*] Absolvit. *Volumen*] Librum hunc secundum.

[o] *Genethliacon*] Carmen, quo natalis alicujus dies celebratur.

[p] *Lucani*] Poëtæ notissimi Pharsalia.

[q] *Polla Argentaria*] Uxor Lucani.

[r] *Clarissima uxorum*] Id est, exemplum conjugis, etiam defunctum maritum diligentis et honorantis.

cum hunc diem[s] forte consecraremus,[9] imputari sibi[t] voluit. Ego non potui majorem tanti auctoris habere reverentiam, quam quod laudes ejus dicturus hexametros meos[10] timui. Hæc qualiacumque sunt, Melior carissime, si tibi non displicuerint, a te publicum[11] accipiant;[u] sin minus,[v] ad me revertantur.

Barth. et Markl.—9 Parm. *forte consideremus;* Rom. et ed. vet. Lindenbrogii, *forte consideraremus.*—10 Barthius mallet, *hexametris meis.*—11 'Ita habent edd. quotquot apud nos sunt. In aliis fuisse elegantiorem scripturam: *a te lucem aspiciant*, ostendit J. Passeratius, qui ita producit ad Propertium suum lib. III. El. 9. p. 462.' *Barth.*

NOTÆ

[s] *Hunc diem*] Natalem Lucani.

[t] *Imputari sibi*] In gratiam ejus scribi.

[u] *A te publicum accipiant*] Id est, edantur.

[v] *Sin minus*] At si displicuerint.

I. GLAUCIAS† ATEDII‡ MELIORIS DELICATUS.

Atedius Melior puerum, quem in deliciis habuit, immatura morte amiserat; eum hoc epicedio consolatur.

Quod tibi prærepti, Melior, solamen alumni,
Improbus ante rogos, et adhuc vivente favilla
Ordiar? abruptis etiamnum flebile venis
Vulnus hiat, magnæque patet via lubrica plagæ.

Quod solatium extincti alumni immatura morte, tibi, o Melior, componam, importunus ante bustum, et cineribus adhuc calidis? Lamentabilis plaga dehiscit adhuc abscissis venis, et cruentum os magni vulneris apertum est. Cum jam ego molestus

Epicœdion in Glauciam Melioris, vel *Epicedion in Grauciam* edd. vett. *Epicedium Glauciæ Melioris* Parm. *Glaucius Atedii Melioris dedicatus* Rhod. *Glaucias Atedii Melioris delicatus* Salisb. quod primus reposuit Gronovius.—3 'Non placet, quod nonnemini arridebat, *a ruptis:* non mutatione opus.' *Barth.*—5

NOTÆ

† *Glaucias*] Legenda et duo Epigrammata Martialis de eodem argumento, quia huic Epicedio concinunt ac lucem præferunt. Hæc sunt Epig. 28. et 29. lib. VI.

‡ *Atedii*] Ceterum de gente Atedia nihil memini me legisse memoria dignum.

1 *Melior*] Cognomen Atedii. *Alumni*] Glauciæ liberti.

2 *Improbus*] Improbus hic, pro 'importuno,' 'molesto,' ἀκαίρῳ· pro 'nimio' etiam et 'audaci' sumitur. Non enim hæc vox, *improbus*, semper in malam partem sumitur, præsertim Papinio.

Cum jam egomet cantus, et verba medentia sævis
Confero, tu planctus, lamentaque fortia mavis,
Odistique chelyn, surdaque averteris aure.
Intempesta cano: citius me tigris abactis
Fœtibus, orbatique velint audire leones.
Nec si tergeminum Sicula de virgine carmen

apporto carmina, et sermones consolatorios, tu mavis lacrymas, et altos ejulatus, ac aversaris citharam, et detorques surdam aurem. Cano intempestive. Tigris, raptis catulis, et leones, amisso fœtu, me potius audirent. Nec si adesset cantus trium

Venett. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. *sævus.* 'Quomodo *sævus*, qui humanitatis officio fungitur in consolandis amicis, qui *verba medentia* administrat? Lege: *verba medentia sævis, τοῖς δεινοῖς.' Markl.*—6 *Consero* Rom. Venett. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Plant. &c. *Confero* ex conjectura Gronovii Diatr. cap. 32. non nominato auctore, reposuit Marklandus, et ita totidem literis Venet. 1. 'Nescio sane an prudenter scripturam Statii mutaverit Marklandus, quam sic castigem: *Cum . . . lævus Consero, &c.* Nec tamen inficias iverim rectiorem videri dictionem *Confero*, quam reposuit V. D. modestus, et ingeniosus inter primos.' Ita scribit Wakefieldus in Sylv. Crit. Part. v. p. 108.—7 *Odistique chelym* edd. vett.—9 'Legendum videtur: *orbatæque velint audire leænæ*, nempe catulis orbatæ, absolute, ut ap. Val. Flac. VIII. 457. 'orbatæ traherent suspiria vaccæ.' Appositissime Ovidius Met. XIII. 547. 'Utque furit catulo lactente orbata leæna.' Non tamen in contextum audeo admittere hanc lectionem propter ea quæ annotavit Cl. Bur-

NOTÆ

5 *Sævis* [*sævus*] Immitis, qui non indulgeo dolori tuo.

6 *Lamentaque fortia*] Statius afflictiones corporis in luctu vocat, *fortia lamenta*, ut cum tunditur pectus, genæ vultusque dilacerantur, ac rumpuntur crines.

7 *Chelyn*] Id est, carmina, versus.

8 *Intempesta cano*] Plinius lib. v. Ep. 14. 'Ut enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit; sic recens animi dolor consolationes rejicit, ac refugit, mox desiderat, et clementer admotis acquiescit.' *Tigris abactis Fœtibus*] Tigris enim, raptis catulis, truculentissima est, ac maxime timenda. Vide quæ diximus Theb. IV. Intellige autem de fœmina: maribus enim non est cura sobolis. Plinius lib. VIII. cap. 18.

9 *Leones*] His enim multus amor in sobolem: Plinius lib. VIII. cap. 16. 'Cum pro catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat.'

10 *Tergeminum carmen*] Quia Sirenes erant tres. *Sicula de virgine*] Sirenes intelligit, monstra marina Poëtarum fabulis celebrata. Superiori sui parte effigiem virginis referebant, inferiore vero in pisces desinebant. Incolebant littus Siciliæ, unde hic *Siculæ* dicuntur *virgines*, nautasque prænavigantes suavitate cantus in naufragium pelliciebant. Cum autem Ulyssi illa prætervehendum esset, ipse aures comitum cera obturavit, seipsum vero malo alligari fecit: eoque modo et periculum evasit tutus, et cantus dulcedine fruitus est. Itaque Sirenes, cum se contemni vi-

Affluat, aut sylvis chelys intellecta, ferisque,
Mulceat insanos gemitus: stat pectore demens
Luctus, et admoto latrant præcordia tactu.
Nemo vetat, satiare malis; ægrumque dolorem
Libertate doma: jam flendi expleta voluptas?
Jamne preces fessus non indignaris amicas?
Jamne canam? lacrymis en et mea carmina in ipso
Ore natant, tristesque cadunt in verba lituræ.
Ipse etenim tecum nigræ solennia pompæ,
Spectatumque urbi scelus, et puerile feretrum
Produxi: et sævos damnati thuris acervos,
Plorantemque animam supra sua funera vidi:

puellarum Sicularum, aut lyra intellecta nemoribus et bestiis, posset lenire tuos ingentes gemitus. Insanus dolor fixus est in pectore, et cor sentitur concuti admota manu. Nullus prohibet. Saturare doloribus, et subige ægrum luctum licentia plorandi. Nunc voluptas flendi exsatiata est? Nuncne fatigatus, non aspernaris preces amicorum? Nuncne canam? En et mei versus natant copia lacrymarum in ipso ore, et illæ cadentes delent mea scripta. Ipse etenim prosecutus sum tecum solennia funebris pompæ, et pueri capulum, conspectum urbi crimen, et aspexi ingentes cumulos thuris addicti flammis, et flentem animam supra proprias exequias.



mannus ad Val. Flac. VI. 347.' *Markl.*—13 Heins. ad Ovid. Trist. II. 459. pro *latrant* mavult *latrans.* Sed cf. Theb. II. 337. *lucrant* Venet. 1. unde Markl. conj. *lacerant*, scil. luctus.—18 ' Non opus est ut legamus *madent* pro *natant;* tametsi hac phrasi sæpe utatur Statius.' *Markl.*—19 Venet. Parm. et Rom. *nigræ solatia pompæ.*—22 *Ploratamque* conjecerunt Scaligerus et Lin-

NOTÆ

derent, impatientia doloris, in mare præcipites se egerunt.

11 *Sylvis chelys intellecta, ferisque*] Intelligit lyram Orphei, quam sylvas ferasque traxisse fabulantur.

13 *Admoto latrant præcordia tactu*] In vehementi enim dolore maxime cor, ac pectus concutiuntur.

15 *Jam flendi expleta voluptas*] Convenit illud: ' Est quædam flere voluptas.' Plinius lib. VIII. Epist. 16. ' Est quædam etiam dolendi voluptas, præsertim si in amici sinu defleas.' Dolorum enim levamen luctus.

18 *Cadunt in verba lituræ*] D. Hieronymus Ep. ad Heliodorum: ' Istæ quoque literæ testes sunt, quas tu lacrymis cernis interlitas.'

20 *Spectatumque urbi scelus*] Tanquam sit crimen fatorum, ac Deorum, (sic loquebantur veteres,) hunc puerum tam immatura ac celeri morte raptum fuisse.

21 *Produxi*] *Producere*, exequiarum verbum. Sic Noster Theb. VI. ' Tibia, cui teneros suetum producere manes Lege Phrygum mœsta.' Et Virgilius Æneid. IX. ' Nec te tua funera mater Produxi, pressive oculos.' *Et sævos damnati thuris acervos*] Ex more, quo thus, et pretiosiora aromata injiciebantur rogo, ut videbimus infra.

Teque patrum gemitus superantem, et brachia matrum,
Complexumque rogos, ignemque haurire parantem
Vix tenui similis comes, offendique tenendo.
Et nunc (heu) vittis, et frontis honore soluto,
Infaustus vates, verso mea pectora tecum:
Plango lyra: en! duri comitem sociumque doloris
(Si merui, luctusque tui consortia sensi)
Jam lenis patiare precor: me fulmine in ipso

Et te vix retinui, pari dolore affectus, vincentem gemitus patrum, et planctus matrum, et amplexantem bustum, ac te accingentem ad sorbendas flammas, et offendi, cum te retraxerim. Et nunc (heu) infelix Poëta, detractis infulis, et ornatu frontis, tundo tecum meum pectus. Lugeo ad cantum lyræ. Et placidus, oro, nunc feras (si dignus sum, et veni in partem tui doloris) comitem et consortem atrocis

denbrog. *Plorantemque* exhibent omnes codd. cum Venet. 1. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. et defendunt Gevartius et Marklandus. Vide Theb. IX. 299. et XII. 56.—24 'Omnino hoc loco legendum: *Complexusque rogos, &c.* nam se complexu hominem tenuisse, totis nempe suis viribus, dicit Statius. Ita Pamphilus apud Terentium in Andria.' *Barth.*—26 'Inepte faciunt qui *frondis* citant.' *Idem.* Hæc est lectio Crucei. Vide Gronovii Elench. Antidiatr. p. 55.—27 *Infaustus vates vexo m. p. tecum* Aldd. Colin. Gryph. &c. *Infaustus vates vexans* conj. Markl. *Infaustus vates verso m. p. tecum* Parm. et Rom. unde idem Marklandus: *verso meu pectora febo*, vel *Phœbo.*—28 *Plango lyra at* Rom. et vet. Lindenbrogii, unde ille: *Plango lyra: ah! &c.* Ceteræ vett. habent, *et diri.* Marklando debetur lectio nos-

NOTÆ

22 *Plorantemque animam supra sua funera vidi*] Ad mentem Platonicorum, ut monet Gevartius, qui aiebant mollium hominum, ac præsertim puerorum animas indignari, quod invitæ de hac luce discedere cogantur, ideoque circa funera sua oberrare, et plorare. Vide Macrobium in Somnium Scipionis lib. I. cap. 9. Ploratum vero hunc animarum nihil aliud præter stridorem quendam esse existimabant. Petronius: 'Ecce inter tumulos, atque ossa carentia bustis, Umbrarum facies diro stridore minatur.' Et Theb. VII. 'Stridunt animæ, currumque sequuntur.' Et Theb. IX. 'Nuda aut flebilis umbra Stridebit vestros Tydeus inhumatus ad ignes.'

24 *Complexumque rogos, ignemque haurire parantem*] Similis locus Lacrymis Etrusci: 'Complexumque rogos, incumbentemque favillis.'

25 *Similis*] Id est, pari dolore affectus. *Offendique tenendo*] Cum enim nimio dolore nostri sumus impotes, judicamus hostes eos, qui opponunt se conatibus desperationis nostræ.

26 *Vittis, et frontis honore soluto*] Vittas enim, et omnes capitis ornatus deponebant in luctu. Vide Theb. VI. 30. Quidam legunt *frondis*, id est, laurus, quo coronantur Poëtæ.

30 *Fulmine in ipso*] Id est, in ipso stupore doloris, qui nos obruit, tanquam si fulmine percussi essemus. Noster Epicedio in filium: 'Dignumque nihil mens fulmine tanto Reppe-rit.'

Audivere patres: ego juxta busta profusis
Matribus, atque piis cecini solatia natis,
Et mihi; cum proprios gemerem defectus ad ignes
(Quem, Natura!) patrem: nec te lugere severus
Arceo, sed confer gemitus, pariterque fleamus.
Jamdudum dignos aditus, laudumque tuarum,
O merito dilecte puer, primordia quærens
Distrahor: hinc anni stantes in limine vitæ,
Hinc me forma rapit, rapit inde modestia præcox,
Et pudor, et tenero probitas maturior ævo.
O ubi purpureo suffusus sanguine candor,
Sidereique orbes, radiataque lumina cœlo,
Et castigatæ collecta modestia frontis,

luctus tui. Ipsi patres me audiverunt in ipso ictu fulminis. Ego cecini solatia matribus prostratis prope rogos, et piis liberis, mihique ipsi, cum dolore deficiens, plangerem ad domesticum bustum, meum patrem, o natura, quem patrem? Nec morosus prohibeo te flere, sed junge gemitus, et una ploremus. Jampridem quærens, o jure amate puer, quomodo digne incipiam laudes tuas, feror in diversa. Hinc ætas, quæ erat in aditu vitæ: hinc venustas tua trahit me, inde festinata modestia, pudorque ac bonitas maturior molli ætate. O ubi candor vultus, conspersus rubore roseo, et oculi fulgentes ut cœli sidera, et collectus modus castigatæ frontis,

tra.—32. &c. Hunc locum ita legi vult Barthius: *Matribus, a. p. c. s. natis, Et mihi (c. p. g. d. a. ignes) Quam Natura parum? Nec, &c.*—41 *Heu ubi* malit Marklandus; ut Theb. v. 350. 613. VIII. 174. Sylv. III. 5. Val. Flac. IV. 469. et Ovid. Fast. III. 485.—42 'An voluit: *radiataque lumina luce*, vel *sole?* hæ enim voces in codd. cum *cœlo* commutantur. Sed mihi minime placet exilitas ista in fine versus; nec enim Statium sapit. An denique: *radiataque lumina Phœbo;* quo sensu Senec. Hippol. 377. 'Et qui tenebant signa Phœbeæ facis Oculi, nihil gentile nec patrium micant.' Et, 'facies igne sidereo nitens' ibid. v. 1265. sed nec hoc perplacet. Quicquid sit *orbes* et *lumina* conjunguntur ut apud Lucan. II. 184. v. 212. et Sil. Ital. IX. 401.' *Markl.*—43 *Et*

NOTÆ

34 *Quem, Natura*] Qualem, o natura, patrem, quam mei amantem, quam mihi vicissim cultum, et amatum!

39 *Hinc me forma rapit, rapit inde modestia præcox, Et pudor, et tenero probitas maturior ævo*] Martialis Glaucia: 'Castus moribus, integer pudore, Velox ingenio, decore felix.'

42 *Cœlo*] Id est, instar cœli.

43 *Et castigatæ collecta modestia frontis*] Frons castigata, judicio Gevartii, non simpliciter brevem significat, ut hic volunt interpretes, sed talem, in qua rugæ nullæ, nullus tumor, nihil denique apparet, quod culpari possit. Sic Ovid. Amor. I. 5. 'Castigatum pectus:' 'Quam castigato planus sub pectore venter!' Et Q. Sereno 'castigatæ mamillæ:' 'Si castigatas studium est præstare mamillas, Ex hedera sertis ambas redimire memento.' Verbo *castigare* respondet κολάζειν apud Græcos.

Ingenuique super crines, mollisque decoræ
Margo comæ? blandis ubinam ora arguta querelis,
Osculaque impliciti vernos redolentia flores,
Et mixtæ risu lacrymæ, penitusque loquentis
Hyblæis vox tincta favis? cui sibila serpens
Poneret, et sævæ vellent servire novercæ.
Nil veris affingo bonis: ubi lactea colla,
Brachiaque, et nunquam domini sine pondere cervix?
O ubi venturæ spes non longinqua juventæ,
Atque genis optatus honos, jurataque multum
Barba tibi? cuncta in cineres gravis intulit hora,
Hostilisque dies: nobis meminisse relictum.

et super hunc ingenui capilli, et tener ambitus pulchræ comæ? ubinam os sonorum gratis querelis? et oscula amplexantis spirantia flores veris? et fletus risu mixti? et vox loquentis, prorsus perfusa melle Hyblæo? qua serpentes incantarentur, cuique immites novercæ vellent obedire. Nihil addo veris dotibus. Heu lacteum collum, et candidi lacerti, et cervix, quam herus semper amplectebatur! O ubinam spes non remota propinquæ juventutis, et decus optatum genis? et barba plurimum a te consecrata? Acerbum momentum, et dies infensus cogit hæc omnia in cineres: solum

castigati Rom. sc. *orbes*. Domitius interpr. 'breviores.'—48 *Hyblæis vox mixta* edd. vett. omnes. Morellus, qui superiore versu legit, *Et mixtæ*, h. l. legit *mista*. Heins. Advers. IV. 1. p. 557. *Hyblæis vox pasta favis*. Lectio nostra debetur Markl.—50 Venett. Rom. Parm. Vicent. Brix. Ald. Colin. Gryph. &c. *heu lactea colla*. 'Legend. affirmo; *ubi lactea colla*; clarum hoc ex iis quæ præcedunt et sequuntur.' *Markl.*—52 *Heu ubi venturæ* malit Markl. ut sup.

NOTÆ

47 *Et mixtæ risu lacrymæ*] Imitatus illud Homeri, Δακρυόεν γελάσασα. *Penitusque loquentis Hyblæis vox tincta favis*] Imitatur adhuc Homerum: Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. *A cujus lingua vox fluit dulcior melle.*

48 *Hyblæis*] Ab Hyble, monte Siciliæ, thymi copia salicumve, ac apibus abundante. Est et oppidum juxta ejusdem nominis, conditum a Doriensibus, ut Strabo scribit. *Cui sibila serpens Poneret*] Respexit procul dubio Poëta ad incantationem, et blandam vocem, cui tantam inesse vim volunt magi, ut etiam serpentes occidere possit.

49 *Et sævæ vellent servire novercæ*] Idem Papinius Protreptico ad Crispinum: 'Qui voce potes prævertere morsus Serpentum, atque omnes vultu placare novercas.' Notum autem odium novercarum in privignos.

50 *Nil veris affingo bonis*] Οὐ ψεύδει τέγξω λόγον, *Non irrigabo mendacio orationem.*

53 *Jurataque barba*] *Jurata*, id est, devota et consecrata. Respicit ad morem, quo non solum crinis, sed etiam barba numinibus consecrari solebat. Vide Theb. VI. 199. 'Si pariter virides nati libare dedisses Ad tua templa genas.'

Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis
Pectora? quis curas, mentisque arcana remittet?
Accensum quis bile fera, famulisque tumentem
Leniet, ardentique in se deflectet ab ira?
Inceptas quis ab ore dapes, libataque vina
Auferet, et dulci turbabit cuncta rapina?
Quis matutinos abrumpet murmure somnos
Impositus stratis, abitusque morabitur arctis
Nexibus, atque ipso revocabit ad oscula poste?
Obvius intranti rursus quis in ora, manusque,
Prosiliet, brevibusque humeros circumdabit ulnis?
Muta domus pariter desolatique penates,
Et situs in thalamis, et mœsta silentia mensis.

superest nobis recordari. Quis, ut ille, jucundus leniet tuum animum gratis sermonibus? Quis solvet solicitudines et mentis secreta? Quis te sustinebit bile inflammatum, et mulcebit iratum servis, et a flagranti ira detorquebit in se? Quis rapiet ab ore tuo semesos cibos, et vina jam degustata, et turbabit omnia grata direptione? Quis lecto incubans suo murmure excutiet matutinum soporem? et retardabit discessum tuum strictis amplexibus, et te revocabit ad sua oscula ab ipsis foribus? Quis rursus occurrens ingredienti, irruet in vultum, manusque tuas, et ambiet humeros curtis brachiis? Ædes silent, fateor, et orbati lares sunt, et squalent cubicula, et in

v. 41.—56 'Displicet syllaba finalis *is* toties repetita; nec placet vox *hilaris*, inutilis prorsum et superflua. Conjicio: *Quis tua colloquiis, Melior, mulcebit amatis Pectora?* ut versu primo. Sed vide porro: *tua pectora.* Cujus? Glauciæ? atqui hoc absurdum est de mortuo dicere. Ergo Melioris? atqui vox *tibi* quæ modo præcessit ad Glauciam pertinet, ut bene probat Gronovius. Pessime igitur et more minime suo fecit Statius, si voces *tibi* et *tua* diversis personis assignaverit, absque ulla transitionis nota. Et hinc maxime confirmatur suspicio mea vocem *Melior* latere sub ista *hilaris:* nec abludunt literæ. Pro *amatis* Parm. habet *amati;* ut, 'nostros vidisti flentis ocellos.'' *Markl.*—58 *Accensum quis bile feret?* Aldd. Colin. Gryph. Plant. &c. *ferat* Parm. unde lectionem nostram eruit Marklandus. Pro *tumentem* Domitius in Rom. legit *tumentes.*—64 Rom. et vet. Lindenbrogii: *atque ipsos . . . . postes.* 'Pro *aque ipso*, plurimas editiones insedit *atque ipso:* parum Latine. Emendavit Bernartius *aque*, ut apud Ovid. Heroid. Epist. XXI. 180. et Pont. I. 9.' *Markl.*—67 *Muta domus (fateor) desolatique.* Aldd. Colin. Gryph. &c. Lectionem nostram ex conjectura in textum intulit Marklan-

NOTÆ

60 *Inceptas dapes*] Id est, quas jam mandere cœperat Melior, sic *libata*, jam degustata ab eodem, non vero effusa in honorem Deorum. Mos enim erat fundendi humi paululum vini in honorem Deorum; unde libata vina hac effusione et iis consecrata. *Libataque vina*] *Libata* hic, degustata, interpretandum censeo.

61 *Turbabit*] More infantium, qui omnia miscent.

Quid mirum, tanto si te pius altor honorat
Funere? tu domino requies, portusque senectæ;
Tu modo deliciæ, dulces modo pectore curæ.
Non te barbaricæ versabat turbo catastæ,

mensa tristis taciturnitas. Quid mirum, si pius nutritor dignatur te tantis exequiis? Tu requies hero, et columen senectutis. Tu modo illi suaves deliciæ, modo dulces animi curæ. Turba Barbaricæ catastæ non te circumegerat, nec puer venali-

dus.—69 'Inemendati omnes codd. habent *alter*; sed nos emendantes legimus *altor*; nam Melior fuerat *altor* Glauciæ, et educaverat eum.' *Cald.* Ut Domitius correxit habent omnes edd. deinceps a Romana.—71 'Distinctio collocanda post hunc versum: et ita recte ediderunt jam Aldus, Gevartius, et Grasserus. Secus repetitæ Parisienses et Antwerpiana Bernartii editio. Alluditur autem amor, qui quo tenerior, eo est curis gravatior.' *Barth.*—72 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. &c. *versabat verna catastæ.* Gronovius ex conjectura scripsit *versabat turbo catastæ*; et ita reperit in codice Sen. *turba* exhibent Parm. Rom. et Venet. 2. *verna* est correctio Politiani. Gronovius putabat voluisse Politianum: *versabant, verna catastæ.* Vide Syllog. Epist. Tom. III. p. 2. *vexabant* conj. Cruc. in Antidiatr. p. 33. sed nihil affirmat.—

NOTÆ

72 *Non te barbaricæ versabat turbo* [*versarat turba*] *catastæ*] Ex Ms. Senensi corrige, et lege *turbo catastæ*. In foro enim venalia prostabant mancipia, et saltare, ac currere, et in orbem ire, dum præconium fiebat, cogebantur nonnunquam, ut astantes ac emtores accuratius ita contemplarentur corpora, illique sanitatem suam probarent: qua de causa nudabantur, et contrectabantur. Eam circumactionem servorum pulchre 'turbinem' vocavit Poëta; quique in circuitum eunt vel currunt, orbem saltatorium versant, *turbine versari* dicuntur recte, et eos *turbo versat*. Lucianus Βίων Πράσει, verbis præconis mancipium, quod venibat alloquentis: Οὗτως ἐλθὲ καὶ πρόϊθι ἐν κύκλῳ τὸ συνέδριον. Menander Ἐφεσίῳ. Ἐγὼ μὲν ἤδη μοι δοκῶ, νὴ τοὺς θεοὺς, Ἐν τοῖς κύκλοις ἐμαυτὸν ἐκδεδυκότα Ὁρᾶν κύκλῳ τρέχοντα καὶ πωλούμενον. *Ego sane mihi videor per Deos videre me in circulis nudum currentem in orbem, et venditum:* κύκλος vero hic significat locum ipsum, in quo fiebat venditio, venalitium πρατήριον, ut colligitur ex Harpocratione. Scholiastes Aristophanis: Ὁ δὲ κύκλος Ἀθήνησίν ἐστιν· ἔνθα δὴ πιπράσκεται χωρὶς κρεῶν τὰ ἄλλα ὤνια. Et mox: τόπος κυκλοτερὴς, ἐν ᾧ τὰ ὤνια ἐπωλοῦντο. Quod Menandro est in venalitio κύκλῳ τρέχειν, Luciano ἐν κύκλῳ προϊέναι τὸ συνέδριον, hoc Statio *versari turbine catastæ*. *Non versaverat te turbo barbaricæ catastæ*, non in catasta fueras in orbem ire jussus. Οἰκογενὴς, *domi genitus* eras, non ἀργυρωνητὸς, *argento emtus.* Gronovius. Hac explicatione Gronovius sumit *catastam* pro loco, ubi servi venales exponebantur. Sed cum omnes fere interpretes exponant *catastam* pegma ligneum aliquibus tabulatis constans, ut discimus ex Martiale lib. IX. Ep. 60. quo servi venales exponebantur, vel ut Raderus explicat, machinam ligneam longam compedis forma, servis venalitiis injectam. Locus hic sic posset intelligi: *Non te turbo catastæ versavit*, id est, non te circumegit: necesse enim erat fortasse, ut pegma seu machina illa lignea cir-

Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compositosque sales, meditataque verba locutus,
Quæsisti lascivus herum, tardeque parasti:
Hinc domus, hinc ortus; dominique penatibus olim

tius insertus mercibus Ægyptiis, et edoctus compositos sales, et meditata verba, lascivus quæsisti dominum, ac sero nactus es. Hinc origo, hinc natales, et uterque

73 *Non mixtus* Parm. Rom. et Venet. 2. *Nex mixtus* Bip. ex errore Typo-

NOTÆ

cumageretur, ut servi ex omnibus partibus videri possent. Si vero vulgaris lectio τοῦ *turba* retineatur, hoc modo etiam explicari potest: *Turba catastæ* seu Mangones, quorum catasta est, non te circumegerunt *et versarunt*, ut undique exponereris oculis astantium et emtorum. *Barbaricæ* Tibullus dixit barbaræ lib. II. Eleg. 3. 'Nota loquor, regnum ipse tenet, quem sæpe coëgit Barbara gypsatos ferre catasta pedes.' *Barbaricæ*] Quia servi plerumque ex barbaris regionibus Romam advehebantur. De eodem Glaucia Martialis similiter Epig. supra allato: 'Non de plebe domus, nec avaræ verna catastæ.' Legitur etiam inter tormenta Martyrum 'catasta,' quam ab equuleo differre vult Baronius Martyrologio suo 17. Kal. April. sed 'catastam' accipi etiam pro equuleo docet Prudentius in Coronis, Hymno 10. 'Emitto vocem de catasta celsior.' Id est, de equuleo. Patet, illud ex sequentibus: 'Quod retortis pendeo, Extentus ulnis.' Probatur et id narratione Witikindi Saxonis lib. I. referentis supplicium martyris Viti. 'Postremo,' ait, 'tormento quod catasta dicitur, cum Modesto, et quadam nobili fœmina Crescentia figitur, et fractis membrorum omnium motibus, a Christo consolatur.' Erat etiam *catasta* lectus igneus, in quo strati et usti martyres, ut discimus ex eodem Prudentio in Coronis Hymno 2. Itaque et Hymno 1. dixit 'catastas igneas.' ἐσχάρας Græci appellant. Ut Hermias Eccles. Hist. lib. V. cap. 11.

73 *Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans, Compositosque sales, meditataque verba locutus, Quæsisti lascivus herum*] Similis locus in Epicedio in filium: 'Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces Delicias, doctumque sui convicia Nili Infantem, linguaque simul salibusque protervum Dilexi.' Et totum hoc pulchre explicat Seneca de Tranquillitate vitæ: 'Pueros quidam in hoc mercantur procaces, et eorum linguam acuunt, et sub magistro habent, qui probra meditate effundant, nec has contumelias vocamus, sed argutias.' Pueri autem isti veniebant ex Ægypto præcipue cum aliis mercibus, hinc *Phariis*, id est, Ægyptiis, a Pharo insula quondam prope Alexandriam, nunc terræ juncta. Veniebant etiam e Syria et Mauritania. Suetonius Augusto: 'Nucibus ludebat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabiles conquirebat, præcipue Mauros et Syros.' Istos Latini 'delicias' vocabant, non obscœno sensu. Sanctus Hieronymus vertit *Ieled chachovim* cap. 31. Jeremiæ Prophetæ *puerum delicatum*. Græcis, παιδίον ἐντρυφῶν. Videturque Propheta ad hujusmodi delicias alludere.

76 *Hinc domus, hinc ortus*] Id est,

Carus uterque parens, atque in tua gaudia liber,
Ne quererere genus: raptum te protinus alvo
Sustulit exultans, ac prima lucida voce
Astra salutantem dominus sibi mente dicavit,
Amplexusque sinu tulit, et genuisse putavit.
Fas mihi sanctorum venia dixisse parentum,
Tuque, oro, Natura, sinas, cui prima per orbem
Jura animis sociare datum: non omnia sanguis
Proximus, aut serie generis demissa propago,
Alligat: interius nova sæpe, ascitaque serpunt
Pignora connexis: natos genuisse necesse est,

parens olim domi carus hero, ac manumissus in tuam lætitiam, ne querereris de genere. Statim ut cecidisti ex utero materno, te cito sustulit lætus, et herus sibi tacite addixit te, salutantem primo vagitu fulgentia astra, et gremio amplexus portavit, et credidit generasse. Liceat mihi dicere venia sanctorum parentum, et tu mihi permittas, precor, Natura, cui tributum est in orbe primis affectibus animos jungere. Propinqua cognatio, aut deducta progenies ordine generis non conjungit omnia; sæpe novi et adoptivi liberi insinuant se altius in animos, quam proprii. Liberos

graphico.—84 'Scribendum *animos*. Naturales affectus sunt arctissimi, id quod nemo nescit.' *Barth.*—88 *Hæc legisse juvat* Aldd. Colin. Gryph. *Et flevisse juvat* inemendati codices Domitii Calderini. *At legisse* Rom. Gevart.

NOTÆ

in ipsa domo Patroni natus eras et educatus, parentesque habuisti.

77 *In tua gaudia liber*] Id est, uterque parens manumissus a Meliore, ne doleres te genitum ex servis.

79 *Prima voce*] Vagitu scilicet. Plinius Procemio lib. VII. 'Hominem tantum nudum, et in nuda humo, natali die, natura abjicit ad vagitus tantum et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, et has protinus vitæ principio.'

80 *Astra salutantem*] Sic Epicedio in patrem: 'Vitamque salutas.'

81 *Et genuisse putavit*] Id est, tanto amore dilexit, ut genuisse crediderit.

82 *Sanctorum*] Hi enim venerandi sunt, et Dii domestici.

83 *Cui prima per orbem Jura animis sociare datum*] Dicit *prima jura*. Nam post Deum, primo parentes amare debemus. *Jura* vero *sociare animis*. Pro sociare animos juribus. Hypallage.

84 *Non omnia sanguis Proximus*] Innuere vult cognationem seu affinitatem non semper mentes animosque conjungere.

86 *Nova ascitaque pignora*] Id est, adoptivi filii. *Ascita*] Equo Domitiani: 'ascitæ munere prolis.'

87 *Connexis*] Supple, sanguine et genere, et junge *connexis* cum *interius* versus superioris, id est, *interius* quam *connexis*.

Natos genuisse necesse est, At legisse juvat] Imitatus est Ausonius in Cæsaribus de Nerva: 'Nulla viro soboles: imitatur adoptio prolem,

At legisse juvat: tenero sic blandus Achilli
Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron.
Nec genitor Peleus natum comitatus in arma
Troica, sed caro Phœnix hærebat alumno.
Optabat longe reditus Pallantis ovantes
Evander, fidus pugnas spectabat Acœtes.
Cumque procul nitidis genitor cessaret ab astris,
Fluctivagus volucrem comebat Persea Dictys.

generasse necesse est, at elegimus qui nobis placent. Sic Centaurus Chiron superabat Pelea Æmonium amore in puerum Achillem. Nec longævus Peleus comitatus est filium ad expeditionem Trojanam, sed Phœnix tunc adhærebat dilecto discipulo. Evander multum desiderabat Pallantem reverti victorem, fidus Acetes aderat præliis. Et cum pater non ferret opem a fulgenti cœlo, Dictys piscator alebat alitem



Bern. Gronov. Barth. Amstel. Delph. &c.—89 *Semivir* legendum putant Dousa P. et Barth. hic et ubicunque in bonis auctoribus τὸ *Semifer* occurrit. —90 *Nec senior Peleus* Venet. 1. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Til. &c. Lectio nostra est ex emendatione Marklandi. —91 *Troia* malint Heins. et Burm.—92 *Palantis* edd. vett.—93 *Acestes* Rom. *Acetes* Aldd. Colin. Gryph. et Plant.—95 ‘ Parum sensui satisfacit vox *comebat;* quæ nihil significat præter ‘ ornabat.’ Atqui parum est ornare aliquem puerum, nisi institutioni vel educationi curam simul impendas; et

NOTÆ

Quam legisse juvet, quam genuisse velit.’ Pulchram hic antithesin notat Gevartius, inter hæc verba *necesse est,* et *juvat.* Nam, ut ait, necessarium quid et ἀκούσιον est in generatione liberorum, cum non sit in nostra potestate, ut tales generemus, quales optamus. Contra vero in adoptione ἑκούσιον quid est et voluntarium, et pro arbitrio nostro formamus nobis tales liberos, quales volumus; ac proinde magis amamus. Et hoc est, quod Valerius Maximus innuit: ‘ Genitos,’ inquit, ‘nascendi sors, fortuitum opus; adoptivos vero et ascitos, unius cujusque solido judicio incoacta voluntas producit.’

89 *Semifer Chiron*] Centaurus Chiron præceptor Achillis. *Æmonium*] Id est, Thessalum. *Vincebat*] Amore scilicet in filium. *Pelea*] Patrem Achillis.

90 *Natum*] Filium Achillem. *In arma Troica*] Id est, ad expeditionem Trojanam.

91 *Phœnix*] Phœnix præceptor Achillis, Amyntoris filius. Narrat ipse Phœnix se filium adoptasse Achillem apud Homerum Iliad. Θ. Et ut fuerit individuus comes Achillis probant hæc: Πῶς ἂν ἔπειτ’ ἀπὸ σεῖο φίλον τέκος αὖθι λιποίμην Οἶος. *Quomodo postea fieri posset, dilecte fili, ut a te solus desererer.*

Alumno] Achilli.

92 *Pallantis*] Pallas filius Evandri, notus ex Æneide.

93 *Evander*] Evander pater Pallantis, notus ex Æneide. *Acœtes*] Acœtes pædagogus Pallantis, cui Evander pater ‘ bella suumque timorem et audacis nati commiserat annos.’ Vide Æneidem.

94 *Genitor*] Jupiter, pater Persei.

95 *Fluctivagus Dictys*] Dictys pis-

Quid referam altricum victos pietate parentes?
Quid te post cineres, deceptaque fulmina matris,
Tutius Inoo reptantem pectore, Bacche?
Jam secura parens Tuscis regnabat in undis
Ilia, portantem lassabat Romulus Accam.
Vidi ego transertos aliena in robora ramos,

Perseum. Quid memorem parentes superatas pietate a nutricibus? Quid te, Bacche, nullibi reptantem securius quam in sinu Inus, post cineres et exequias deceptæ parentis? Ilia mater jam dominabatur in aquis Tuscis, Romulum filium negligens, dum ille onerabat brachia Accæ suæ nutricis. Ego vidi frondes insertas in aliena

hoc sensus loci postulat et comparatio. Dixisse debuit: *volucrem curabat Persea Dictys;* hoc enim totum exprimit et comprehendit. Claud. Cons. Mall. 142. Laud. Stilic. II. 53. Sed mihi magis adhuc placet altera vox: ea est: *Fluctivagus volucrem tollebat Persea Dictys;* sive de sublatione Perseos ex arca intelligas, seu de educatione; utrique enim accommodari potest; sed illi potius.' *Markl.* Pro *Persea* nonnullæ vett. habent *Presea.*—96 Venet. 1. *victas pietate parentes*, sc. matres.—97 Omnes edd. habent, *deceptaque funera:* optime correxit Marklandus. Cf. Theb. x. 425. Auson. Cruc. Cup. 16. et Senec. Herc. Fur. 456. Idem Markl. conj. etiam *fulgura*, eodem sensu quo *fulmina*, (vide Bentl. ad Hor. II. Od. 10.) et propius ad vocem *funera;* sed præstat *fulmina* propter frequentiorem ejus in hac fabula usum: et unice ob supra citatum Theb. locum.—99 *Jam secura patris* Parm. ut legi vult Heinsius ad Ovid. Met. VII. 435.—101 'Sensus et Latinitas postulant *aliena in robora.* Per se patet.' *Markl.* Wakefieldius vero in Sylv. Crit. Part. v. p. 31. ita scribit: 'Non probare possum Marklandi castigationem. Recepta

NOTÆ

cator Seriphius, qui arcam in qua Perseus cum matre Danaë inclusus erat, projectam ab Acrisio, in mare cepit, et Persea aluit: dicitur *fluctivagus*, quia huc et illuc vagabatur, more piscatorum, ubi major copia piscium erat. *Volucrem Persea*] Perseus Jovis et Danaës filius: *volucrem*, quia habebat talaria, ut discimus ex Strabone et Apollodoro Rhodio.

97 *Post cineres, deceptaque fulmina* [*funera*] *matris*] Semele enim mater Bacchi, fulmine Jovis conflagravit. *Decepta* vero *funera*, ait, quod Semele decepta fuit a Junone, cum ipsi persuasit, peteret a Jove, ut ad se veniret, eadem majestate, qua solebat ad Junonem accedere.

98 *Inoo*] Id est, Inus materteræ tuæ.

99 *Jam secura parens Tuscis regnabat in undis Ilia, portantem lassabat Romulus Accam*] Ilia seu Rhea Sylvia Romulum ac Remum ex Marte peperit. Postea Poëtæ fingunt eam Tiberi fluvio nupsisse, ac Deam aquarum factam. *Tuscis in undis*] Quia Tiberis accolitur a Tuscis, nunc Thoscanis. *Romulus*] Romulus conditor Romæ urbis. *Accam*] Acca Laurentia, Faustuli regii pastoris uxor, Romulum ac Remum uberibus aluit. Hæc grandi pecunia, meretricio quæstu (unde 'lupa' cognominata est) comparata, moriens Romulum hæredem instituit. Alii non Romulum, sed populum Romanum hæredem reliquisse dicunt.

101 *Transertos*] Id est, insitos. *Inserere* enim Latini dicunt, Græci ἐγκεντρίζειν. Vide Plinium lib. XVII.

Altius ire suis. Et te jam fecerat illi
Mens animusque patrem; necdum moresve, decorve:
Tu tamen et motas etiam tum in murmura voces,
Vagitumque rudem, fletusque infantis amabas.
Ille, velut primos expiraturus ad Austros,
Mollibus in pratis alte flos improbus extat,
Sic tener, ante diem, vultu gressuque superbo
Vicerat æquales, multumque reliquerat annos.
Sive catenatis nudatus membra palæstris
Staret, Amyclæa conceptum matre putares;

arbore, crescere celsius propriis. Et mens ac voluntas reddiderat te illi patrem, necdum cognita ejus indole et forma. Tu tamen etiam tum diligebas murmura, quæ voces inexplicitas effingebant, et rudem vagitum ac lacrymas infantis. Ille, sicut flos moriturus ad primos Austri flatus, nimium crescens, eminet celse in amœnis campis; sic tener ante tempus vicerat forma et fortiori incessu coætaneos, et multum superaverat ætatem suam. Sive staret inflexo corpore in implicitis palæs-

scriptura teneri debet: *transertos alieno in robore ramos.*' Hanc scripturam testantur omnes codd. et edd. vett.—104 ' Legendum: *cum murmure voces. Mutæ voces*, nihil significantes, et *murmura* sunt infantium, priusquam loqui per ætatem valeant.' *Barth.* Edd. vett. habent: *et mutas etiam tum murmure voces.* ' Nullus in his sensus: si enim *mutas*, quomodo *murmure?* Lege: *Tu tamen et motus etium tum in murmura voces.*' Markl. Vide Heins. ad Claud. Rufin. I. 152. Cf. etiam III. Sylv. 5. 34.—105 Markl. legit: *fletumque infantis;* et ita Parm.—110 Edd. vett. omnes: *curvatus membra palæstris;* mutavit Mark-

NOTÆ

cap. 14. *Aliena in robora*] Prudentius in Apotheosi: ' Non se sylvestris olivi Surculus exultans alieno in stipite jactat.'

103 *Mens, animusque*] Duo hæc distinguuntur non modo apud Philosophos, sed etiam apud Poëtas. Virgil. Æn. VI. ' Magnam cui mentem animumque.' *Necdum moresve, decorve*] Supple, accesserant, sive noti erant.

104 *Motas in murmura* [*mutas murmure*] Id est, murmura, quæ mutas seu non distinctas voces effingebant.

106 *Ille, velut primos expiraturus ad Austros, Mollibus in pratis alte flos improbus extat*] Imitatio Virgilii, cum de Euryalo loquitur: ' Purpureus veluti cum flos succisus aratro Languescit moriens.' Quin etiam idem Virgilius, proverbiali figura, dixit Ecloga II. ' Eheu, quid volui misero mihi? floribus Austrum Perditus, et liquidis immisi fontibus apros.' Ventus enim ille multum floribus contrarius est. Plinius lib. XXI. cap. 1. ' Flores odoresque in diem gignit natura, magna, ut palam est, admonitione hominum, quæ spectatissime floreant, celerrime marcessere.' *Improbus.* Nimium crescens.

108 *Superbo*] Id est, grandiori.

110 *Sive catenatis nudatus* [*curvatus*] *membra palæstris Staret, Amyclæa conceptum matre putares*] Mens: Tanta arte, gratiave luctabatur Glaucias, ut crederes eum genitum matre Spartana. Lacones enim seu Spartani luctæ studio admodum dediti erant,

Œbaliden illo præceps mutaret Apollo,
Alcides pensaret Hylan: seu Graius amictu
Attica facundi decurreret orsa Menandri,
Laudaret gavisa sonum, crinemque decorum
Pressisset rosea lasciva Thalia corona:

tris, crederes genitum matre Amyclæa. Celer Apollo permutaret illo Hyacinthum Œbalidem: Alcides Hylam pensaret. Sive indutus Græco pallio perlegeret Attica opera eloquentis Menandri, læta Thalia approbaret suavitatem vocis, et procax cin-

landus, et statuariæ et graphicæ certe ignarus.—116 *Fregisset* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. Gronovius Obss. IV. 21. ita explicat: 'Frangi vult crinem exstructum, cum superimposita corona deprimitur et sic quasi destruitur. Virgilius: 'tonsa coma pressa corona;' ut 'frangere toros' pro deprimere.' 'Ex Virgil. veram ante oculos habuit lectionem, quam hanc esse autumo: *crinemque decorum*

NOTÆ

palæstraque ab ipsis inprimis exculta fuit. Unde Propertius: 'Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ.' *Catenatis palæstris*] Id est, implicitis διὰ τὰς πλόκας, et nexus. Tota enim ars luctæ in eo erat, ut firmissime necteretur adversarius et dejiceretur in terram. *Curvatus membra*] Gestum luctantium exprimit: dum enim volunt dejicere adversarium, nisu curvantur. *Staret*] Stare firmitatem luctantis denotat, qui non potest dejici. *Amyclæa*] Id est, Laconica seu Spartana, ab Amyclis urbe Laconiæ.

112 *Œbaliden*] Hyacinthum puerum Spartanum ab Œbalia regione Laconiæ *Œbaliden* dictum, quem adamavit Apollo. Hyacinthus ille eodem tempore amabatur ab Apolline, et Zephyro: sed cum propensior esset in Apollinem, iratus Zephyrus discum ab Apolline emissum in caput Hyacinthi propulit, puerumque occidit: postea in florem sui nominis mutatus est. Ita Palæphatus. Paulo aliter Ovidius Met. x.

113 *Alcides*] Hercules Amphitryonis filius, nepos Alcæi, a quo *Alcides* dictus fuit. *Hylan*] Hylas comes Herculis, multum ab eo adamatus. Vide Epith. Stellæ vs. 199. et Theb. v. 443. *Graius amictu*] Id est, indutus pallio Græco.

114 *Menandri*] Menander Atheniensis, Dioppidis filius, poëta comicus, novæ comœdiæ, luscus fuit, acutissimo ingenio, propensus in mulieres, usque ad insaniam: composuit Fabulas 80. et Epistolam unam ad Ptolemæum regem, et alia quædam. Personis comœdiæ exprimendis excelluit. Attamen Philemon illi prælatus est pravis sui temporis judiciis, cum præstaret. Quod sequentia sæcula agnoverunt. Unde Martialis: 'Rara coronato plausere Theatra Menandro.' *Facundi*] Hæc enim Quintilianus de eo scribit: 'Menander,' inquit, 'meo judicio diligenter lectus, ad cuncta quæ præcipimus, efficienda sufficiat. Ita omnem vitæ imaginem expressit: tanta in eo inveniendi copia, et eloquendi facultas. Ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus.' Vide Dionem Chrysostomum in Oratione, quæ inscripta est περὶ Λόγου Ἀσκήσεως.

116 *Pressisset* [*Fregisset*] Bene *fregisset*. Frangi enim pulchre dicitur crinis exstructus, cum deprimitur, et

Mæonium sive ille senem, Trojæque labores
Diceret, aut casus tarde remeantis Ulixi;
Ipse pater sensus, ipsi stupuere magistri.
Scilicet infausta Lachesis cunabula dextra
Attigit, et gremio puerum complexa fovebat
Invidia: illa genas et adultum comere crinem,

geret pulchros ejus crines rosea corona: sive ille recitaret opera senis Mæonii, excidium Trojæ, aut errores sero revertentis Ulyssis, ipse pater, ipsi præceptores mirabantur ejus judicium. Nempe Lachesis attrectaverat ejus cunabula inauspicata manu, et Invidia tenens puerum in sinu, eum fovebat. Illa ornare vultum et lon-

Pressisset rosea lasciva Thalia corona.' Markl. Cf. I. Sylv. 2. V. Sylv. 3. et Virg. Æn. IV. 147.—118 Markl. conj. *aut cursus tarde remeantis Ulixi;* ut 'cursus reducis per mare Ulixei' ap. Hor. (Bentl.) I. Od. 6. 7. Pro *Ulyssis*, vel *Ulyxis*, quod habent edd. vett. Barthius scribendum putavit *Ulyssei.*——119 'Placuit olim emendatio ista: *Ipse pater census;* i. e. ipse ἐπιστάτης et censor musici hujus certaminis; sed veteres ita locutos nusquam me legisse memini. Fortasse ergo dictum *pater sensus*, ut *Ipse pater veri.*' Til.—120 *Scilicet in fausta* Aldd. 1. 2.—121 'Existimat sic legi posse: *puerum gremio complexa, fovebat Invidiam.* Acute dictum: Lachesis puerum complexa gremio, fovebat non tam ipsum, quam invidiam suam.' *Cruc.*—123

NOTÆ

sic destruitur, ut 'frangere toros' pro deprimere: nam et 'crines strui' dicuntur, ut et tori.

Thalia] Thalia, una ex Musis, quæ comœdiis præesse dicitur.

117 *Mæonium senem*] Homerum intelligit, Poëtarum principem, qui *Mæonius* dicitur, quia Smyrnæus, vel Lydius erat, ut Arachne 'Mæonis' dicitur Ovidio. Lydia vero, 'Mæonia' vocata, sive a Mæone rege, ut vult Claudianus in Eutrop. lib. II. sive a fluvio Mæone. Vel potius Homerus dictus est *Mæonius*, a Mæone avo materno; nam fluvio Melete, et Mæonis filia natus traditur. Composuit Iliada, in qua describitur bellum ad Trojam gestum, hinc *Trojæ labores*, dixit, et Odysseam, seu opus de Ulysse, in quo præcipue errores ejus per mare describuntur, antequam ad patriam pervenire posset.

119 *Sensus*] Per *sensus* aliqui, vel judicium vel ingenium; alii sententiarum pondera. Sed *sensus* hoc loco interpretandi eo significatu quo Plinio accipiuntur lib. XXXV. cap. 10. ubi de Aristide pictore loquitur: 'Aristides Thebanus omnium primus animum pinxit, et sensus omnes expressit, quos vocant Græci ἤθη· item perturbationes.' *Sensus* itaque *stupebant magistri paterque*, quam bene personas exprimeret modulatione vocis: ex quo cognosci poterat, quam bene ipsi Poëtæ a recitante intelligerentur. *Gronovius.*

120 *Scilicet infausta Lachesis cunabula dextra Attigit*] Lachesis, una ex Parcis. Et fortasse alludit ad priscum morem Romanorum, quo ultima die Hebdomadæ, Parcæ ad scribenda vel canenda pueri fata advocabantur, ut patet ex Catullo, in nuptiis Pelei et Thetidis, ex Ovidio in fabula Meleagri, et Tertulliano.

121 *Et gremio puerum complexa fovebat Invidia: illa genas, &c.*] Invidiam

Et monstrare artes, et verba refringere, quæ nunc
Plangimus. Herculeos annis æquare labores
Cœperat assurgens, et adhuc infantia juxta;
Jam tamen et validi gressus, mensuraque major

gam comam, et docere artes, et reformare verba, quæ nunc omnia deploramus. Cœperat crescendo annis attingere labores Herculis, sed adhuc erat mixta infantia. Jam tamen et fortis incessus, et statura grandior indumento, et visæ vestes puero

Parm. et Venet. 1. *et verba infigere;* unde Markl. conj. *infringere;* nonnulli, *refingere.* 'Malo *refingere,* quod verbum sententiæ magis convenit. Vult enim Statius Lachesin monstrasse artes et verba reformasse pueri Glauciæ, qui male, ut id genus ætatis solet, ea proferebat. Quam autem necessarium et frequens sit pueris verba sua refingere, nemo nescit nisi puer. At Gevartius retinet *refringere,* et exponit, vocem extenuare, quasi opus esset infanti doctore aut magistra ad vocem extenuandam.' *Cruc.*—125 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. *sed adhuc infantia mixta.* 'Primo legendum *et adhuc,* propter sequens, *Jam tamen et validi gressus.* Deinde quid est *mixta infantia?* lege: *et adhuc infantia juxta,* sc. erat. Theb. VI. 382. 'tibi nulla supersunt Gaudia; jam Thebæ juxta, et tenebrosa vo-

NOTÆ

Veteres fingebant esse numen quoddam, quod res nimium lætas et prosperas torvis oculis intueretur, ac deprimeret quodcumque modum humanum excederet, ut alibi diximus. Et hoc Φθόνον, *Invidiam, Livorem* vocabant, Nemesim ac Adrastiam, puerisque infestum ac perniciosum existimabant. Unde varii modi inventi ad hoc placandum, avertendumque. Hinc turpicula res, sive fascinum puerorum collo suspensum, ut amuletum. Et Fascinus Deus infantium custos, ut refert Plinius lib. XVIII. cap. 4. et Dea Cunina apud Lactantium, quæ infantes in cunis tuetur, et Fascinum summovet. Dicit igitur hic Poëta Lachesim ac Invidiam præfuisse infantiæ Glauciæ, illamque eum in suo sinu fovisse, ornasse vultum crinesque ejus, formasse mores et ingenium, ut haberet, quod sibi displiceret, ac mox destrueret: succensere enim illa dicitur nimia elatis felicitate. Hinc fallitur Domitius, qui explicat *Invidia,* per invidiam, et Cruceus, qui legit *Invidiam,* quasi Lachesis fovisset non tam ipsum Glauciam, quam invidiam suam. Et sic refert illud *Invidia* ad Lachesim. Sed hic nominandi casu sumitur *Invidia,* et accipienda, ut supra diximus. Et similis locus est apud Nostrum in Epicedio Pileti: 'Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu: Ac primum implevitque toros, oculisque nitorem Addidit, et solito sublimius ora levavit, (Heu! misero letale favens,) seseque videndo Torsit, et Invidiam, Mortemque amplexa, jacenti Injecit nexus.'

123 *Verba refringere*] Gevartius explicat: 'vocem extenuare;' Cruceus mavult *refingere.* Quam enim necessarium et frequens sit pueris verba sua *refingere,* omnes sciunt.

124 *Herculeos annis æquare labores*] Hoc loquendi modo vult innuere, Glauciam ad duodecimum ætatis annum pervenisse. Nam duodecim labores Herculis numerantur.

125 *Et adhuc infantia juxta*] Id est, ea in ætate redolebat adhuc simplicitatem ac innocentiam infantium.

Cultibus; et visæ puero decrescere vestes.
Cum tibi, quas vestes, quæ non gestamina mitis
Festinabat herus? brevibus constringere lænis
Pectora, et angusta telas jactare lacerna
Enormi non ille sinens, sed semper ad annos
Texta legens, modo Puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti

diminui. Cum tibi, quos cultus, quæ non vestimenta dominus deproperabat? colligare pectus brevi fascia, et arctare talos tuos stricta lacerna. Non ille eligens laxiores togas, sed semper vestes ætati aptas, modo tegebat te puniceo indumento, nunc veste herbidi coloris, nunc purpura blande rubenti, nunc lætabatur inflammare

rago.'' *Markl.*—127 Markl. conj. *et visi puero decrescere cinctus, &c.*—129, &c. Hic locus ita se habet in edd. vett. *brevibus c. lenis Pectora? et angusta telas arctare lacerna. Enormes non ille sinus; sed semper ad annos Texta legens: modo, &c.* 'Vides quot difficultatibus et absurditatibus laborat locus: cujus ex parte restitutionem tibi spondeo si amoveas distinctionem post *lacerna*, et pro *sinus* legas *sinens;* ita: *brevibus c. l. P. et a. telas arctare lacerna Enormes n. i. sinens, s. s. a. a. T. legens, modo, &c.* hoc modo nova rerum facies nasci incipit. Et jam video legendum esse *lacerna Enormi*, ut opponatur *brevibus lænis;* nec *brevibus lænis*, nec *lacerna enormi.* Hoc, quasi filo, ad sensum deducit, qui hic est: Nec permittens lænis nimium brevibus et arctis pectus constringere, nec contra lacerna enormi membra puerilia gravare; sed prout incrementum pueri et ætas postulabat, ita semper adaptans et legens vestimenta interdum puniceo amictu, interdum viridi sinu vel thorace vestiebat. Hæc videtur esse mens hujus loci, elegans et concinna. Viam tibi aperui: si oculatus sis, per te videbis quid faciendum sit istis: *angusta telas arctare;* si non, dicendum aut irridebis, aut fidem non habebis. Tantum moneo ne legas *aptare*, quod primo intuitu forte adblandietur.' *Markl.* 'Merito locum hunc pro corruptissimo notavi. Venet. 1. habet *telas jactare* pro *arctare;* unde mibi confirmatur quod dudum suspicatus eram, nempe vocem *arctare* huic loco irrepsisse formatam ex alia simili voce; nempe ex voce *artus: brevibus c. l. P. et a. artus jactare, &c.*' Idem in Addendis. Quidam pro *lænis* reponunt *lanis*, improbante Barthio. 'Quid est *telas arctare lacerna?* Spero me habiturum te conjecturæ meæ obsequentem, qui corrigam: *talos arctare.* Ad talos enim lacerna descendebat: de instita Horatius: 'Subsuta talos tegit instita palla.'' *N. Heins. Gronovio.* Vide Syllog. Epist. Tom. III.

NOTÆ

126 *Mensura*] Mensura hic staturam significat.

127 *Et visæ puero decrescere vestes*] Illo scilicet crescente.

128 *Quæ non gestamina mitis Festinabat herus*] Similis locus Theb. VI. 'Quas non in nomen credula vestes Urgebat studio.'

129 *Brevibus lænis*] Fasciam pectoralem intelligit, quam pueri gestabant viridem plerumque: Infra: 'Nunc herbas imitante sinu.'

130 *Telas* [*talos*] Lacerna enim stricta erat, nec diffundebatur.

133 *Herbas imitante sinu*] Aliqui dicunt herbas fuisse depictas in toga Glauciæ. Sed verius Papinium colorem viridem designare, qui alias 'herbidus' dici solet. Ita Surrentino Pollii, de viridi Lacedæmoniorum

Murice, nunc vivis digitos incendere gemmis
Gaudebat: non turba comes, non munera census,
Sola verecundo deerat prætexta decori.
Hæc fortuna domus: subitas inimica levavit
Parca manus: quo Diva feros gravis exeris ungues?
Non te forma movet? non te lacrymabilis ætas?
Hunc nec sæva viro potuisset carpere Procne,
Nec fera crudeles Colchis durasset in iras,
Editus Æolia nec si foret iste Creusa:
Torvus ab hoc Athamas insanos flecteret arcus.

digitos igneis gemmis. Non cohors famulorum, non dona desunt. Sola prætexta deerat verecundæ formæ; hæc sors illius conditionis. Infesta Parca repente sustulit in illum manus. In quem, acerba Dea, exeris diros ungues? Non venustas, non teneri anni te flectunt? Crudelis Procne non sustinuisset hunc discerpere, ut apponeret epulandum marito suo. Nec Barbara Colchis Medea perseverasset contra eum in sævo furore, etiam si fuisset genitus Creusa Æolia. Trux Athamas ad hujus conspectum deflexisset amentem arcum. Ulysses hunc præcipitaturus e Phry-

p. 470.—135 Edd. vett. *non munera cessant.* Lectio *census* est ex conjectura Marklandi.—138 'Omnino legendum *ungues.*' Barth. Hoc verum putat etiam Marklandus; sed *angues* retinent edd. vett.—143 *Torvus ad hunc Athamas*

NOTÆ

marmore: 'Hic et Amyclæi cæsum de monte Lycurgi Quod viret, et molles imitatur rupibus herbas.' Quod et imitatus Sidonius Apollin. Carm. XXII. 'Herbosis quæ vernant marmora venis.' Mart. lib. v. Ep. 24. 'Herbarum fueras indutus, Basse, colores.'

134 *Nunc vivis digitos incendere gemmis*] Elegantissime. Dicit, gemmas, quas gestabat Glaucias, tantum fulgorem, ignemque emittere, ut viderentur digitos ejus incendere.

136 *Verecundo deerat prætexta pudori*] Glaucias enim erat libertus Melioris: non poterat gerere igitur prætextam, quæ erat ingenuitatis insigne. *Verecundo*] Quia genus pudori illi erat.

137 *Hæc fortuna domus*] Libertinæ scilicet conditionis.

140 *Procne*] Procne Terei regis Thraciæ uxor, quæ marito proprium filium in frusta discerptum epulandum apposuit. Nota fabula.

141 *Colchis*] Medea: nam ex Colchide oriunda erat, et Æetæ Colchorum regis filia.

142 *Æolia Creusa*] Creusa, filia Creontis Corinthiorum regis, desponsa fuit Jasoni, repudiata Medea; quod illa ægre ferens, coronam naphta illitam sponsæ dono misit: quæ advesperascente die et cereis accensis ignem concepit, sponsamque et Creontem cum tota regia incendit. *Æolia* vero, quia Creon pater Creusæ originem ducebat ab Æolo. Nam Æolus pater Sisyphi, Sisyphus Creontis. Mens: Etsi Glaucias natus fuisset ex Æolia Creusa, Medea deposuisset iram suam, nec in iras durasset eo conspecto, quamvis filius fuisset mulieris, quam summo odio prosequebatur.

143 *Athamas*] Athamas rex Corin-

Hunc, quanquam Hectoreos cineres, Trojamque perosus,
Turribus e Phrygiis flesset missurus Ulixes.
Septima lux: et jam frigentia lumina torpent,
Jam complexa manu crinem tenet infera Juno.
Ille tamen, Parcis fragiles urgentibus annos,
Te vultu moriente videt, linguaque cadente
Murmurat: in te omnes vacui jam pectoris efflat
Reliquias: solum meminit, solumque vocantem
Exaudit: tibique ora movet, tibi verba relinquit,
Et prohibet gemitus, consolaturque dolentem.
Gratum est, Fata, tamen, quod non mors lenta jacentis

giis turribus, plorasset etsi prosequeretur summo odio reliquias Hectoris et Trojam. Vix septimus dies morbi effluxit, et jam oculi rigentes non moventur. Jam Proserpina tenet et complectitur manu illius capillos. Ille tamen, Parcis accelerantibus teneros annos, te cernit moribunda facie, te murmurat lingua jam deficiente. Expirat in te cunctas vitæ reliquias: te solum recordatur, audit te solum appellantem eum, te alloquitur, ultima verba relinquit tibi, et te vetat gemere, et delenit mœrentem. Juvat tamen, o Fata, quod lenta mors non exedit puerilem venustatem,

Aldd. Colin. Gryph. &c. *Torvus adhuc* Parm. et Rom. et sic legit Dempsterus ad Claud. Rufin. I. 81.—145 Rom. et vet. Lindenbrogii, *esset missurus.*—148 ‘ Nisi multum fallor scripsit Statius: *Parcis faciles urgentibus annos:* hoc exquisitam illius elegantiam decet. Theb. VIII. 571. XII. 736.’ Markl.—150 Edd. vett. *omnis:* mutavit Marklandus.—152 Aldd. Colin. Gryph. &c. *reliquit.*—154 ‘ Hunc locum integrum esse credit Gevartius; non ego. Conjicio archetypi scripturam hanc fuisse: *Attamen est gratum.* Facile fuit imperitis olim exscriptoribus pro *Attamen* substituere *fata tamen*, deinde transponere, et locis suis movere voces illas; quod nimis sæpe accidisse norunt Criticæ antistites. Vel sic lege: *Grata huic fata tamen;* ut τὸ *fata* sit nominandi casus. Sic minimum discedes a vestigiis communis scripturæ.’ *Cruc.* Vul-

NOTÆ

thi furore correptus Learchum filium sagittis confixit. Vide Theb. I. 12. *Flecteret*] Id est, deflecteret ad hujus conspectum arcum suum.

144 *Hunc quanquam Hectoreos cineres, Trojamque perosus, Turribus e Phrygiis flesset missurus Ulysses*] Ulysses enim post captam Trojam Astyanacta Hectoris filium de turre præcipitasse dicitur. Notum autem est odium Ulyssis in totum genus Priami.

147 *Crinem tenet infera Juno*] Infera Juno, est Proserpina, quæ dicitur *infera Juno*, sicut Pluto vocatur ‘Stygius Jupiter,’ et καταχθόνιος Ζεὺς, *Inferus Jupiter.* Hæc vitæ mortisque præses, fingiturque morituris crinem secare, et has quasi primitias Orco offerre. Sic Iris aufert Didoni apud Virgilium: ‘ Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat.’ Sic apud Euripidem Orcus introducitur, qui auferat crinem Alcestæ morituræ.

154 *Gratum est, Fata, tamen*] Formula flebile gaudentium, cum tamen est aliquid tam sævo in tempore lætum. Sic Theb. XII. Argia, invento

Exedit puerile decus, manesque subivit
Integer, et nullo temeratus corpora damno,
Qualis erat. Quid ego exequias, et prodiga flammis
Dona loquar, mœstoque ardentia funera luxu?
Quod tibi purpureo tristis torus aggere crevit:
Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,

quod integer subit Inferos, et qualis erat, corpore nullo detrimento affecto. Quid ego dicam apparatum funeris, ac dona profusa in ignem, et exequias flagrantes tristi luxu? Quod mœsta pyra tibi assurgit purpureis stragulis: quod flores Cili-

gatam lectionem minime mutandam docet Barthius.—159 Aldd. Colin. Gryph. *tristis rogus*; cod. Sen. cum Venett. Parm. et Rom. *tristis torus*, notante Gronovio Diatr. cap. 17. et firmante hanc lectionem loco Theb. vi. 54—69. cui addas licet v. Sylv. 1. 214. Ovid. Met. ix. 502. et Martial. viii. 44.—

NOTÆ

corpore Polynicis conjugis, exclamat: 'Sed bene habet, Superi; gratum est, Fortuna; peracta est Spes longinqua viæ: totos invenimus artus.'

155 *Manesque subivit Integer, et nullo temeratus corpora damno*] Bene agi cum morientibus credebant veteres, dum integro corpore, id est, non mutilato aut truncato, nullaque labe affecto, ex hac vita discederent: nam eandem formam, eundemque habitum corporis retinere mortuos putabant, quem habebant, cum morerentur. Ad hunc morem respexisse Juvenalis videtur, cum deflens sortem Pompeii, cui cervix abscissa fuerat, sic loquitur: 'Igitur fortuna ipsius et urbis Servatum victo caput abstulit: hoc cruciatu Lentulus, hac pœna caruit, ceciditque Cethegus Integer, et jacuit Catilina cadavere toto.'

157 *Qualis erat*] Id est, eadem forma, eodem habitu, nihil mutatus. Sic Theb. iv. de Atalanta loquens, quæ filium ad bellum proficisci audierat: 'Fugit sylvas pernicior alite vento, Qualis erat.' Idem valet huic simillima locutio: 'Sicut erat.' Statius Theb. vii. de Amphiarao loquens: 'Non arma manu, non fræna remisit: Sicut erat, totos defert in Tartara currus.'

158 *Mœsto luxu*] Infra: 'Cupit omnia ferre Prodigus, et totos Melior succendere census.'

159 *Quod tibi purpureo aggere*] *Agger* hic *purpureus*, est cumulus vestium purpurei coloris, quæ injiciebantur rogis. Sic Theb. vi. 'Tyrioque attollitur ostro Molle supercilium.' *Tristis torus*] Sic Theb. vi. 'Damnatus flammæ torus, et puerile pheretrum Texitur.'

160 *Cilicum flores*] Crocum intelligit Corycium, quo abundat Cilicia. Cilicia autem regio Asiæ, inter Pamphyliam, quam habet ad Occidentem, et Syriam, qua finitur ab Oriente; a Septemtrione Tauri jugis terminata, mari Cilicio, et sinu Issico a Meridie abluta. Hodie *Caramania* vocatur. *Graminis Indi*] Costi scilicet, quo abundat India. Plinius lib. xii. cap. 12. 'Radix costi gustu fervida, odore eximio, frutice alias inutili, primo statim introitu amnis Indi in Patule insula.'

Quodque Arabes, Phariique, Palæstinique liquores,
Arsuram lavere comam: cupit omnia ferre
Prodigus, et totos Melior succendere census,
Desertas exosus opes: sed non capit ignis
Invidus, atque arctæ desunt in munera flammæ.

cum, quod dona Indicæ herbæ, quodque succi Arabum, Phariique (palam est, et vidi) abluerunt cremandos capillos. Prodigus Melior vult injicere omnia, et urere totus facultates, aversatus orbatas divitias. Sed invidæ flammæ non capiunt eas, et

161 *Phariique (palam est vidique) liquores* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Gevart. &c. *Phariique (palam est) vidique liquores* Cruc. et Cælius Rhodiginus. Pro *vidique* alii *ubique.* Joannes Seldenus nostras in Prolegom. Syntag. de Diis Syris p. 7. correxit: *Phariique Palæstinique liquores;* quam correctionem sibi ipsis vindicare tentaverunt Salmas. ad Solin. Exercit. p. 400. et Barth. in Comment. Cf. v. Sylv. 1. 212.—163 Lindenbrogius in varr. lectt. citat *succendere sensus.*—164 *Desertas exutus* Venet. 1. Rom. et vet. Lindenbrogii,

NOTÆ

161 *Arabes liquores*] Per Arabicos liquores innuit Myrrhæ guttam, quæ sponte stillat, et eodem nomine, quo arbor, 'myrrha Arabica' vocatur, sive στακτὴ, id est, *gutta*, seu *stilla* Myrrhæ. Myrrhæ autem virtus est maxima, ut corpora servet incorrupta. Est et proverbium Ὅλην Ἀραβίαν ἀποπνεῦσαι, *Totam spirare Arabiam:* Hinc Lucretius 'Arabiam' pro unguentis Arabicis posuit, et Festus adducit proverbium, 'Arabice olere.' De Myrrha vide Plinium lib. XII. cap. 15. et 16. *Pharii liquores*] Pharii seu Ægyptii liquores, Αἰγύπτιον μῦρον, *Ægyptium unguentum* est, quod describit Theophrastus in libello περὶ Ὀσμῶν, *de Odoribus*, his verbis: Τὸ δὲ Αἰγύπτιον μῦρον ἐκ πλειόνων· ἔκ τε τοῦ κινναμώμου, καὶ ἐκ τῆς σμύρνης, καὶ ἐξ ἄλλων· ἔτι δὲ ἐκ πλειόνων τούτων τὸ μεγαλεῖον. *Ægyptium unguentum, ex pluribus, ex cinnamomo scilicet et myrrha, atque aliis: atque adhuc ex pluribus conficitur megaleum.* Inter hoc autem unguentum, et στακτὴν, seu *guttam* Arabicam, tanta affinitas est, ut Didymus, apud Athenæum, duo illa confundat. *Palæstinique* [*Palam est, vidique*] Seldenus legit: *Palæstinique liquores*, per quos opobalsamon intelligit. Quæ lectio confirmari potest hoc loco Pietatis Abascantii: 'Palæstini simul Hebræique liquores.' Sed vulgata lectio optime huic loco convenit. Nam Poëta non solum suo testimonio confirmat, sed totius civitatis, quod Melior tam pretiosa munera impenderit sepulturæ servi. id quod alii non sibi facile persuaderent. Similis locus Epicedio Pileti: 'Sed nec servilis ademto Ignis: odoriferos exhausit flamma Sabæos, Et Cilicum messes, Phariæque exemta volucri Cinnama, et Assyrio manantes gramine succos.'

162 *Arsuram lavere comam*] Hinc discimus comam mortuorum ungi solitam pretiosis unguentis, antequam comburerentur.

164 *Ignis Invidus*] Invidere enim videtur ignis pietatiললioris in servum, cum non velit capere omnia, quæ injicit Melior.

165 *In munera*] Recipienda scilicet, et tangit Poëta morem jam a nobis sæpius notatum injiciendi munera in rogos mortuorum.

Horror habet sensus: qualem te funere summo,
Atque rogum juxta, Melior placidissime quondam,
Extimui! tune ille hilaris, comisque videri?
Unde animi, sævæque manus, et barbarus horror?
Tu modo fusus humi, lucem aversaris iniquam;
Nunc torvus, pariter vestes et pectora rumpis,
Dilectosque premis visus, et frigida libas
Oscula: erant illic genitor, materque jacentis
Mœsta; sed attoniti te spectavere parentes.
Quid mirum? plebs cuncta nefas, et prævia flerunt
Agmina, Flaminio quæ limite Mulvius agger

ignis angustior est ad consumenda dona. Horret adhuc animus, dum cogito, qualem te vidi, et quam pro te timui in supremis exequiis, Melior quondam lenissime, et prope rogum. Tune ille es, qui videbaris jucundus et mitis. Unde tam atroces animi, et crudeles manus, et efferatus horror? Tu modo prostratus terra oderis injustam lucem: nunc trux laceras vestes et pectus, et claudis caros oculos, et oscularis gelidum vultum. Pater et genitrix mortui stabant illic tristes: sed admirantes te conspexerunt. Quid mirum? Omne vulgus et præcedens multitudo, quam Pons Milrius transmittit via Flaminia, deploraverunt hoc nefas, quo puer inno-



quod rectius putat Markl.—168 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *videris.* Gronovius ex codice Sen. Rom. et Venet. 2. restituit, *comisque videri.* Vide ad Theb. VI. 731.—172 Edd. vett. *et frigida lambis.* Bentl. ad Hor. II. Serm. 6. 109. h. l. restituit, ita scribens: 'Apage illud *lambis:* fœdum enim est et inhonestum. Sine dubio legendum: *et frigida libas Oscula;* quod illud Virg. Æn. I. 280. 'Oscula libavit natæ,' vel solum ostendit.'—176 *Milvius*

NOTÆ

169 *Unde animi*] Respondet τῷ supra, *tune hilaris comisque videri?* Id est, tu, qui tam placidis eras moribus, unde animus sæviendi in te ipsum? *Sævæque manus*] Quibus tundis pectus tuum. *Et barbarus horror*] Dolor enim efferat vultum.

170 *Tu modo fusus humi, lucem aversaris iniquam*] Ut solent, qui miserias suas fovent, et incubant suis ærumnis. Hoc effectus impotentis doloris.

171 *Pariter vestes et pectora rumpis* [*tundis*] Hoc ex more; lacerabant enim vestes, et pectora tundebant. Exempla passim obvia. Papinius Theb. III. 'Stat sanguineo discissus amictu Luctus atrox, læsoque invitat pectore matres.' Et alibi.

172 *Dilectosque premis visus*] Hoc propinquorum erat officium, claudere oculos. *Et frigida libas Oscula*] Hoc etiam propinquorum et amicorum erat officium. Et id faciebant quasi excepturi animam fugientem. Cicero in Verrem: 'Filiorum suorum spiritum ore excipere liceat.' Virgil. Æneid. IV. 'Extremo si quis super halitus errat Ore legam.'

174 *Attoniti*] Id est, te admirantes majori dolore correptum, quam seipsos.

175 *Nefas*] Quasi crimen erat Fatorum seu Deorum, (sic loquebantur veteres,) quod immatura morte raptus fuit tam pulcher, ac probus puer.

176 *Flaminio limite*] Flaminia via.

Transvehit, immeritus flammis dum tristibus infans
Traditur, et gemitum formaque ævoque meretur.
Talis in Isthmiacos prolatus ab æquore portus
Naufragus imposita jacuit sub matre Palæmon:
Sic et in anguiferæ ludentem gramine Lernæ
Præcisum squamis rabidus tulit anguis Ophelten.
Pone metus, letique minas desiste vereri:
Illum nec terno latrabit Cerberus ore,

cens, et dignus omnium lacrymis ob decorem et ætatem, injicitur mæstis ignibus. Talis Palæmon, cum aquis suffocatus, et repulsus a mari fuisset in portus Isthmiacos, jacuit sub imposita matre. Sic anguis avidus bibit sanguinem Opheltæ, quem squamis secuerat, dum luderet in cespite Lernæ serpentiferæ. Depone metum, et desine timere minas Inferorum. Cerberus non allatrabit illum triplici hiatu; nullæ

agger edd. vett.—178 In iisdem: *formaque ac voce meretur.* Correctio est a Jano Gulielmo in Quæst. Plaut.—179 *Talis in Isthmiacos ploratus* Rom. *delatus* Parm.—181. 182 Aldd. Colin. Gryph. &c. *Sic et in anguiferæ l. g. Lernæ Precisum squammis avidus bibit.* Parm. *auguriferæ l. g. Lernæ Resci-*

NOTÆ

Hæc autem a Consule Flaminio lapidibus strata est, ab urbe Roma per Tusciam ac Umbriam Ariminum usque. Strabo lib. v. Prope hanc viam sepultus est Glaucias. Martialis epigrammate supra citato: 'Hoc sub marmore Glaucias humatus, Juncto Flaminiæ jacet sepulcro.' Constat enim sepulcra veterum prope publicas vias fuisse; ratio vero, ut prætereuntes mortalitatis admonerentur. *Mulvius agger*] Pontem Mulvium intelligit.

178 *Gemitum*] Omnium scilicet spectantium.

179 *Talis*] Exempla sumit a pueris in prima ætate raptis, quales fuere Palæmon et Archemorus. *Isthmiacos portus*] Lechæum, ad quod corpus Palæmonis fluctibus maris relatum est. *Isthmiacos*] Quia Lechæum portus est Corinthi ad sinum Cryssæum sive Corinthiacum, qui Isthmum Peloponnesi ad occidentem alluit. Nam alter portus, qui sinu Saronico ab oriente alluitur, vocatur Cenchreæ. Hinc 'Lechæum Palæmonium' dicitur Papinio Theb. II. 'Irataque terræ Curva Palæmonio secluditur unda Lechæo.'

180 *Palæmon*] Palæmon filius Athamantis et Inus, quæ cum furentem Athamantem videret, metu se cum filio Palæmone in mare projecit. Vide Theb. I. 14. *Sub matre*] Inone.

181 *Anguiferæ Lernæ*] Lerna palus et urbs Argolidis. Hic vero per Lernam intelligit agrum Lernæum. Dicitur *anguifer*, vel propter Hydram, quam occcidit Hercules, vel propter anguem, qui parvulum occidit Archemorum. *Ludentem Ophelten*] Archemorum, cujus historia casusque refertur Theb. v. In hoc tamen libro non morsu, sed ictu caudæ serpentis periisse Archemorum refert Poëta.

184 *Cerberus*] Cerberus canis accubans portæ Inferorum. *Terno ore*] Cerberus enim habebat tria capita.

Nulla soror flammis, nulla assurgentibus hydris
Terrebit: quin ipse avidæ trux navita cymbæ
Interius steriles ripas, et adusta subibit
Littora, ne puero dura ascendisse facultas.
Quid mihi gaudenti proles Cyllenia virga
Nuntiat? estne aliquid tam sævo in tempore lætum?
Noverat effigiem, generosique ardua Blæsi
Ora puer, dum sæpe domi nova serta ligantem
Te videt, et similes tergentem pectore curas.

Furiæ terrebunt illum facibus, aut erectis anguibus: quin ipse terribilis nauta avaræ cymbæ intrabit propius infœcunda littora, et tostas ripas, ne difficilis sit ascensus puero. Quid soboles Cyllenia mihi nuntiat læto caduceo? Estne aliquid jucundi in tam acerbo tempore? Infans noverat imaginem et celsum vultum fortis Blæsi, dum sæpe domi viderat te eum novis sertis coronantem, et eum pari ac se amore prose-



sum. Lectio nostra est ex correctione Marklandi.—186 Rom. *aridæ dux navita cymbæ.*—193 Parm. et Venett. *et similes tergentem pectore curas.* 'Hoc est detergentem; tanquam serta illa in doloris solatium ligentur. Sic primæ edd. nec mutari debuit in: *volventem pectore curas.*' Heins. Advers. lib. III.

NOTÆ

185 *Nulla soror flammis, nulla assurgentibus hydris*] Furias intelligit, quæ faces in manibus habent, et angues pro capillitio.

186 *Avidæ trux navita cymbæ*] Charon. *Avidæ cymbæ*] Quia omnes transmittit in Inferos.

187 *Steriles ripas*] Nihil enim in Inferis gignitur. *Adusta Littora*] Ob Pyriphlegethontem, qui ardentes undas volvere dicitur.

189 *Proles Cyllenia*] Mercurius in Cyllene monte Arcadiæ genitus. *Virga*] Virgam enim fert Mercurius. Vide Theb. I. 306.

191 *Effigiem*] Veteres defunctorum sibi carorum imagines amoris et memoriæ ergo sibi fieri curabant, servabantque domi, et floribus coronisque ornabant. Qui cultus Manium erat notissimus. Seneca: 'Imagines nobis amicorum jucundæ sunt, quæ memoriam renovant, et desiderium absentiæ falso ac inani solatio levant.' Plinius lib. Ep. 'Virginium video: Virginium cogito: Virginium jam vanis imaginibus, recentibus tamen, audio, alloquor, teneo.' *Ardua*] Quia forte Blæsus altæ erat staturæ, vel quia in alto loco posita ejus effigies. *Blæsi*] Hunc Blæsum volunt interpretes fuisse puerum quem unice diligebat Melior. Sed non facile mihi persuaserim hunc Blæsum fuisse libertum Melioris, sed potius amicum carissimum: nam illum Papinius infra inducit ambulantem inter proceres Romanos, et seriem Quirini; quod de liberto non dixisset Papinius decori observantissimus. Adde quod epithetum illud *generosi* repugnat huic notioni. Forte est ille Junius Blæsus, quem occidi jussit Vitellius. Consule Tacitum. Lege Martial. lib. VIII. Epigr. 38. ad Meliorem, in quo celebrat ejus pietatem in Blæsum.

193 *Similes curas*] Id est, similem affectum, similem amorem, quo se, scilicet Glauciam, prosequebatur.

Hunc ubi Lethæi lustrantem gurgitis oras
Ausonios inter proceres seriemque Quirini
Agnovit, timide primum vestigia jungit
Accessu tacito, summosque lacessit amictus:
Inde magis sequitur; neque enim magis ille trahentem
Spernit, et ignota credit de stirpe nepotum.
Mox ubi delicias, et rari pignus amici
Sensit, et amissi puerum solatia Blæsi;
Tollit humo, magnaque ligat cervice, diuque
Ipse manu gaudens vehit; et, quæ munera mollis
Elysii, steriles ramos, mutasque volucres

quentem. Ubi agnovit hunc obeuntem ripas Lethæi fluminis inter optimates Italos et nepotes Quirini, initio pavide vestigiis ejus insistit tacito gradu, et apprehendit oram illius vestis; inde sequitur liberius: neque ille Blæsus ægre tulit, quod se traheret, et putat esse aliquem de ignota sobole suorum posterorum. Mox ubi sensit delicias, et natum cari amici, et qui fuerat solatium suæ ipsius mortis, levat e terra eum, et amplectitur ingenti collo, et diu lætus ipse inter brachia tenet, et dedit ei infœcundas frondes, tacitasque aves, et flores pallentes marcidis gemmis, quæ sunt

cap. 4. p. 432. 'Poterat,' inquit idem ad Claud. Præf. in Rufin. 4. 'eadem significatione dixisse: *simili tergentem pectora cura.*' Rom. *similes regentem p. curas;* unde Gronov. Diatr. cap. 21. scribendum dicit: *similes repentem, &c.* Aldd. Colin. Gryph. &c. *volventem.*—198 'Vox *enim* huic loco minime accommoda, utpote rationem reddens sine causa. Lege, *neque jam magis.* Deinde, *ille trahentem Spernit: trahentem* quid? utrum Bræsum vel amictus ejus? at utrumvis rusticitatis esset intolerandæ. Lege: *Inde magis sequitur; neque jam magis ille sequentem, &c.* repetitione eleganti et poëtis usitatissima. Virg. Georg. III. 392. Ovid. Met. XV. 143. Probabile est primam syllabam *se* amissam esse in præcedente *le;* unde pro *quentem,* supplendo versui fecerunt *trahentem.*' Markl. Pro *enim* Venet. 1. habet *eum.*—203 'Quatuor hæc verba, *quæ munera mollis Elysii,* parenthesi sunt includenda. Hæc enim et non alia dona suppetere iis locis ait.' *Barth.*—204 Parm. *steriles campos mul-*

NOTÆ

Curæ enim ibi affectus, amor, ut eodem Epicedio: 'Tu modo deliciæ, tu dulces pectore curæ.' Claudianus de bello Gildonico: 'Non illis generis nexus, non pignora curæ, Sed numero languet pietas.' Idem de bello Getico: 'Vestros stimulant si pignora sensus, Me quoque non impar naturæ cura remordet.' Ita Q. Aurelio Symmacho: 'Unici cura retineri.'

194 *Lethæi gurgitis*] Lethes fluvii inferni.

195 *Ausonios*] Italos seu Romanos. Itali enim 'Ausones' prius dicti, et Italia 'Ausonia.' *Seriemque Quirini*] Id est, posteros Quirini, id est, Romuli, qui post mortem inter Deos relatus fuit, et 'Quirinus' vocatus.

198 *Ille*] Blæsus scilicet.

201 *Amissi puerum solatia Blæsi*] Id est, puerum quo Melior solatus est se, extincto Blæso.

203 *Mollis Elysii*] Elysium hic pro loco quietis proborum.

204 *Steriles ramos*] Non ferentes

Porxit, et obtuso pallentes germine flores.
Nec prohibet meminisse tui; sed pectora blandus
Miscet, et alternum puero partitur amorem.
Hic finis rapto: quin tu jam vulnera sedas,
Et tollis mersum luctu caput? omnia functa,
Aut moritura vides: obeunt noctesque, diesque,
Astraque, nec solidis prodest sua machina terris.
Nam populos, mortale genus, plebisque caducæ
Quis fleat interitus? Hos bella, hos æquora poscunt:
His amor exitio, furor his, et sæva cupido;
Ut sileam morbos: hos ora rigentia Brumæ,
Illos implacido letalis Sirius igni,

dona amœni Elysii. Nec vetat puerum tui recordari: sed blandus miscet affectus, et dividit cum eo alternum tui amorem. Hic finis Glauciæ mortui. Quin tu nunc mitigas plagam, et levas caput dolore obrutum? Cernis omnia mortua aut peritura. Noctes et dies ac sidera occidunt, et terræ soliditas non impediet quominus dissolvatur. Quis postea ploret gentes morti obnoxias, et caducum vulgus? Hos bella, hos maria poscunt: his amor, his ira, et crudelis libido exitio est. Ut omittam morbos. Hos hyems algenti facie, illos Sirius letalis immiti ardore, hos pallens autumnus ore

tasque volucres.—205 ‘Melius scribas, *Porgit.*’ Barth. Parm. habet *Carpsit*; Rom. *Porsit*; Parm. etiam *obtunso.* Marklandus legi jubet: *et obtuso pallentes lumine flores.* Cf. Auson. Cupid. Cruc. 8. et Plin. Epist. v. 6.—207 Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *pueri partitur amorem.* Mutavit Marklandus. Cf. Theb. I. 474. seqq.—210 Parm. *pereunt noctesque diesque.* ‘Recte *obeunt.* Nemo igitur legat *abeunt noctesque diesque:* licet hoc quoque optimum sit et usitatissimum. Sed non opus est.’ *Markl.*—214 Pro *sæva cupido*, quod omnes codd. testantur, idem Marklandus legi malit *cæca cupido,*

NOTÆ

fructum. *Mutas*] Non canentes.

205 *Porxit*] Pro porrexit. *Et obtuso pallentes germine flores*] Elysii enim flores pallent extincta gratia, et colore.

207 *Et alternum puero* [*pueri*] *partitur amorem*] Id est, ut pariter secum te amet.

211 *Astraque*] Alio sensu Horatius: ‘Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ. Nos ubi decidimus,’ &c. *Nec solidis prodest sua machina terris*] Veteres persuasum habebant non solum terram, sed totum mundum aliquando periturum, omniaque in primum Chaos reditura. Seneca Hercule Œtæo: ‘Cœli regia concidet, certos atque obitus trahet; Atque omnes pariter Deos perdet mors aliqua et chaos: Et mors fata novissima in se constituet sibi.’

213 *Hos bella*] Bella hos rapient. *Hos æquora poscunt*] Id est, hi in aquis peribunt.

216 *Sirius*] Sirius, sidus Caniculæ, quod pestes et mortalitatem gignere solet plerumque. Vide Theb. I. 635.

Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu.
Quicquid habent ortus, finem timet: ibimus omnes,
Ibimus: immensis urnam quatit Æacus ulnis.
Ast hic, quem gemimus, felix, hominesque, Deosque,
Et dubios casus et cæcæ lubrica vitæ
Effugit, immunis fati: non ille rogavit,
Non timuit, renuitve mori. Nos anxia plebes,
Nos miseri, quibus unde dies suprema, quis ævi
Exitus, incertum; quibus instet fulmen ab astris,
Quæ nubes fatale sonent. Nil flecteris istis?
Sed flectere libens. Ades huc emissus ab atro

imbrifero extinguit. Quicquid habet principium, metuit finem. Ibimus cuncti, ibimus. Æacus movet urnam innumeris umbris. At hic, quem lugemus, beatus evasit homines et numina, casusque incertos, et vices ancipitis vitæ, expers fati. Non ille optavit, non metuit, nec meruit mori. Nos solicitum vulgus, nos infelices, quibus ignotum, quando, aut quo fine moriemur: a quibus sideribus fulmen impendeat, quæ nubes findantur in nostrum exitium. Nihil istis moveris? sed movebere

ut ap. Lucr. Ovid. Virg. Juvenal. &c.—218 Venet. 1. *finem dabit.*—219 Codex Ms. quem contulit N. Heinsius habuit: *immensis urnam quatit Æacus ulnis,* teste Burmanno ad Val. Flac. I. 658. et ita Parm. Pro *ulnis* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Bern. Gronov. Barth. Veen. et Delph. habent *umbris.*—220 *Est hic* Parm. et Rom.—223 Omnes codd. et edd. vett. *Non timuit, metuitve mori.* Lectio nostra debetur N. Heinsio in Advers. lib. IV. cap. 6. p. 609. cujus lectionis totam ei laudem eripere conatus est Marklandus.—

NOTÆ

217 *Imbrifero pallens Autumnus hiatu*] Juvenalis: 'Autumnumque gravem Libitinæ quæstus acerbæ.'

218 *Quicquid habent ortus*] Alias *habens,* sed male; est enim analogia numeri. Morellus legit *habet.* Seneca Hercule Œtæo: 'Quod natum est, poterit mori.' Πᾶν τὸ γιγνόμενον φθαρτόν· *Omne ortum occidit.* 'Cui nasci contigit, restat mori.'

219 *Immensis urnam quatit Æacus ulnis*] Æacus judex Inferorum. Nota autem urna judicum. Vide Theb. IV. Horatius: 'Omne capax movet urna nomen.' Ovidius: 'Tuasque Æacus in pœnas ingeniosus erit.'

220 *Hominesque, Deosque, Effugit*] I. e. nihil timere debet nec ab hominibus, nec a Diis, ut quorum potestati subtractus sit.

221 *Cæcæ*] Ob inconstantiam et vices fortunæ.

222 *Non ille rogavit*] Supple mori, ut miseri facere solent.

223 *Timuit mori*] Ut timidi, ignavique, ac nimium dediti mundo. Martialis: 'Summum nec metuas diem, nec optes.' *Renuitve* [*meruitve*] *mori*] Id est, nihil commisit dignum morte.

227 *Ades huc emissus ab atro Limite*] Credebant veteres manes noctu errare in terris, et in somnis apparere amicis carisque, ut eos suis alloquiis delectarent. Apud Euripidem rogat Admetus uxorem morientem, ut sibi

Limite, cui soli cuncta impetrare facultas,
Glaucia; (nam insontes animas nec portitor arcet,
Nec diræ comes ille feræ;) tu pectora mulce,
Tu prohibe manare genas; noctesque beatas
Dulcibus alloquiis, et vivis vultibus imple:
Et periisse nega, desolatamque sororem,
Qui potes, et miseros perge insinuare parentes.

libens. Adsis huc remissus a nigris foribus, Glaucia, cui soli potestas est obtinendi omnia; nam nec portitor, nec illa fera triplici capite repellit innocentes animas. Tu leni pectus, tu veta genas rigari fletibus. Effice noctes felices grato sermone, et præsentia tui vultus recrea illum. Affirma te non interiisse, et quantum potes, persevera commendare Meliori sororem solam relictam, et infelices parentes.

228 *Limine* in omnibus fere edd. *Limite* primus quamvis tacite reposuit Gronovius, qui ad Senec. Controv. IV. 24. citans hunc locum habet: *ub atro Carcere.*—229 *Glaucias insontes animas* Parm. probante Heinsio ad Sil. Ital. XIII. 845.—230 'Mirus est hoc in loco Barthius, qui legit, *Nec trinæ canis ille feræ.* Si dixisset *canis trino capite* vel *ore* intellexissem; sed *canis trinæ feræ* tam monstrosum est quam ipse Cerberus. Recte se habet vulgata lectio.' *Markl.* 'Infeliciter h. l. conjectura superflua tentavit Barthius.' *Heins. Gronovio.* Vide Syllog. Epist. Tom. III. p. 514. Vide etiam Heins. ad Sil. Ital. XIII. 845.—234 *Qua potes* Rom. Til. Gronov. et Barth. *Qui potes* Venet. 1. Parm. Aldd. Colin. Gryph. Bern. aliæ.

NOTÆ

in somnis appareat. Philostratus in Ἡρωικ. de Achille: *ᾠδήν τε γὰρ τῆς λύρας τὸν Παλαμήδη ἐπεποίητο, καὶ ᾖδεν αὐτὸν, ὡς τοὺς προτέρους τῶν ἡρώων· ἐδεῖτο τε ὄναρ ἐφίστασθαί οἱ, σπένδων ἀπὸ κρατῆρος, οὗ Ἑρμῆς ὑπὲρ ὀνείρων πίνει.* Hinc petit illa in veteri lapide: COMMENDATUM. HABEATIS. CHARUM MEUM. ET. VELITIS. HUIC. INDULGENTISSIMI. ESSE. HORIS. NOCTURNIS. UT EUM. VIDEAM. ET. ETIAM. MI. FATU SUADERE. VELIT. UT. ET. EGO. POSSIM DULCIUS. ET. CELERIUS. AD. EUM. PERVENIRE. *Atro Limite*] Finibus inferni, qui ater dicitur ob perpetuas tenebras.

228 *Cui soli cuncta impetrare facultas*] A Meliore scilicet. Impetrare pro 'impetrandi' Poëtice.

229 *Portitor*] Charon.

230 *Diræ comes* [*trinæ canis*] *ille feræ*] Cerberum dicit, unum canem, sed trium ferarum capita præferentem. *Pectora mulce*] Melioris scilicet.

232 *Vivis vultibus*] Id est, appareas illi qualis eras vivus.

233 *Et periisse nega*] Οὔτι πω τέθνηκας, *Neutiquam interiisti*, solenne fuit accinere in laudem et gratulationem Harmodii liberatoris patriæ. Aristides Epicedio in Eteonum. *Desolatamque sororem*] Id est, solam relictam.

234 *Qui* [*Qua*] *potes, et miseros perge insinuare parentes*] Id est, perge, dum in somnis appares, commendare Meliori desolatam sororem et miseros parentes. *Qui* [*Qua*] *potes*] Id est, quantum potes, vel ea gratia, qua vales apud Meliorem.

II. VILLA SURRENTINA † POLLII ‡ FELICIS.

Papinius, finitis Neapoli quinquennalibus ludis, Romam rediens, et rogatus a Pollio, ejusque uxore Polla elegantissima matrona, ut in Surrentinum diverteret, Pollio pro amica hospitalitate gratias relaturus, villam Surrentinam quam ingeniosissime describit.

Est inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,
Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi,
Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos
Uritur, et prelis non invidet uva Falernis.

Stat sublimis villa, spectans mare Dicæarchæum, inter muros celebres nomine Sirenum, et scopulos gravatos delubro Minervæ Tyrrhenæ, ubi est campus carus Baccho, ac uvæ torrentur in excelsis collibus, nec invident iis, quæ calcantur in

Surrentinum Pollii edd. vett. Lucius Scoppa lib. I. cap. 30. *Sirentinum* legi voluit. *Villa Surrentina Polli et elicis* Salisb. *Villa Surrentina Pollii Fe-*

NOTÆ

† *Surrentinum*] Surrentum, in cujus agro sita erat illa villa Surrentina Pollii, est Campaniæ urbs a Græcis condita, alio nomine dicta 'Petræ Sirenum.' Plinius lib. III. cap. 5. Strabo lib. V.

‡ *Pollii*] Pollius ille erat civis Puteolanus ditissimus, bonis literis ac Philosophia imbutus, eloquens, ac placidis moribus, et Papinio inter præcipuos amicos cultus. Hunc laudat Noster pluribus suarum Sylvarum locis.

1 *Notos Sirenum nomine muros*] Intelligit Surrentum, quod, ut supra diximus, vocatum, 'Petræ Sirenum.' De Sirenibus vide supra Epicedio Glauciæ, vs. 10.

2 *Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ*] Innuit Promontorium Surrentinum, in quo Athenæum, seu delubrum Minervæ, ab Ulysse conditum, situm erat. Huic Promontorio ab altera parte oppositæ sunt tres parvæ insulæ 'Sirenusæ' vocatæ, quas Noster in Hercule Surrentino vocat 'notas Sirenum nomine rupes.' Dicitur *Tyrrhenæ*, a Tyrrhenis, qui totam hanc oram Campaniæ olim tenuerunt, teste Strabone lib. V.

3 *Dicarchei profundi*] Per Dicarcheum profundum intelligit sinum Puteolanum, sic vocatum a Puteolis oppido Campaniæ, olim vocato 'Dicarchea,' ut videre est apud Stephanum, Eusebiumque, ac alios. Festus: 'Dicearchia' vocabatur, quæ nunc *Puteoli*, quod ea civitas quondam justissime regebatur.

4 *Bromio*] Baccho. *Collesque per altos Uritur, et prelis non invidet uva Falernis*] Hinc 'Surrentina vina,' et 'Surrentini colles' Columellæ lib. III. cap. 2. Surrentina enim vina contendebant cum reliquis omnibus, teste Strabone. Vide Plinium lib. XIV. cap. 6. *Falernis*] Vide eundem Plinium loco citato. Vide et Athenæum.

Huc me post patrii lætum quinquennia lustri,
Cum stadio jam pigra quies, canusque sederet
Pulvis, ad Ambracias conversa gymnade frondes,
Trans gentile fretum placidi facundia Pollî
Detulit, et nitidæ juvenilis gratia Pollæ,

torcularibus Falernis. Eloquentia lenis Pollii, et juvenilis decor nitidæ Pollæ illuc coëgit me divertere, cum multum cuperem flectere gradum, qua Appia princeps longarum viarum calcatur noto itinere, petens lætus Romam, finitis in patria quinquennalibus ludis, ubi jam vacuum stadium otiaretur, et albus pulvis sederet, et ludi

****

licis Rhod. quod reposuit Gronovius.—7 'Pessime hic inseritur vox *pigra*; quare enim *pigra* potissimum, cum *placida*, vel *læta*, vel quodvis aliud epitheton melius conveniret? *pigra quies* in malam fere partem sumitur. Infra Arbore Atedii vs. 67. Kal. Decemb. 91. Achil. I. 438. Apul. Miles. XI. Quare igitur *pigra* de stadio? vel denique quodnam opus ullo epitheto, cum satis fuisset dixisse: *cum stadio jam quies esset?* Lege: *Cum stadio jam parta*

NOTÆ

6 *Huc me post patrii lætum quinquennia lustri, &c.*] Mens: Cum ex Neapoli patria mea, ubi ludis gymnicis quinquennalibus interfueram, et ludis jam ad Actium transeuntibus, Romam repeterem, Pollius meus coëgit me deflectere Surrentum. *Patrii lustri*] Intelligit ludos Gymnicos et Musicos in honorem Augusti institutos, ut habet Suetonius, quinto quoque anno celebrari solitos Neapoli, quæ erat patria Papinii; unde dicit *patrii lustri.* Hi autem ludi nulli Græcorum cedebant, teste Strabone.

7 *Cum stadio jam pigra quies canusque sederet Pulvis*] Hac phrasi significare vult Papinius finitos fuisse Neapoli ludos. *Canus Pulvis*] Cum jam stadium siccaretur, albesceret.

8 *Ad Ambracias conversa gymnade frondes*] Mens: Ludos Neapoli finitos transisse Actium. Quo discimus ludos Actiacos edi solitos post Neapolitanos. Actiaci ludi erant etiam quinquennales et instituti ab Augusto, teste Suetonio, Augusto cap. 18. *Ambracias* vero, quia Actium erat ad dextram sinum Ambracium ingredientibus: ibi vetustissimum erat Apollinis templum ab Augusto instauratum, et magnis reditibus ditatum. *Frondes*] Quia præmium in plerisque ludis erat corona foliacea; unde vocantur *ἀγῶνες φυλλιναῖσι, καὶ φυλλόφορει.* Et Pindarus ludos Olympicos *χρυσοστεφάνους* vocat, id est, *καλλιστεφάνους*, ob oleæ frondes, præmia victorum, ut habet Scholiastes. *Gymnade*] Hac voce utitur sæpe Papinius pro ludis Gymnicis, præcipue vero pro lucta.

9 *Trans gentile fretum*] Intelligit fretum Adriaticum seu mare superum. *Gentile* vero, quia Mare Adriaticum una parte alluit Epirum, Ambraciumque sinum efficit, ubi Sellæ urbs Epiri, unde originem generis sui ducebant Papinii, ut videbimus Epicedio patris. *Placidi facundia Polli*] Noster infra Hercule Surrentino: 'Notas Sirenum nomine rupes, Facundique larem Polli non hospes habebam Assidue, moresque viri, pacemque.'

10 *Et nitidæ juvenilis gratia Pollæ*] Polla erat uxor Pollii. Idem, ibidem de eadem: 'Nitidæque cohors gratissima Pollæ.' *Nitidæ*] Elegantis et

Flectere jam cupidum gressus, qua limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.
Sed juvere moræ. Placido lunata recessu
Hinc atque hinc curvas perrumpunt æquora rupes:
Dat Natura locum; montique intervenit udum

transissent gentilem sinum ad Ambracias palmas. Sed moræ profuerunt. Mare in tranquillo sinu in formam lunæ curvatum elidit hinc et hinc curvos scopulos. Natura præbet locum. Imum littus subtus montem excavat, et penetrat in terras,

quies. Virg. Æn. III. 495. VII. 598. &c.' *Markl.*—12 'Ineptiunt qui contra libros, ut puto, veteres, certe editiones et Aldinam, legunt: *tersarum t. r. viarum.* Quid enim ad tot dierum viam *tersarum viarum* præcipuam esse?' *Barth.*—15 Edd. vett. *montique intervenit unum.* N. Heins. Advers. lib. I. cap. 10. correxit: *montique intervenit udum,* hæc tamen subjungens: 'Sed nefas a Gronovio dissentire, qui verius illic reddidit *imum Littus.*' Nunc audi Marklandum, qui hanc Heinsianam correctionem, tanquam suam, venditat: 'Gronovius Diatr. cap. 15. frigiditate epitheti *unum* offensus, primo legebat *uncum Littus,* pro *unum;* quam sententiam postea mutavit; et affirmat Statium scripsisse *imum Littus;* præsertim cum ita habeat etiam

NOTÆ

splendidæ vitæ: unde 'nitidus' opponitur ab Horatio, rustico.

12 *Appia*] Appia, supple Via, dicta fuit ab Appio Claudio censore, cui postea Cæco cognomen fuit, qui hanc viam a porta Capena, usque ad urbem Capuam muniendam curavit. Is multis tergiversationibus dicitur extraxisse censuræ tempus, donec hanc viam, et aquæ Appiæ etiam dictæ ductum perficeret. Illam viam usque Capuam solum stravit lapidibus Appius. Cæsar vero, teste Plutarcho, ei curandæ multum laboris et sumtuum impendit. Tandem Trajanus ad Brundusium usque perduxit. Dicitur *regina* Papinio, vel quia longior aliis; Procopius enim tantam hujus viæ longitudinem esse dicit, ut eam quinque dierum spatio vir expeditus vix posset emetiri. Vel quia 'triumphalis,' quia hac via portaque Capena triumphi transibant. *Longarum*] Alii codices, *tersarum.* Nec male; nam discimus ex eodem Procopio, hanc viam tersam esse. Ait enim lapides in ea ita fuisse connexos et valide inter se cohærentes, ut speciem visentibus præberent, non conjunctos ita, sed congenitos esse. Et quamvis, inquit, tot jam sæculis atterantur assiduis plaustris jumentisque; tamen neque serie sua vel minimum exeunt, aut dimoventur, neque franguntur, aut lævorem suum amittunt.

13 *Placido lunata recessu*] Seneca: 'Quousque nullus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia immineant, nullum flumen, cujus non ripas ædificia vestra prætexant. Ubicumque in aliquem sinum littus curvabitur, vos protinus fundamenta jacietis, nec contenti solo, nisi quod manu feceritis maria cogetis introrsus.'

15 *Dat natura locum*] Commodum scilicet construendæ villæ. *Montique intervenit udum* [*imum*] *Littus, et in terras, scopulis pendentibus, exit*] Dicit Papinius, littus quod olim nihil nisi scopulus erat, cum rupibus mare alli-

Littus, et in terras, scopulis pendentibus, exit.
Gratia prima loci, gemina testudine fumant
Balnea, et e terris occurrit dulcis amaro
Nympha mari: levis hic Phorci chorus, udaque crines
Cymodoce, viridisque cupit Galatea lavari.

rupibus supra pendentibus. Prima loci venustas, balnea fumant duplici fornice, et dulcis aqua obviam it e terris salso æquori. Hic levis cohors Phorci, et Cymodoce madidis comis, et viridis Galatea optant se abluere. Cæruleus rector turgentis

codex Senensis. Sed mihi nequaquam persuadet: licet hoc quoque ingerat Elench. Antidiatr. cap. 3. Adhuc enim dico epitheton *imum* frigidum esse et otiosum; quippe si aliquod est *imum Littus*, quæro quid sit *summum Littus?* ad hoc respondet: '*Summum Littus* sunt *scopuli pendentes*.' Voluit Statius dicere *Littus* simpliciter (sine distinctione minime necessaria *summi* et *imi*) subire montem. Noluit vero hanc vocem *Littus* epitheto nudam relinquere: scripsit: *montique intervenit udum Littus*.'—16 Parm. *et in terris*. Marklandus conj. *et ulterius, s. p. exit*. Gronovius, qui loco jam citato lectionem vulgatam defendit, conj. *et in thermas;* postea vero destituit.—19 *Lympha* legunt alii. Vide Heins. ad Ovid. Heroid. Epist. v. 31. Burm. ad Propert. III. 16. 4. et supra ad I. Sylv. 3. 37. 'Legas forte melius *Lymfa*' Barth.—

NOTÆ

deretur, *in terras* nunc exire, quas scilicet exciso et fornicato scopulo sterni ponique ibi curavit Pollius: supra illas terras et terreum littus pendentibus scopulis excisis, qui antea pleni et continui erant. Summum littus, seu superior pars littoris, sunt scopuli pendentes. *Imum*] Quia aqua presso in montem delabitur alveo, *monti intervenit, et exit in terras scopulis pendentibus*. Qui ideo proprie pendentes, quia non sustinentur, sed alligati sunt, et adhærent parti interiori: pars superior tegit, quippe rupes fornicata, et cavata, imum littus, seu inferiorem partem, quæ terrea est. *Gronovius.*

16 *Terras*] Sunt hæ de quibus infra: 'Hic nec terra fuit: domuit possessor, et illum Formantem rupes expugnantemque secuta Gaudet humus.'

17 *Gratia prima loci, gemina testudine fumant Balnea*] Sic construendum: 'Balnea, gratia prima loci, gemina testudine fumant. *Gemina testudine*] Gemina testudo, sunt fornices gemini in ipsum scopulum excisi. Vide quæ diximus ad vs. 43. Tiburtini.

18 *E terris*] Id est, e balneis in terra sitis. *Amaro*] Quia mare salsum est.

19 *Phorci*] Phorcus, vel Græco more Phorcys, seu Phorcyn, Phorcynos, filius Neptuni, et Theseæ Nymphæ, rex Corsicæ et Sardiniæ. Hic ab Atlante navali prælio victus et submersus fuit: postea in Deum marinum conversus. *Phorci chorus*] Chorus Phorci, sunt Nymphæ maris, ac Naiades.

20 *Cymodoce*] Cymodoce Nympha marina, Nerei et Doridis filia, a placandis undis sic dicta. Hujus meminit Virgilius Æneid. x. 'Quarum quæ fandi doctissima Cymodocea.' Erat altera Cymodoce Oceani et Tethyos filia, de qua Virgilius Georg. IV. *Galatea*] Galatea Nympha marina, Nerei et Doridis filia, adamata a Polyphemo.

Ante domum tumidæ moderator cœrulus undæ
Excubat, innocui custos laris: hujus amico
Spumant templa salo: felicia rura tuetur
Alcides: gaudet gemino sub numine portus.
Hic servat terras, hic sævis fluctibus obstat.
Mira quies pelagi: ponunt hic lassa furorem
Æquora, et insani spirant clementius Austri.
Hic præceps minus audet hyems, nulloque tumultu
Stagna modesta jacent, dominique imitantia mores.
Inde per obliquas erepit porticus arces,
Urbis opus; longoque domat saxa aspera dorso.

maris excubias agit ante ædes, custos innoxiæ domus: hujus fanum spumat amicis aquis. Alcides conservat beatos agros. Portus lætatur sub præsidio duorum Deorum: hic custodit agros, hic resistit undis furentibus. Stupenda est hic maris tranquillitas. Hic fatigata æquora deponunt furorem, et impetuosi Austri flant benignius. Hic præceps hyems minus strepit, et lacus tranquilli nullum edunt tumultum, et imitantur mores domini. Inde porticus sensim assurgit per obliquas rupes, opus urbe dignum, et superat extenso tractu rudes scopulos. Qua lux prius

26 'Magis poëticum facies, si mecum legas: *Mira fides pelagi:* ita III. Sylv. 1. Æn. III. 69. Claud. de Bel. Gildon. 499. et Petron. Arb. Satyrico. Non quin probum sit *quies pelagi,* suo loco. Lucan. v. 442. Præstaret tamen hoc Statii loco *fides,* si codex aliquis addiceret. Ita commutantur hæ voces Theb. v. 320.' *Markl.* Totum hunc locum ita constituit Wakefieldus Sylv. Crit. Part. v. p. 36. *Hic servat terras, hic sævis fluctibus obstat; Mira quies:*

NOTÆ

21 *Tumidæ moderator cærulus undæ Excubat*] Templum enim illic erat Neptuni, unde fluctus ejus imperio reprimuntur, ne sæviant in lares innocuos et pios. *Cærulus*] Epithetum Neptuni, et aquarum. *Tumidæ undæ*] Id est, maris, quæ sæpius ventis agitata intumescit.

22 *Innocui laris*] Domus Pollii, cujus probitas hic laudata nostro, et aliis Sylvarum locis. *Amico*] Quia Neptunus diligebat Pollium.

23 *Felicia rura tuetur Alcides*] Intelligit templum Herculis, quod postea Pollius refecit, et magnificentius exstruxit, ut discimus ex Hercule Surrentino. Hinc Alcides seu Hercules cognomine 'rusticus,' 'agrestis' nostro, Hercule Surrentino. Idem et Sylvanus in veterum monumentis dicitur Victori in descriptione Romæ.

24 *Gemino sub numine*] Neptuni scilicet, et Herculis.

29 *Stagna modesta*] Sic vocat mare, quia non agitatur hic ventis, sed jacet, seu non movetur, ut si stagnum esset. *Dominique imitantia mores*] Laudat semper Pollium a placidis moribus.

30 *Inde*] Ex littore scilicet ducta est porticus. *Erepit*] Erat enim clivosa, quia in altum ducta. *Arces*] Sic vocat villam Surrentinam ob magnificentiam et altitudinem ædium.

31 *Urbis opus*] Id est, tam pulchra erat porticus, ut urbem deceret. *Longo dorso*] Longo ædificio exciso

Qua prius obscuro permixti pulvere soles,
Et feritas inamœna viæ, nunc ire voluptas:
Qualis, si subeas Ephyres Baccheiados altum
Culmen, ab Inoo fert semita tecta Lechæo.
Non, mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes,
Et superet Pimplea sitim, largeque volantis
Ungula se det equi, reseretque arcana pudicos
Phæmonoë fontes, vel quos meus, auspice Phœbo,
Altius immersa turbavit Pollius urna,

obscurabatur denso pulvere, et via propter asperitatem difficilis erat, nunc gratissimum est ambulare. Sic tectus trames ducit ab Inoo Lechæo, cum conscendis excelsum verticem Ephyres Baccheidos. Quamvis Helicon mihi largiretur totas suas aquas, ac Pimplea restingueret meam sitim, et fons eductus ictu ungulæ equi volantis præberet se hauriendum mihi, et secreta Phæmonoë recluderet castas scaturigines, vel eas haurirem, quas meus Pollius, Phœbo favente, turbavit, altius im-

pelagi ponunt, &c.—34 *Bacchiados* Ald. 1. sed correctum *Baccheidos* in Ald. 2. et Gryph.—35 *Lecheo* Ald. 1. *Lechæo* Ald. 2. Colin. Gryph. &c.—37 *Et superet Piplea sitim* Venet. 1. *Pimpleia* malint alii; alii *Pimplæa.*—38 *Ungula sedet* omnes edd. ante Gronov. cujus emendationem probat Heinsius Advers. lib. I. cap. 2. p. 15.—39 *Phemonoë*, vel *Phæmonoë* in edd. vett.—46 *Aspicit*

NOTÆ

in dorsum montis.

32 *Qua prius obscuro, &c.*] Mens: Qua via erat injucunda, tam ob pulverem, quo lux solis obscurabatur, et asperitatem soli, nunc voluptas est transire.

34 *Ephyres*] Corinthi, ut sæpius diximus. *Baccheiados*] Corinthum vocat 'Baccheidem' a Bacchiadibus, qui Corintho per ducentos annos imperarunt, ut scribit Strabo. Cypselus Tyrannus eos delevit. *Altum Culmen*] Acrocorinthum intelligit, in quo arx Corinthi. Noster Theb. VII. 'Qua summas caput Acrocorinthus in auras Tollit, et alterna geminum mare protegit umbra.'

35 *Ab Inoo Lechæo*] Lechæum, ut supra diximus, unum e portubus Corinthi, ex quo Ino se præcipitasse dicitur in mare cum filio Palæmone, unde 'Inoum,' et 'Palæmonium' vocatum. *Tecta*] In modum scilicet porticus.

36 *Helicon*] Helicon mons Bœotiæ Musis consecratus, in cujus nemore natale Musis assignant.

37 *Pimplea*] Pimplea fons Macedoniæ, Musis sacer. *Volantis Ungula equi*] Intelligit Pyrenen vel Hippocrenen fontes, Musis sacros, utrumque, ut fabulantur, ungula Pegasi equi volantis eductum. Vide Theb. IV. 60.

38 *Se det*] Duæ sunt voces; id est, se præbeat hauriendum mihi. Sic equo Domitiani: 'Et cui se totis Temese dedit hausta metallis.' Soteriis Gallici: 'Non conscia detur Pyrene.' Non *sedet*, seu sedare velit sitim, ut vult Domitius.

39 *Phæmonoë*] Phœbi filia, et vates, quæ prima carmen Heroicum cecinisse dicitur.

Vel quos meus auspice Phœbo Altius immersa turbavit Pollius urna] Hoc lo-

Innumeras valeam species, cultusque locorum
Pieriis æquare modis: vix ordine longo
Suffecere oculi, vix, dum per singula ducor,
Suffecere gradus: quæ rerum turba! locine
Ingenium, an domini mirer prius? hæc domus ortus
Prospicit, et Phœbi tenerum jubar; illa cadentem
Detinet, exactamque negat dimittere lucem,
Cum jam fessa dies, et in æquora montis opaci
Umbra cadit, vitreoque natant prætoria ponto.
Hæc pelagi clamore fremunt; hæc tecta sonoros
Ignorant fluctus, terræque silentia malunt.

mersa urna, non possem æquare versibus innumeras formas, et locorum ornamenta. Vix oculi suffecere tot miraculis aspiciendis, vix pedes suffecere, dum ducor per singula. Quæ rerum copia! stupeamne prius situm loci, an domini judicium? Hæc pars domus spectat ortum, et debiles adhuc radios solis; illa sistit occidentem, nec vult demittere lucem exactam, ubi dies jam advesperascit, et umbra densi montis labitur in mare, et prætoria fluitant in pellucido pelago. Hæc cubicula personant fremitu maris; hæc non audiunt undarum strepitum, et malunt silentium terræ.

hæc Phœbi Venet. 1. et Parm. *Aspicit et Phœbi* Rom. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. &c. 'Legendum: *ortus Prospicit et Phœbi, &c.* hæc pars domus prospectum habet versus orientem; illa, versus occidentem. Alia res est aspicere; nempe, aliquid juxta videre. Ovid. Metamorph. lib. II. vs. 188. Sidon. Apoll. Epist. II. 10. Plin. Epist. II. 17. Claudian. I. Cons. Stilich. II. 255. ubi vide Heins. Non male etiam legas: *ortus Accipit et Phœbi, &c.* ex Plin. l. c. qui locus huic Statiano similis est. Sed mihi magis placet *Prospicit;* quæ vox in codd. ita scribitur *pspicit;* unde omissa prima litera, utpote initio versus, ex *spicit* fecerunt *Aspicit.*' Markl. Vide Ovid.

NOTÆ

quendi modo innuere vult Papinius Pollium eximium esse Poëtam, et hausisse profundius aquas ac fontes Musarum.

41 *Cultusque locorum*] Ex Virgilio Georg. I. 'Cœli prædiscere morem Cura sit, et patrios cultusque habitusque locorum.' Et Ovid. Met. IV. 'Cultusque habitusque locorum Quærit Abantiades.'

42 *Pieriis modis*] Id est, carminibus, quibus præsunt Musæ 'Pieriæ' dictæ.

45 *Hæc domus ortus*] Id est, orientem solem.

46 *Tenerum jubar*] Id est, non admodum calidum seu incommodum. *Cadentem*] Supple solem.

48 *Cum jam fessa dies, et in æquora montis opaci Umbra cadit, vitreoque natant prætoria ponto*] Similis locus Theb. II. 'Ast ubi prona dies, longos super æquora fines Exigit, atque ingens medio natat umbra profundo.' *Natant prætoria*] Id est, imago seu umbra villæ immergitur profundo.

50 *Hæc*] Supple tecta ἀπὸ κοινοῦ.

His favit Natura locis: his victa, colenti
Cessit, et ignotos docilis mansuevit in usus.
Mons erat hic, ubi plana vides: hæc lustra fuerunt,
Quæ nunc tecta subis: ubi nunc nemora ardua cernis,
Hic nec terra fuit: domuit possessor, et illum
Formantem rupes, expugnantemque secuta
Gaudet humus: nunc cerne jugum discentia saxa,
Intrantesque domos, jussumque recedere montem.
Jam Methymnæi vatis manus, et chelys una

Natura favit his locis: hic domita est arte, et docilis mansuevit in ignotos usus. Mons erat hic, ubi cernis campum. Illæ ædes, quas nunc intras, fuerunt cubicula ferarum. Ubi nunc aspicis excelsas sylvas, hic nec terra fuit. Dominus subegit hæc omnia, et terra gaudet se morem ei gerere, cum debellat scopulos, et ex iis effingit quicquid vult. Nunc vide rupes edoctas parere, et ædes exstructas sub saxis recisis, et montem jussum recedere. Nunc manus musici Methymnæi, et

Fast. IV. 290. Heroid. Epist. v. 63. et ibi Burm.—52 Venett. 2. 3. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *hic victa;* Venet. 1. Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii *his victa*, quod, jubente Markl. in curis secundis, reposuerunt editores Bipontini.—53 Ed. vet. Lindenbrogii: *mansuescit in usus.*—54 Venet. 1. Parm. et Rom. *et lustra;* unde Marklandus conj. *at lustra.*—60 *Jam Mytilinei* Venet. 1. de qua scriptura vide Vossium ad Melæ II. 7. p. 201. 'Otiosa videtur *una:*

NOTÆ

53 *Ignotos in usus*] Id est, ut inservirent usui hominum, et ab iis habitarentur. Quos usus non noverat antea.

56 *Hic nec terra fuit*] Quia hic locus occupabatur a mari.

57 *Formantem rupes*] Id est, illis dantem formam domus.

58 *Jugum discentia saxa*] Id est, morem gerentia artifici, formanti ex iis quodcumque vult.

59 *Intrantesque domos*] Id est, domos extructas inter saxa excisa, itaque ea quasi subeuntes, ac intrantes, cum ante impenetrabilia essent, et non hospita; quo spectat illud proxime dictum, *nunc cerne jugum discentia saxa.*

Jussumque recedere montem] Quia pars montis excisa fuerat, ut in locum illius domus construeretur. Itaque eleganter dicit *recedere montem*, quia mons non amplius locum occupabat, quem antea occupabat, unde recessisse videbatur. Ceterum hæc omnia, eademque opera breviter attigit noster in Hercule Surrentino: 'Quid enim ista domus, quid terra prinsquam Te gauderet, erat? longo tu tramite nudos Texisti scopulos, fueratque ubi semita tantum, Nunc ibi distinctis stat porticus alta columnis. Ne sorderet iter, curvi tu littoris ora Clausisti calidas gemina testudine lymphas.'

60 *Methymnæi vatis*] Methymnæus vates est Arion nobilis Citharœdus. Is oppido et loco Methymnæus, terraque ac insula Lesbius, Periandro Corinthiorum regi percarus fuit artis gratia: inde in Italiam profectus grandem pecuniam comparavit; postea redire Corinthum instituit, navemque et nautas Corinthios, ut sibi

Thebais, et Getici cedat tibi gloria plectri.
Et tu saxa moves, et te nemora alta sequuntur.
Quid referam veteres ceræque ærisque figuras?
Si quid Apellei gaudent animasse colores;
Si quid adhuc vacua tamen admirabile Pisa

simul lyra Thebana, et fama pectinis Getici cedant tibi. Et tu moves scopulos, et excelsæ sylvæ te sequuntur. Quid memorem antiquas imagines cereas et æreas? si quid colores Apellis lætantur animasse: si quid admirabile Phidiæ manus sculp-

mallem, *et chelys illa Thebais*, emphatice et δεικτικῶς.' *Markl.*—64 *Si quid Pellei* Rom. et vet. Lindenbrogii. *Si quid Apellei gaudent animasse liquores* legit Heinsius ad Claud. Rapt. Pros. III. 386. Barthius vero ad Claud. Paneg. in Prob. et Olyb. Cons. 18. *Quid referam veteres ceræve ærisve figuras, Si quid Apellæi gaudent animasse colores.*—65 'Corruptus est locus, et valde suspicor sub vocibus *adhuc vacua* latere *olūpiaca*, i. e. *Olympiaca*; ita: *Si quid Olympiaca famæ admirabile Pisa, &c.* Vide Apul. initio Florid. II. *famæ admi-*

NOTÆ

amiciores delegit. Sed nautæ Corinthii spe prædæ, potiundæque pecuniæ, consilium inierunt de necando Arione: quo ille intellecto territus, spe omni vitæ perdita, id unum oravit, ut priusquam mortem oppeteret, induere permitterent sibi sua vestimenta, et fides capere, et canere carmen, quo suum casum defleret: quod oraverat, impetrat. Atque ibi de more cinctus, amictus, ornatus, stansque in summæ puppis foro, carmen, quod 'orthium' dicitur, voce altissima cantavit. Tandem se præcipitavit in mare, et nautæ periisse illum credentes, cursum, quem ceperant, tenuerunt. Contigit autem, ut delphinus dorso Arionem exciperet, et eum incolumem corpore, ornatu quo erat, Tænarum in terram Laconiam deferret: unde Arion Corinthum profectus, rem omnem Periandro exposuit, cui fidem non adhibuit primum Periander. Appulsis mox nautis, percunctatus est eos Periander, si quid de Arione scirent. Ii retulerunt ipsum omnium ore celebrari, ac multas opes comparavisse. Inter hæc eorum verba, Arion subito comparuit cum fidibus, eo ornatu, quo se in mare conjecerat: inde stupefacti nautæ, convictique factum negare non potuerunt. Ad confirmandum autem hanc rem simulacra duo ad Tænarum visuntur, Delphinus vehens et homo insidens. Vide Herod. lib. I. et Gellium lib. XVI. cap. 19.

61 *Thebais*] Id est, Thebana Amphionis, qui ad cantum citharæ dicitur extruxisse muros Thebanos. *Getici plectri*] Orphei Thracis. *Getici* vero, quia Getæ gens Thracia.

62 *Et tu saxa moves, et te nemora alta sequuntur*] Saxa moves, ut Amphion, et Orpheus. Et te nemora sequuntur, ut sequebantur Orpheum. Notæ fabulæ.

63 *Ceræque ærisque figuras*] Id est, imagines ex ære et cera.

64 *Apellei colores*] Apelles nobilis pictor. Vide Equum Domitiani vs. 100.

65 *Vacua Pisa*] Pisa urbs Elidis. *Vacua*] Vel quia tunc temporis Pisa civibus ac incolis exhausta. Sic Juvenalis: 'Vacuis quod sedem figere

Phidiacæ rasere manus: quod ab arte Myronis,
Aut Polycletæo jussum est quod vivere cælo,
Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis;
Ora ducum, et vatum, sapientumque ora priorum,
Quos tibi cura sequi, quos toto pectore sentis
Expers turbarum, atque animum virtute quieta

serunt, Pisa nondum habente simulacrum Jovis, ipsius Phidiæ opus: quod jussum est vivere Myronis arte, aut cælo Polycleti, æraque Corinthia auro pretiosiora ex incendio Corinthi, ac imagines ducum et Poëtarum, atque effigies priscorum Philosophorum, quos tibi studium est imitari, quosque imbibis toto animo, vacuus solici-

rabile, ut 'famæ obscura' Epiced. Patr. vs. 109.' *Markl.*—71 *Expers curarum* Venet. 1. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. 'Hospes est in poëtarum lectione, qui non sentit quam insuavis sit hæc repetitio *cura* et *curarum* in

NOTÆ

Cumis destinet.' Vel quia nondum ibi positum a Phidia Jovis simulacrum.

66 *Phidiacæ manus*] Phidias celebris sculptor Atheniensis. Vide Equum Domitiani vs. 102. *Myronis*] Vide villam Tiburtinam vs. 49.

67 *Polycletæo*] Polycletus nobilis statuarius, diligentia ac decore supra ceteros, ut inquit Quintilianus. Nam ex ære signa fecit nobilitata scriptorum præconio. Fecit Astragalizontes. Fuit Sicyonius et Ageladis discipulus. Fecit et quem canona artifices vocant, lineamenta artis ex eo petentes, velut a lege quadam: solusque hominum artem ipse fecisse artis opere judicatur. Hic consummasse hanc scientiam judicatur, et toreuticem sic erudisse, ut Phidias aperuisse. Proprium ejusdem, ut uno crure insisterent signa, excogitasse. Vide Plinium lib. XXXIV. cap. 8. Ælianum Variæ Historiæ lib. XIV. cap. 8.

68 *Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis*] Intelligit æs Corinthium, quia incendium Corinthi, cum capta ac deleta est a Mummio Achaico consule, æs Corinthium conflavit. Florus lib. II. cap. 16. 'Quantas opes et abstulerit et cremaverit hinc scias, quod quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus: nam æris notam pretiosiorem opulentissimæ urbis fecit injuria, quia incendio perustis plurimis statuis, atque simulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxerunt.' Ejus tria genera referuntur a Plinio lib. XXXIV. cap. 2. candidum, argento nitore quam proxime accedens, in quo illa mistura prævaluit: alterum, in quo auri fulva natura: tertium, in quo æqualis omnium temperies est. *Auro potiora*] Nam æris Corinthii ingens erat pretium, et magno studio, seu potius insania petebatur: quippe cum tradatur, non alia de causa Verrem, quem Cicero damnaverat, proscriptum cum eo ab Antonio, quam quod Corinthiis se ei cessurum negaverat. Suetonius Tiberio cap. 4. 'Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse graviter conquestus, adhibendum supellectili modum censuit.' *Isthmiacis favillis*] Quia Corinthus in Isthmo sita erat.

71 *Expers turbarum, atque animum*

Compositus, semperque tuus. Quid mille revolvam
Culmina, visendique vices? sua cuique voluptas,
Atque omni proprium thalamo mare: transque jacentem
Nerea diversis servit sua terra fenestris.
Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aspera paret:
Armiger hinc magni patet Hectoris: inde malignum

tudinibus, mente formata tranquilla virtute, et semper tuus. Quid referam mille culmina? et varietates aspectuum? Suæ cuique loco deliciæ sunt, ac æquor peculiare est singulis cubiculis, et unicuique fenestræ sua terra trans quietum mare est exposita. Hæc cernit Inarimen: abrupta Prochyta illi paret: hac patet armiger

eadem sententia, et diversa significatione. Absque dubio scripsit Statius, *Expers turbarum.*' Markl.—77 *Armiger hac* edd. vett. mutavit Marklandus:

NOTÆ

virtute quieta Compositus, semperque tuus] Pollius enim, Epicuræam sectam sequendo, ut discimus infra hoc versu: 'Seu volvit monitus, quos dat Gargettius auctor:' *τὸ ἀμέριμνον καὶ εὔθυμον* animi securitatem, blandamque quietem amplexabatur, ut aurei sæculi Heroës apud Hesiod. Oper. lib. I. *Ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες, Νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ ὀϊζύος. Semperque tuus*] Explicat infra Papinius quid intelligat per *τὸ semper tuus.* His versibus infra: 'Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus, Non leges, non castra tenent: qui pectore magno Spemque metumque domas, vitio sublimior omni, Exemtus fatis, indignantemque refellens Fortunam: dubium quem non in turbine rerum Deprendet suprema dies: sed abire paratum Ac plenum vita... Celsa tu mentis ab arce Despicis errantes, humanaque gaudia rides.'

74 *Atque omni proprium thalamo mare*] Luxum ac delicias Romanorum nota, qui cubicula villarum suarum, juxta maria, et aquas ponebant, ita ut e lectis maria possent contemplari. Martialis ad Faustinum: 'Et non unius spectator lectulus undæ, Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris.' *Transque jacentem Nerea diversis servit sua terra fenestris*] Terram fenestris servire dixit, quæ inde spectantium oculis exposita est. Ita Plinius lib. v. Ep. 6. 'Cubiculum aliis fenestris, Xystum aliis despicit pratum; sed ante omnia, piscina, quæ fenestris servit ac subjacet, strepitu visuque jucunda.' *Nerea*] Id est, pontum. Nereus enim, Deus marinus, sumitur pro ipso mari.

76 *Inarimen*] Inarime, insula in sinu Puteolano, non procul a Neapoli, 'Ænaria' dicta a statione navium Æneæ. Græcis 'Pithecusa,' non a simiarum multitudine, ut aliqui existimavere, sed a figlinis doliariorum: etiam 'Ischia' dicta a coxendicis forma, quod nomen adhuc hodie retinet. Hæc insula dicitur imposita Typhœo giganti. Silius: 'Non ardentem sortita Typhœum Inarime.' *Prochyta*] Prochyta insula in eodem sinu Puteolano, sic dicta, non ab Æneæ nutrice, sed quia profusa est ab Ænaria.

77 *Armiger Hectoris*] Intelligit Misenum promontorium Campaniæ, non procul a Cumis, nomen sortitum a Miseno tibicine Æneæ illic sepulto. Virgilius Æneid. VI. Antea Misenus

Aëra respirat pelago circumflua Nesis:
Inde vagis omen felix Euplœa carinis,
Quæque ferit curvos exerta Megàlia fluctus.
Angitur et domino contra recubante, procul qui
Surrentina tuus spectat prætoria Limon.
Ante tamen cunctas procul eminet una diætas,

ingentis Hectoris: hinc Nesis, mari circumfusa, exhalat noxium aërem: hinc videtur Euplœa, faustum præsagium errantibus navibus, et exerta Megalia, cui illiduntur curvæ undæ. Et tuus Limon, qui ægre fert suum dominum manere ex adverso, et contemplatur villam Surrentinam. Unum tamen cœnaculum eminet cete-

****

τὸ hinc respondeat *τῷ inde: hinc* patet Misenum, *inde* Nesis.—78 *Nessis* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. &c.—79 *Euboia carinis* Parm. *Euplea* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c.—80 Parm. *exerta novalia;* Venet. 1. *exerta Magalia.* 'Corruptus locus. Dixisse debuit Megaliam feriri a fluctibus, non ipsam ferire fluctus. Forte: *Quæque premit curvos exerta Megalia fluctus.*' Markl.—81 *Angitur et d. c. r. proculque* in edd. vett. 'Iterum lege *hinc: inde Euplœa, hinc Limon.* Sed quid hoc: *Limon angitur spectatque Surrentina prætoria?* quænam hæc connexio? Saltem debuit scripsisse, *Limon spectans Surrentina prætoria angitur;* hoc sensus postulat. Lege: *Angitur hinc domino contra recubante procul qui, &c.* per se patet emendatio.' *Markl.*—82 *Sirentina* legi vult Lucius Scoppa. Vide ad Titulum.—83 *Una tamen cunctis procul eminet, una diætis* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. 'Latinitas postulat: *eminet ante cunctas,* non *cunctis eminet,* quod nemo unquam dixit. Lege igitur: *Ante tamen cunctas p. e. u. diætas, &c.* nil verius.' *Markl.*

NOTÆ

fuerat Hectoris armiger.

Inde malignum Aëra respirat pelago circumflua Nesis] Nesis omissa fuit a Geographis. Ejus meminit et ejus noxii aëris Lucanus: 'Talis spiramine Nesis Emittit Stygium nebulosis aëra saxis.' Est insula in Campano littore inter Pausilypum et Puteolos: alio nomine dicitur 'Nesium.'

79 *Omen felix Euplœa carinis*] Euplœa, una ex insulis in sinu Puteolano sitis, dicta a felici navigatione: navigantibus enim felix est statio. Propterea Papinius eam *felix omen carinis* vocat. In Hercule Surrentino, in eadem chorographia: 'Numenque Euplœa carinis.' Unde dubitari posset, an hic *omen,* an illic *numen* reponendum sit; nam et Euplœæ cognomen habet Venus apud Pausaniam. Olim vero in *παρασήμῳ,* seu *insigni* navium, boni ominis causa inscriptum fuit *εὔπλοία, prospera navigatio.*

80 *Megalia*] Legendum, *Megaria,* seu Megaris, insula inter Pausilypum et Neapolim, ut habet Plinius lib. III. cap. 6.

82 *Limon*] Nomen prædii Pollii, quod erat trans mare et oppositum villæ Surrentinæ.

83 *Diætis*] Diæta, nomen æquivocum. Frequentius tamen, ut hic, mansionem aliquam significat, præcipue cubiculum, aut cœnationem. Immo quædam diætæ plura cubicula continebant. Plinius lib. v. Ep. 6. 'Hac adeuntur diætæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria, ut circuit sol, aut sole utuntur, aut umbra.'

Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti
Ingerit: hic Graiis penitus desecta metallis
Saxa: quod Eoæ respergit vena Syenes;
Synnade quod mœsta Phrygiæ fodere secures
Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.
Hic et Amyclæi cæsum de monte Lycurgi
Quod viret, et molles imitatur rupibus herbas.
Hic Nomadum lucent flaventia saxa, Thasosque,
Et Chios, et gaudens fluctu certare Carystos.

ris, quod ostendit tibi Parthenopen directa via per mare. Hic saxa penitus excisa e lapidicinis Græciæ; et quæ fodina Orientalis Syenes maculat: quod secures Phrygiæ extraxerunt e tristi Synnade in campis plangentis Cybeles; ubi alba area discriminatur in picto saxo, rubro orbe. Hic et virens marmor effossum e monte Lycurgi Amyclæi, et quod colore refert in suis saxis tenera gramina. Hic flavi lapides Numidarum fulgent, ac marmor Thasium, Chiumque, ac saxum Carysti,

—85 Aldd. 1. 2. Colin. et Gryph. 1. 2. *hic grais.* Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii: *delecta metallis.*—86 Rom: *quod Eoæ;* in ceteris *quot.*—87 Eadem pro *quot mæsta*, ut in ceteris edd. exhibet *quod mæsta.* Bipontina *fædere*, ex errore typographico.—93 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd.

NOTÆ

84 *Parthenopen*] Parthenope, Neapolis, ut jam diximus. Vide Epith. Stellæ vs. 261.

86 *Respergit*] Bene *respergit.* Nam lapis Syenites, qui circa Syenen Thebaidis urbem foditur, maculosus est, unde ‘pœcilos’ Pyrrho vocabatur, teste Plinio. Trabes ex eo fecere reges quodam certamine, Obeliscos vocantes, Solis numini sacratos: radiorum ejus argumentum in effigie est, et ita significatur nomine Ægyptio. Vide eundem Plinium lib. XXXVI. cap. 8. Syene vero dicitur ‘Eoa,’ quia ad Orientem vergit.

87 *Synnade quod mœsta*] Intelligit Synnadicum marmor. Vide Balneum Hetrusci vs. 37. *Mœsta*] Quia in hac urbe sacra fiebant Cybele cum multis lacrymis et ejulatibus ob infelices suos cum puero, cui Atys nomen, amores.

88 *Per Cybeles lugentis agros*] Id est, per Phrygiam, in qua Cybele præcipue colebatur. *Marmore picto Candida purpureo distinguitur area gyro*] Synnadicum enim marmor candidum erat, sed circulo quodam purpureo distinctum, quo illud marmor velut pictum erat.

90 *Hic et Amyclæi cæsum de monte Lycurgi*] Taygeton montem designat, in quo cædebatur marmor viride. Vide Balneum Hetrusci vs. 40. Dicitur ‘mons Lycurgi,’ alludendo ad Lycurgum sapientissimum illum Spartæ legislatorem. *Amyclæi* vero seu Spartani, ab Amyclis oppido Laconiæ.

91 *Et molles imitatur rupibus herbas*] Colore scilicet, nam viride est, ut et herbæ virides.

92 *Nomadum lucent flaventia saxa*] Intelligit marmor Numidicum. Vide

Omnia Chalcidicas turres obversa salutant.
Macte animo quod Graia probas, quod Graia frequentas
Arva: nec invideant quæ te genuere Dicarchi
Mœnia: nos docto melius potiemur alumno.
Quid nunc ruris opes, pontoque novalia dicam
Injecta, et madidas Baccheo nectare rupes?
Sæpe per autumnum, jam pubescente Lyæo,
Conscendit scopulos, noctisque occulta sub umbra
Palmite maturo rorantia lumina tersit
Nereis, et dulces rapuit de collibus uvas.

lætæ contemplando mare. Hæc cuncta opposita sunt turribus Chalcidicis. Macte animo, quod diligis Græca, quod inrisis Græcos agros, nec muri Dicæarchæi, qui te procreaverunt, liveant. Nos melius fruemur erudito alumno. Quid nunc referam ruris divitias, et terras mari injectas, et scopulos humidos liquore Bacchi? Sæpe Nereis, tempore autumni, jam maturis uvis, exsuperat rupes, et tecta tenebris noctis, tersit humidos oculos palmite maturo, et decerpsit de collibus suaves uvas.

Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Grasser. Gronov. Barth. Veen. Delph. &c. *fluctus spectare.* Salmasius conjecit legendum esse, *fluctus æquare;* quam conjecturam ut suam profert Marklandus. ‘Potes tamen melius legere *fluctu certare.*’ Markl. Et hæc quoque emendatio eidem Salmasio debetur; non item Marklando, qui in textum primus intulit. Has emendationes citat etiam Heinsius in Advers. lib. I. cap. 2. p. 10. Mutatione tamen non opus est, inquit Barthius; quem vide ad h. l.—95 *Macte animo quod grata probas, quod grata frequentas* Venet. 1. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. Lectio nostra est ex emendatione Gevartii.—96 ‘Minime dubito quin Statius scripserit *Dicarchæ Mœnia,* elisis duabus diphthongis, quasi esset *Dicarcha,* Δίκαρχα, vel Δικάρχη, non Δικαι-

NOTÆ

Balneum Hetrusci vs. 36. *Thasos*] Designat marmor Thasium. Vide Balneum Hetrusci vs. 34.

93 *Chios*] Per Chion intelligit marmor Chium, quod erat in pretio. Chios autem est insula adjacens Ioniæ, inter Samum et Lesbum nongentorum circiter stadiorum ambitu. *Et gaudens fluctu certare [spectare] Carystos*] Hinc ‘Carystos undosa’ Papinio in Balneo Hetrusci. Et utroque loco notat marmor Carystium. Vide ibid. vs. 34.

94 *Chalcidicas turres*] Intelligit Cumas, conditas a Chalcidensibus Eubœæ insulæ, ut sæpius diximus.

95 *Graia probas, Graia frequentas*] Omnia enim hæc loca a Græcis condita et habitata.

96 *Dicarchi Mœnia*] Puteoli. Vide supra vs. 3.

97 *Nos*] Neapolitani. *Docto alumno*] Pollio facundo, et erudito, Neapoli educato, et civitate donato.

98 *Pontoque novalia injecta*] Quia Pollius compleverat mare terris injectis, quas postea severat.

99 *Bacchæo nectare*] Vini liquore.

100 *Pubescente Lyæo*] Id est, maturis uvis. Bacchus enim seu Lyæus pro vino et vite sumitur, ut omnes sciunt.

103 *Nereis*] Nympha marina quæcumque, Nerei filia.

Sæpe et vicino sparsa est vindemia fluctu;
Et Satyri cecidere vadis, nudamque per undas
Dorida montani cupierunt prendere Panes.
Sis felix, tellus, dominis ambobus in annos
Mygdonii, Pyliique senis; nec nobile mutes
Servitium; nec te cultu Tirynthia vincat
Aula, Dicarcheique sinus: nec sæpius istis
Blanda Therapnæi placeant vineta Galesi.
Hic seu siderias exercet Pollius artes,
Seu volvit monitus, quos dat Gargettius auctor,

Et sæpe uvæ cadentes ex ejus manibus sparguntur in proximis undis, et Satyri insequentes Nereida in aquam cadunt, et montani Panes cupierunt capere nudam Dorida. O beata terra fruere duobus dominis, usque ad ætatem longævi Mygdonii, et Pylii, nec mutes illustre servitium, nec villa Tirynthia te superet ornatu, ac fretum Dicæarchi, nec dulces vites Galesi Therapnæi magis ab iis frequententur. Hic seu Pollius tractat cœlestes disciplinas, seu mente versat præcepta, quæ dat Gargettius

ἀρχεια.' *Markl.*—105 'Si propius spectes suborietur mendi suspicio: vox enim *nudam* superflua videtur, cum nemo in animum inducere possit ut credat vestibus indutam Dorida *per undas* ludibundam. Sine dubio Statius scripsit: *udamque per undas, &c.*' Markl. Cf. Auson. Mosell. 182.—110 Parm. *nec sæpius isti.*—111 *Theramnæi* Rom. Ald. 1. et vet. Lindenbrogii; *Terapnæi* Ald. 2. Colin. et Gryph. Vide Berkel. ad Stephanum. Parm. exhibet: *vineta Tarenti.*—112 *Hic tibi sidereas* Rom. et vet. Lindenbrogii.—113 *Seu*

NOTÆ

105 *Satyri*] Dii camporum capripedibus, iidem qui Sylvani et Panes dicuntur. *Cecidere vadis*] Vel legentes uvas pendentes in mare, vel insequentes Nymphas, quæ carpebant uvas.

106 *Dorida*] Nympham marinam quamcumque. *Prendere Panes*] Nam lascivi admodum erant Panes, semperque pudicitati Nympharum insidias tendebant.

107 *Dominis ambobus*] Ambo domini, Pollius et uxor ejus Polla. Ab iis enim se invitatum testatur Poëta initio hujusce Libelli.

108 *Mygdonii*] Tithoni. Vide Theb. lib. III. *Pyliique senis*] Nestoris, qui ex Pylo erat.

109 *Tirynthia Aula*] Id est, villa Pollii ad Herculaneum Campaniæ oppidum.

110 *Dicarcheique sinus*] Id est, sinus Puteolanus. *Istis*] Pollio et Pollæ.

111 *Therapnæi Galesi*] Galesus fluvius, in Calabris ortus, non procul a Tarento, leni admodum labens cursu. *Therapnæi*] Lacedæmonii, a Therapnis oppido Laconiæ; quia Lacedæmonii duce Phalanto in hæc Italiæ loca delati, et capta arce Tarentinorum, pulsisque veteribus incolis, sedem ibi fixerunt. Vide Justinum lib. III. *Vineta*] Vina enim Tarentina non gloria caruere. Vide Plinium lib. XIV. cap. 6.

112 *Hic*] Id est, in Surrentino. *Sidereas exercet Pollius artes*] Hinc patet Pollium Astronomiæ studuisse.

Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit
Carmina, sive minax ultorem stringit iambon;
Hinc levis e scopulis meliora ad carmina Siren
Advolat, hinc motis audit Tritonia cristis.
Tunc rabidi ponunt flatus, maria ipsa vetantur
Obstrepere: emergunt pelago, doctamque trahuntur
Ad chelyn, et blandi scopulis delphines aderrant.

sapiens, seu ille pulsat nostram lyram, seu facit lyricos versus, seu minax vibrat vindicem iambum; hinc Siren advolat e scopulis ad meliores cantus, hinc Pallas Tritonia audit annuentibus cristis: tunc furiosi venti concidunt, æquora ipsa prohibentur fremere: blandi delphines emergunt mari, et trahuntur ad eruditam citha-

---

voluit Gryph. nam in Aldinis, quas secuta est Gryph. ambiguum est. *Gargeticus auctor* in iisdem.—116 *Huc levis* edidit Lindenbrogius ex ed. vet.—117 *Advolat et motis* idem Lindenbrogius.—118 *Tunc rapidi* Parm. et Rom. sed nihil mutandum putat Barthius. Vide Heinsium ad Claud. Fescenn. XII. 42. 'Non male legas *verentur Obstrepere:* quod majorem reverentiam monstrat cum timore junctam: sic Theb. VIII. 291. 'Sumere tunc arcus, ipsumque onerare veretur Patris equum.'' *Markl.*—120 Heins. legendum putat: *pandi*

NOTÆ

113 *Gargettius auctor*] Epicurus. Vide Tiburtinum Manlii vs. 94. Hinc discimus, et supra diximus, Pollium sectam Epicuri amplexatum.

114 *Nostram Chelyn*] Heroicum carmen intelligit, quo Papinius maxime floruit. *Dissona Carmina*] Designat Elegiacum carmen ob varietatem carminum.

115 *Ultorem iambon*] Id est, iambicum carmen. *Ultorem*] Quia Archilochus Poëta Parius illum primus invenit, et strinxit in Lycamben, ut eum ulcisceretur ob spretam ab eo filiam suam, adegitque illum maledictis et acerbitate carminum ad laqueum. Horatius in de Arte Poëtica: 'Archilochum proprio rabies armavit iambo.' Eodem usus iambo Hipponax Poëta in Bubalum et Anthermum sculptores Chios. Hujus igitur generis carmen usurpatum est in vindictam.

116 *E scopulis*] Id est, e Sirenusis parvis insulis in hoc sinu, quæ 'Sirenusæ' vocatæ sunt, quod ibi Sirenes sedem olim habuisse dicuntur. *Meliora ad carmina*] Quia carmina seu cantus Sirenum in naufragium exitiumve pelliciebant homines, ut omnes sciunt: versus vero Pollii innoxii sunt. *Siren*] Notæ Sirenes ex ante dictis.

117 *Et motis audit Tritonia cristis*] Tritonia, Pallas seu Minerva, sic dicta a Tritone palude Africæ, ad quam nata esse dicitur. Mentionem vero facit hic Poëta Minervæ, quia Minerva habebat templum in vicino promontorio, ut jam diximus ad secundum versum hujusce libelli. *Cristis*] Quia Minerva repræsentabatur galeata: cristæ autem ornamentum galeæ. *Motis*] Quod signum est approbantis.

120 *Et blandi scopulis Delphines aderrant*] Delphinus, non homini tantum amicum animal, unde *blandi* hic dicuntur Papinio, verum et musicæ arti, mulcetur symphoniæ cantu, et præcipue hydrauli sono: hominem non expavescit, ut alienum: obviam

Vive, Midæ gazis et Lydo ditior auro,
Troica, et Euphratæa super diademata felix:
Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent: qui pectore magno
Spemque metumque domas, vitio sublimior omni,
Exemtus fatis, indignantemque refellens

ram, et vagantur prope scopulos. Vive opulentior thesauris Midæ, et auro Lydio, fortunatior regibus Trojanis et Babyloniis. Quem non ancipites honores, non plebs inconstans, non forum, nec bellum occupant. Qui domas ingenti animo spem et timorem, celsior omni vitio, securus fati, repellis indignantem fortunam, quem no-

s. *delphines.* Vide Burm. ad Ovid. Epist. XVIII. 131.—121 Pro *ditior* Marklandus conj. *dignior.* Cf. Tiburt. Manl. 105.—122 *Troica et Euphrate supra* Venet. 1. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. Gronovius Diatr. cap. 20. legit *Euphratæa supra;* unde lectionem nostram effinxit Marklandus. *Euphratis supra* Parm. *Troica et Euphrate et supra* conjecit Lindenbrogius.—124 Bipontina habet *quid pectore magno,* typothetarum errore.—126 Edd. vett. *refellis;* nonnullæ habent *repellis,* quod mavult Heins. ad Claud. Epithal.

NOTÆ

navigiis venit, alludit exultans. Vide Plinium lib. IX. cap. 8.

121 *Vive*] Auspicatum hoc verbum, 'Vive,' in gratulationibus et bonis ominibus solenne. Tibullus: 'Vive diu mihi dulcis anus.' Virgil. Æn. III. 'Vivite felices, quibus est fortuna peracta Jam sua.' *Midæ*] Midas rex Phrygiæ ditissimus. *Et Lydo ditior auro*] Reges enim Lydiæ opulentissimi, sed maxime Crœsus ultimus. Vide Tiburtinum Manlii vs. 105.

122 *Troica*] Trojana, seu Priami. *Euphratæa super* [*Euphrate supra*] Legendum *Euphratæa supra,* et intelligit Babylonia: Babylon enim ad Euphratem sita erat. Babylonii autem reges totius Orientis quondam ditissimi ac potentissimi.

123 *Ambigui fasces*] Fasces summi honores, ut consulatus, præturæ, &c. *Ambigui*] Propter pericula, quibus qui magnas obtinent dignitates expositi sunt. *Mobile*] Proprium epithetum vulgi. Sallustius: 'Vulgus ingenio mobili, seditiosum, atque discordiosum, novarum rerum cupidum, quieti et otio adversum.' Per *vulgus* autem favorem populi innuit.

124 *Non leges*] Munia seu officia forensia. *Castra*] Munia militaria. *Qui pectore magno Spemque metumque domas*] Expressit elegantissime primum illud sapientiæ et felicitatis Stoicæ effatum, quod Epictetus Enchirid. sic profert: Ὅστις ἐλεύθερος εἶναι βούλεται, μήτε θελέτω τι, μήτε φευγέτω τι, τῶν ἐπ' ἄλλοις. Εἰ δὲ μὴ, δουλεύειν ἀνάγκη. *Quisquis liber esse volet, neque cupiat quicquam, nec aversetur, eorum quæ penes alios sunt. Sin minus, servire necesse est.* Seneca de Vita Beata cap. 5. 'Potest beatus dici, qui nec cupit nec timet beneficio rationis.' Et Epistola 80. 'Nunquam major est animus, quam ubi aliena disposuit, et fecit sibi pacem nihil timendo; divitias nihil concupiscendo.'

125 *Vitio sublimior omni*] Alius Poëta: 'Pariter vitiisque jocisque Altius humanis exeruisse caput.'

126 *Exemtus fatis*] Fortunam enim,

Fortunam: dubium quem non in turbine rerum
Deprendet suprema dies; sed abire paratum,
Ac plenum vita. Nos, vilis turba, caducis
Deservire bonis, semperque optare parati,
Spargimur in casus: celsa tu mentis ab arce
Despicis errantes, humanaque gaudia rides.
Tempus erat, cum te geminæ suffragia terræ
Diriperent, celsusque duas veherere per urbes:

vissima dies non intercipiet curis ac negotiis involutum, sed expeditum ad emigrandum, et satiatum vita. Nos vilis turba, servientes fluxis bonis, et semper concupiscentes, variis casibus exponimur. Tu ex alta arce animi despicis nos errantes, et irrides humanas voluptates. Tempus erat, cum multum venerande incolis Dicæarcheis, et a meis civitate donate, duæ urbes inde suffragiis suis te attraherent, ac

Pall. et Celer. 79. Venet. 1. *refelles.* 'Requiritur participium quod respondeat τῷ *Exemtus.* Lege: *Exemtus fatis, indignantemque refellens.*' Markl.—127 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. *dubio quem non, &c.* 'Lege: *dubium quem non ... paratum.* Non inveniet *dubium*, sed paratum. Per se patet. Scio vocem 'deprendere' absolute aliquando sumi pro eo quod est 'inparatum invenire,' 'inopinanti supervenire;' sed oppositio hic postulat ut legamus ita ut edidi.' *Markl.* Atqui hæc est emendatio Pontani. Audi Barthium: 'Nihil opus est mutatione J. Isacii Pontani, *dubium*, Analect. II. 13. nam et meliorem versui sonum ea demit, et eadem res est in isto.'—132 Marklandus malit; *humanaque grandia rides*, i. e. omne istud quod nos magnum vocamus.—134 Editio vetusta

NOTÆ

nullum imperium in sapientem habere, credebant Philosophi.

127 *Dubium quem non in turbine rerum Deprendet suprema dies*] Ante oculos habuit fortasse Poëta hæc Horatii: 'Si fractus illabatur orbis Impavidum ferient ruinæ.' Putabant enim veteres, non solum terram, sed et totum mundum aliquando periturum, atque omnia in primum chaos reditura; quod hic Noster vocat 'dubium turbinem rerum.' *Dubium*] Quia incertum, quando, et quo modo id fieret.

128 *Abire*] Mori. Festus: 'Abiisse pro obiisse dicebant. Abitionem antiqui dicebant mortem.'

129 *Plenum vita*] Lucretius: 'Cur non, ut plenus vita, conviva recedis.' Id est, satiatum. Plenum se vita testabatur Cæsar, cum aiebat se satis vixisse. Cicero Phil. I. 'Mihi,' inquit, 'satis est, quod vixi, vel ad ætatem, vel ad gloriam.'

130 *Semperque optare parati*] Hoc, fons malorum, veraque humanæ miseriæ causa. 'Hinc pallor et iræ; Hinc scelus, insidiæque, et nulla modestia voti,' ut ait Noster Theb. III.

131 *Spargimur in casus*] Tanquam naufragio.

133 *Geminæ terræ*] Puteolorum scilicet, et Neapolis.

134 *Celsus*] Curru vectus. *Duas per urbes*] Puteolos et Neapolim.

Inde Dicarcheis multum venerande colonis,
Hinc ascite meis; pariterque his largus, et illis,
Ac juvenile calens, plectrique errore superbus.
At nunc discussa rerum caligine, verum
Aspicis: illo alii rursus jactentur in alto;
At tua securos portus, blandamque quietem
Intravit non quassa ratis: sic perge; nec unquam
Emeritam in nostras puppem dimitte procellas.

in illis sublimis curru vehereris; pariter in utramque liberalis, etiam juveniliter calens, et eleganter ad lyram saltans. At nunc, dispulsis rerum nubilis, veritatem contemplaris: alii agitantur iterum in illo pelago. At tua navis integra subiit tutos portus et dulce otium. Sic continua; nec unquam deduc in nostros fluctus tuam navem, quæ feliciter confecit cursum suum. Et tu formosissima inter matro-

Lindenbrogii exhibet: *tuas veherere.*—137 'Lege: *Ac juvenile calens, plectrique decore superbus.* Jam aliquid habet ob quod merito superbus esse potuit Pollius. Cf. Epiced. in Patr. 213. Potes etiam *plectrique canore superbus*, ex Ovid. Heroid. Epist. XVI. 180. Tale aliquid desiderat sensus. Mihi placet prior conjectura; nisi forte depravatio lateat in voce *plectri*, non in *errore:* quo casu non male legas: *ævique errore superbus*, ut ap. Auson. Prof. VIII. Sed mihi adhuc placet *plectrique decore*, propter sensum, et minimam mutationem, et similem alibi locum.' *Markl.*—138 'Levis correctio, sed quam me vix spero magistris probaturum, quibus paronomasia blandietur: *discussa verum caligine verum, &c.*' Gronov. At *rerum* abundat. Cf. Propert. III. 9. 7. Nostr. Theb. II. 263. II. Sylv. 6. 8. Prudent. Cathem. Hymn. Octav. Kal. Jan. 57. et Tertull. de Judic. Dom. 49.—139 Edd. vett. *jactantur;* altera lectio est ex emendatione Barthii.—142 Parm. *dimitte;*

NOTÆ

135 *Dicarcheis*] Puteolanis.

136 *Hinc ascite meis*] Neapolitanis. Jus enim civitatis Neapolitanæ obtinuerat Pollius.

137 *Plectrique errore superbus*] Per errorem plectri hic credo Poëtam intellexisse Lyricorum gestum, ac canendi modum: certa enim lege saltabant ac recurrebant Lyrici in canendis odis, et motum cœlorum quodammodo imitabantur. Nam quemadmodum Stellarum errantium vertigo est ab occasu in ortum; ita Lyrici, dum a læva in dextram obvertebantur, Antistropha uti dicebantur; Stropha vero ubi a dextris in lævam fiebat controversia: Epodo tandem, cum consistentes in uno loco canebant, cui convenit immobilitas terræ. Itaque lyram pulsantes ab uno latere in alterum se vertebant, et quasi errabant, unde elegantissime Poëta *plectri errore* dixit. Sic Epicedio in patrem: 'Qua lege recurrat Pindaricæ vox flexa lyræ.'

138 *Discussa rerum caligine, verum Aspicis*] Gronovius legit sic: *discussa verum caligine, verum aspicis*, et ait frequentissime ita uti Papinium. Ad Claudiam: 'Sed venient plenis venient connubia tedis.' Ibidem: 'Tua, quæ me vulnere primo Intactum thalamis, et adhuc juvenile vagantem Fixisti, tua fræna libens docilisque recepi.'

Vivite securi, quorum de pectore mixtæ
In longum coiere faces, sanctusque pudicæ
Servat amicitiæ leges amor: ite per annos
Sæculaque, et priscæ titulos præcedite famæ.
Tuque, nurus inter longe pulcherrima, cujus
Non frontem vertere minæ, sed candida semper
Gaudia, et in vultu curarum ignara voluptas:
Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Divitias, avidive animum dispendia torquent
Fœnoris: expositi census, et docta fruendi
Temperies: non ulla Deo meliore cohærent
Pectora, non alias decuit Concordia mentes.

nas, cujus frontem iræ non mutarerunt, sed cui serena semper est hilaritas, et gratia in vultu curarum expers. Infelix arca non recondit opes a te sepositas, nec jactura avari fœnoris excruciat mentem tuam: tua bona patent omnibus, et scis modum his fruendi. Nulla corda conjuncta sunt numine magis propitio, nec Concordia decentius habitat in aliis mentibus: hoc dicite securi: quorum animi coëunt mutuo amore, et in longum duraturo; quique servatis leges castæ amicitiæ. Vivite longos annos et sæcula, et superate famam priorum conjugum.

ceteræ vett. *demitte.* Mutavit Marklandus.—143 *Discite securi* edd. vett. *Dicite* Gronov. in Diatr. cap. 19. ubi hunc et tres sequentes versus post versum ultimum collocat. ‘Nihil mutandum, nisi forte magis placeat *Vivite* quam *Discite*, ut sit apostrophe ad virum et uxorem simul usque ad vs. 147.’ *Cruc. Antidiatr. p.* 39. Hanc suam emendationem vocat Marklandus.—147 Rom. *longe præcordia cujus;* Parm. *longe præcordia curæ.*—148 *Non fontem visere minæ* in eadem Parm. Heins. ad Ovid. Heroïd. Epist. XXI. 165. pro *vertere* ex vetusto codice legit *traxere;* et ita Ovid. loco illic adducto, Amor. II. 2. ‘Cum bene vir traxit vultum rugasque coëgit.’—149 Idem Heinsius pro *curarum* voluit *rugarum.* Pro *Gaudia* Markl. malit *Gratia.* —152 Rom. vet. Lindenbrogii et Aldd. *sed docta fruendi.*—154 Rom. et vet.

NOTÆ

147 *Tuque, nurus inter longe pulcherrima*] Superioribus Pollium allocutus, nunc vertit sermonem ad Pollam ejus uxorem. Quam inter nurus seu matronas Italas vocat longe pulcherrimam, cujus quoque supra juvenilem gratiam ac frontem rugarum expertem prædicavit.

150 *Non tibi sepositas infelix strangulat arca Divitias*] Hic ulterius animum Pollæ laudat. *Strangulare divitias,* autem est avarorum more constipatas ac congestas arca servare, ac velut opprimere. Philostratus eleganter δεσμωτήρια Πλούτου, id est, *Pluti carcerem,* vocavit arcas, et ejusmodi repositoria, quibus pecuniæ veluti captivæ detinentur ab avaris, ne in usum veniant.

152 *Expositi census*] Id est, amicis patentes. Epith. Stellæ: ‘expositum limen.’ *Expositi*] Faciles.

Et docta fruendi Temperies] Id est, qui prudenter et ut oportet, opes tuas erogas.

153 *Non ulla Deo meliore cohærent*

Lindenbrogii, *docuit concordia.* Post hunc versum collocantur vs. 143. 144. 145. 146. in Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide supra ad v. 143.

NOTÆ

Pectora, non alias decuit Concordia mentes. [*Dicite securi: quorum de pectore mixtæ In longum coiere faces*] Junctim hic Pollium et uxorem Pollam alloquitur, quod vel maxime patet illis loquendi modis *cohærentia pectora, et concordia mentium, et mixtæ faces de pectore*, quæ pæne peculiares conjugum apud Nostrum. Pietate Abascantii: 'Nec mirum, si vos collato pectore mixtos Junxit inabrupta concordia longa catena.' Tutos autem eos a Nemesi constituit: ideo jubet citra Invidiæ metum sibi mutuo gratulari de felicitate hujus concordiæ et dicere: *Non ulla Deo meliore cohærent Pectora, non alias decuit concordia mentes.* Veteres enim quoties magna de se loquebantur, Nemesim et fascinum metuebant.

III. ARBOR ATEDII MELIORIS.

Atedio Meliori, diem natalem celebranti, carmen hoc elegantissimum in laudem Platani, quam in horto juxta fontem habuit, offert.

Stat, quæ perspicuas nitidi Melioris opacat
Arbor aquas, complexa lacus: ea robore ab imo
Curvata, enodis redit inde, cacumine recto
Ardua; ceu mediis iterum nascatur ab undis,
Atque habitet vitreum tacitis radicibus amnem.
Quid Phœbum tam parva rogem? vos dicite causas

Stat arbor, quæ inumbrat limpidas aquas nitidi Melioris, complectens fontem, et ab imo trunco curvata in nodum, assurgit hinc excelsa recto vertice, seu denuo pullulet e mediis aquis, et habitet occultis stirpibus pellucidum fluvium. Quid petam a Phœbo tum modica? Vos Naiades narrate ejus originem, et boni Fauni subminis-

Arbor Atedii edd. vett. omisso τῷ *Melioris*, ut in Præfatione. *Arbor Melioris Atedii* Gevart. *Arbor Atedii Melioris* Scaligerus ad Propert. II. 2. 12. Gronov. Barth. Veen. Delph. et Markl.—1 Rom. et vet. Lindenbrogii, si tamen diversæ sint, *opaca;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *opacet;* Gevart. Gronov. Barth. Veen. Delph. &c. *opacat.* 'Poëticus sermo est, et possis *opacet*, et *habitet* potius legere, cum paria poscat sibi vox *nascatur*. Itaque et sic legendum credimus.' *Barth.*—2 Venet. 1. Parm. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *quæ robore ab imo.* Mutavit Marklandus.—3 *Curvata in nodos* Rom. Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Curvata in nodis* Venet. 1. unde Marklandus eruit lectionem nostram.—6 Parm. pro *causas* habet *carmen.*—7 *Naiades* in quibus-

NOTÆ

2 *Ea robore ab imo Curvata, enodis redit inde, cacumine recto*] Vide infra versum 57. et sequentes.

6 *Tam parva*] Id est, descriptionem unius arboris.

Naides, et faciles (satis est) date carmina Fauni.
Nympharum teneræ fugiebant Pana catervæ:
Ille quidem it, cunctas tanquam velit, it tamen unam
In Pholoën: sylvis ea fluminibusque sequentis
Nunc hirtos gressus, nunc improba cornua vitat.
Jamque et belligerum Jani nemus, atraque Caci
Rura, Quirinalesque fuga suspensa per agros

trate versus; non indigeo alia ope. Molles turbæ Nympharum fugiebant Pana; ille sane currit, ut si omnes velit, currit tamen in solam Pholoën. Hæc fugit per et sylvas, et per fluvios, nunc hirsutos pedes, nunc horrida cornua insequentis. Illa celeri fuga per sylvam belligeri Jani, et nigros agros Caci, ac Quirinales campos,

dam. Alii *satis est dare carmina.*—9 *Ille quidem cunctas tanquam velit* Parm. unde Marklandus tentabat: *Ille quidem, cunctas tanquam velit, it, &c.*—10 Rom. Venet. 1. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *sylvis hæc;* Parm. *sylvis ea*, quod revocavit Markl.—11 *Non hircos gressus* Rom. et vet. Linden-

NOTÆ

7 *Naides*] Aquarum Nymphæ. *Et faciles Fauni*] Fauni Dii campestres ac sylvestres. *Faciles*] In nostra vota scilicet, qui libenter audiunt nostras preces.

8 *Pana*] Pan Deus Pastorum, et custos gregum.

10 *In Pholoën*] Nomen fictum Nymphæ.

11 *Hirtos*] Pan enim, ut Satyri, Faunique, et hujusmodi Dii sylvestres habebant caprinos pedes. *Improba cornua*] Habebant etiam cornua in capite.

12 *Belligerum Jani nemus*] Intelligit Jani templum a Numa extructum ad infimum Argiletum. *Belligerum*] Quia non denuntiabatur bellum, nisi aperto prius Jani templo. *Jani*] Janus antiquissimus rex Italiæ, Saturnum nave pervectum excepit hospitio, et ab eo edoctus peritiam ruris, illum in societatem regni ascivit. Tradunt Janum in Italia primum Diis templa condidisse, et ritus cærimoniasque sacrorum invenisse; ideo eum in sacrificiis præfationem meruisse perpetuam; unde post mortem ipse Deus creditus. De Jano qui plura volet, consulat Macrobium Saturn. lib. IX. cap. I. *Atraque Caci Rura*] Cacus, Virgilio Vulcani filius; ore ignem ac fumum vomens. Livio, pastor horum locorum. Solinus dicit Cacum habitasse locum, cui Salinæ nomen est; ubi tergemina nunc porta. Hic, ut Cælius tradit, cum a Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat Marsyæ regis, socio Megale Phryge, custodiæ foret datus, frustratus vincula, unde venerat rediit, et præsidiis amplioribus occupato circa Vulturnum et Campaniam regno, dum etiam ea attrectare auderet, quæ concesserant in Arcadum jura, duce Hercule, qui tunc forte aderat, oppressus est. Hæc ex Solino. Dicitur hic Cacus cavernam habuisse in Aventino, unde Ovidius: 'Cacus Aventinæ timor, ac infamia sylvæ.' *Atra* vero fumo scilicet et igne, quem ore vomebat Cacus.

13 *Quirinales agros*] Designat collem Quirinalem, sic dictum a templo Quirini.

Cœlica tecta subit: tum demum victa labore,
Fessa metu, qua nunc placidi Melioris aperti
Stant sine fraude lares, fluidos collegit amictus
Arctius, et niveæ posuit se margine ripæ.
Insequitur velox pecorum Deus, et sua credens
Connubia, ardenti jamjam suspiria librat
Pectore, jam prædæ levis imminet: ecce citatos

intrat Cœlia culmina; ibi tandem fatigata cursu, et metu deficiens, collegit strictius sinuosas vestes, et se prostravit in margine ripæ candidæ, et somno capitur, qua nunc stat domus sincera mitis Melioris. Velox Deus pecorum eam insequitur, et putat jam se brevi ea fruiturum. Jam jam comprimit anhelitum in ardenti pec-



brogii; unde ille, *Non hirtos gressus.*—14 Pro *Cœlica tecta* N. Heinsius ad Ovid. Fast. IV. 375. mavult: *Cœlia tecta,* ut vitetur ambiguitas. 'Montis Cælii. Sic recte viri docti. Ergo Cælia, non *Cœlica* hoc loco scribendum.' *Barth.* 'Major mihi videtur difficultas in voce *tecta;* quomodo enim dici potuit Pholoë subiisse *tecta*, cum statim sequatur illam deposuisse se *margine ripæ*, et eo loco ubi *nunc* sunt ædes Melioris? quin et Diana eam cubantem vidit dum errat per septem juga. Non igitur intra *tecta* tunc fuit Pholoë, sed sub dio, nudoque sub ætheris axe. Lege: *Cœlica tesca subit. Tesqua* seu *tesca* sunt loca aspera et inculta, qualia fere sunt montes. Hor. I. Epist. 14. 19. Lucan. VI. 40. Sequitur: *ibi demum victa labore:* ita Theb. II. 473. Sed aliud suadent edd. Parm. et Rom. quæ exhibent: *jam demum victa labore.* Lege, *tum demum.* Virgil. XII. 6. 'Tum demum movet arma leo.'' *Markl.* In Varr. Lectt. Lindenbrogii, *tam demum.*—16 Venet. 2. (non item Venet. 1. ut ait Gronovius,) habet: *fluvidos collegit amictus,* unde ille *fluidos collegit amictus.* Cf. Senec. Œdip. 422. et Ovid. Art. Am. III. 301. *flavos collegit amictus* Rom. Parm. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. —17 'Quid *nivea ripa* non intelligo: magis forte placebit *niveo margine;* ut Baln. Etrusc. 51. Sed ibi 'niveus margo' est ex marmore candido factus; quæ interpretatio huic loco non quadrat. Suspicari potes vocem *viridis* vel *viridi* latere sub ista *niveæ;* hæ enim voces sæpe inter se commutantur in Mss. Auson. Mosell. 141. Cic. Leg. I. 5. Nost. Theb. IX. 321. Val. Flac. V. 217. &c. Aliter non male legere posses: *vitrei posuit se margine rivi:* voces enim *vitreus* et *niveus*, *ripa* et *rivus* pariter in codd. confunduntur. Malo tamen, *viridis . . . ripæ.*' Markl.—18 Pro *credit,* quod Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. exhibent, Marklandus substituit *credens.*—19 Idem Marklandus in Addendis

NOTÆ

14 *Cœlica*] Malim *Cœlia.* Intelligit Cœlium montem. Hunc tradit Tacitus Ann. IV. antiquitus 'Querquetulanum' cognomento fuisse, quod talis sylvæ frequens fœcundusque erat: mox Cœlium appellitatum a Cœle Vibenna, qui dux gentis Etruscæ, cum auxilium ductavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit: nam in eo scriptores dissentiunt.

16 *Fluidos*] Fluentes, sinuosos.

17 *Ripæ*] Supple, Fontis.

18 *Velox pecorum Deus*] Pan custos et Deus gregum.

Advertit Diana gradus, dum per juga septem
Errat, Aventinæque legit vestigia cervæ.
Pœnituit vidisse Deam; conversaque fidas
Ad comites: Nunquamne avidis arcebo rapinis
Hoc petulans fœdumque pecus? semperne pudici
Decrescet mihi turba chori? Sic deinde locuta
Depromit pharetra telum breve, quod neque flexis
Cornibus, aut solito torquet stridore; sed una
Emisit contenta manu, lævumque soporem
Naidos aversa fertur tetigisse sagitta.
Illa Deam pariter surgens hostemque protervum
Vidit, et in fontem, niveos ne panderet artus,
Sicut erat cum veste ruit; stagnisque sub altis,

tore. Jam agilis imminet prædæ. Ecce Diana dirigit illi præcipitem gressum, dum vagatur per septem colles, et lustrat radices montis Aventini. Dea indoluit vidisse, et conversa ad fideles comites: Nunquamne impediam cupida furta hujusce protervi et turpis animalis? semperne numerus castæ cohortis mihi minuetur? Sic fata, extrahit e pharetra parvam sagittam, quam neque jaculatur curvato arcu, nec solito crepitu; sed sola manu illam emisit, et Naidis tergum feriendo inermi sagittæ parte, dicitur excussisse intempestivum illius somnum. Illa surgens cernit simul Deam et petulantem Satyrum, et ne denudaret candida membra, injecit se in fontem, ut erat induta, et putans Satyrum illam insequi sub profundis aquis, abdi-

proposuit: *ardenti jamjam vestigia librat Pectore: jam, &c.*—22 Edd. vett. *vestigia terræ.* '*Terræ vestigia* quænam sint ignoro. Agnosco magnam venatricem Dianam 'ferarum vestigia legentem;' agnosco etiam 'Aventinum montem' et 'collem et sylvam Aventinam;' sed de *terra Aventina* nunquam ante audivi. Quid multa? lege, minima mutatione: *Aventinæque legit vestigia cervæ.* Senec. Hippol. 160. Tibull. IV. 3. Ovid. Trist. V. 9. Catull. Nupt. Thet. et Pel. 338. &c.' *Markl.*—25 Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *semperque;* Gevart. Amstel. Gronov. Barth. Veen. Delph. et Markl. *semperne.* Gevartius, puto, ita primus edidit.—33 *Sic tota cum veste* Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. 'Scripsisse Statium dicas, *Sic torta.*'

NOTÆ

21 *Diana*] Diana Jovis et Latonæ filia.

22 *Aventinæ cervæ* [*terræ*] Id est, Aventini montis Romæ, sic dicti a rege Albano ibi sepulto, ubi Dianæ erat templum, conditum a populis Latinis, regnante Servio Tullio. Vide T. Livium lib. I. Apte igitur fingitur errare Diana per radices collis seu montis, in quo habebat templum.

25 *Petulans fœdumque pecus*] Panes, Satyrique, et hujusmodi Dii, salaces ac lascivi crediti veteribus. *Semperne pudici Decrescet mihi turba chori*] Virginem enim Deam, non nisi virgines comites habere decet.

29 *Lævumque soporem Naidos*] Id est, Naidem inauspicato sopore obrutam.

30 *Naidos*] Pholoës.

31 *Illa*] Pholoë. *Deam*] Dianam. *Hostem*] Pana.

Pana sequi credens, ima latus implicat alga.
Quid faceret subito deceptus prædo? nec altis
Credere corpus aquis hirtæ sibi conscius audet
Pellis, et a tenero nandi rudis: omnia questus,
Immitem Brimo, stagna invida, et invida tela;
Primævam visu platanum, cui longa propago,
Innumeræque manus, et iturus in æthera vertex,
Deposuit juxta, vivamque aggessit arenam,

dit se in imis juncis. Quid prædo ageret subito delusus? Non audet se undis committere cum hirsuta pelle, et imperitus natandi ab infantia. Incusans omnia, crudelem Dianam, invidos lacus, et invidas sagittas, plantavit juxta fontem teneram platanum, cui longæ erant stirpes et innumeri rami, et cacumen aliquando petiturum cœlum, et accumulavit vivam arenam, et platanum irrigavit aquis, in quibus

Barth. 'Lege certissima emendatione: *Sicut erat cum veste.* Theb. III. 680. IV. 802. VII. 819. Ovid. Met. XIII. 584. &c.' *Markl.*—38 Edd. vett. habent: *Immitem Bromium.* 'Auctor sum edituris Statium, ut sine ulla hæsitatione in textum recipiant palmariam illustrissimi viri conjecturam: *Invitam Brimo.*' Ita scribit Gronov. in Diatr. cap. 20. Illustrissimus ille vir est Scaligerus in Notis ad Propert. II. 2. 12. 'Memoriæ vero falsus fuit Gronovius cum *Invitam Brimo* Scaligero imputaret: ille enim non *Invitam* sed *Immitem Brimo,* ut in vulgatis est, legebat.' *Markl.* *Inmitem Brimo* certe dedit Scaligerus in omnibus edd. prima 1577. secunda 1582. tertia 1600. item in ed. Morell. 1604. quæ nos penes sunt. Handius tamen assentitur Gronovio in notis ad Diatr. p. 195. his verbis: 'Ita correxit Jos. Scaliger in secunda edit. Propertii et probarunt editores post eum omnes.' Barthius etiam e Scaligeri Propertio citat *Immitem Brimo.*—40 Nonnulli codd. *ad æthera.* Vide ad I. Sylv. 3. 82.—45

NOTÆ

38 *Brimo*] Et quidem optime. Grammaticis Græcis Βριμὼ ἡ Περσεφόνη, id est, *Proserpina,* quæ eadem ac Diana, ut omnes sciunt.

39 *Primævam visu platanum*] Eleganter, *primævam visu platanum* dicit Poëta, lætissimam, quæ jam altam egit radicem, quæ lata umbra, et in cœlum evecto scapo: eopse sensu, quo Horatius 'novam' in Epodis: 'quam nova collibus arbor inhæret.' Imitatus Homerum, cujus est Odyss. ζ. Δήλῳ δήποτε τοῖον, Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ, Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα. *Nuper in Delo, juxta aram Apollinis, tale germen novum palmæ succrescens conspexi.* 'Nova' non magis Horatio dicitur, quæ nunc primum radices egit, quam hæc Homero νέα, ad quam ante tot sæcula Latona pepererat. Neque vertit aliter Cicero, 'quod Homericus Ulysses Deli se proceram et teneram palmam vidisse' ait. *Primæva* igitur *visu* arbor, *nova, νέα, tenera* illis dicitur, quæ in perfectissima ævi sui ἀκμῇ constituta est. *Gronovius.*

41 *Vivamque aggessit arenam*] Quid per *vivam arenam* intelligat Poëta, non potui comprehendere. An arenam pro quavis terra sumit, et *viva* hic *arena* accipienda sit, pro terra bona, fœcundaque, nutriendæque arbori idonea? An terra arenosa intelligenda, in qua lætius et melius proveniant platani? Sed de hoc silent scriptores, et ipse Plinius.

Optatisque aspergit aquis, et talia mandat:
Vive diu nostri pignus memorabile voti,
Arbor; et hæc duræ latebrosa cubilia nymphæ
Tu saltem declinis ama, et preme frondibus undam.
Illa quidem meruit; sed ne, precor, igne superno
Æstuet, aut dura feriatur grandine; tantum
Spargere tu laticem, et foliis turbare memento.
Tunc ego teque diu recolam, dominamque benignæ
Sedis, et illæsa tutabor utramque senecta.

amica se condiderat, et præcipit talia: Vive diu, arbor celeberrima, pignus nostri amoris, et tu dilige occultas sedes crudelis Nymphæ, saltem prona in illas, et preme ramis tuis ejus aquas. Illa quidem digna est; sed fac, oro, ne lædatur nimio solis ardore, aut percutiatur dura grandine. Tu recordare tantum foliis sternere ac variare ejus undas. Tunc ego te diu recolam, et dominam amati loci, et vindicabo

Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Tu saltem declivis ama, preme, &c.* ‘Primo legendum *declinis*, i. e. ‘obliquo pendula trunco,’ ut mox dicit: et ita conjecerat Lindenbrogius: alia res est *declivis*. Hæ voces perpetuo commutantur. Deinde interpone conjunctionem quæ excidit.’ *Markl.*—48 ‘Non placet hic mutari quicquam, nec *umbrare* reponere, et *latices*, cum Joan. Isacio Pontano, qui correctionibus suis in hunc Poëtam parum profecit.’ *Barth.*—50 Idem Pontanus pro *utramque* malebat *utrimque.*—53 Venett. 1. 2. 3. 4.

NOTÆ

42 *Optatis aspergit aquis*] Platani non solum aquis perfundebantur, ut ceteræ arbores, sed vino etiam unguentoque ob delicias. Vide Plinium lib. XII. cap. 1. Macrobium Saturn. lib. III. cap. 13. et Theocritum Idyllio VIII. *Optatis*] Quia Nympha, qua Pan ardebat in has se conjecerat. *Et talia mandat*] An insculpsit cortici platani. Solebant enim veteres, non solum amorum suorum nomina, sed etiam carmina de suis amoribus, in corticibus arborum insculpere. Virgil. Ecl. X. ‘Tenerisque meos incidere amores Arboribus: crescent illæ, crescetis amores.’ Theocritus Idyl. XVIII. Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται. *Literæ vero in cortice scribentur.*

43 *Nostri voti*] Amoris. Nam quæ amamus, ardenter optamus et cupimus.

44 *Duræ*] Quia illum fugerat. *Latebrosa cubilia*] Fontem, in quem se conjecerat, et in quo se occultaverat Pholoë.

48 *Et foliis turbare memento*] *Turbare*, non hic turbidum facere, ut bene observat Gronovius; quod folia levia et caduca non possunt facere. Sed *turbare*, est miscere, et veluti variare. Sic Martiali lib. VIII. Epig. 78 ‘Turbato sordidus auro Hermus,’ pro permixtis aquæ auri ramentis. Ovidius, de fonte Narcissi Met. III. 409. ‘Quem nulla volucris Nec fera turbarat, nec lapsus ab arbore ramus.’ Moxque vs. 475. ‘Et lacrymis turbavit aquas.’

49 *Dominam*] Nympham Pholoën.

Et Jovis, et Phœbi frondes, et discolor umbra
Populus, et nostræ stupeant tua germina pinus.
Sic ait. Illa Dei veteres imitata calores,
Uberibus stagnis obliquo pendula trunco
Incubat, atque umbris tutatur amantibus undas.
Sperat et amplexus; sed aquarum spiritus arcet,
Nec patitur tactus: tandem eluctata sub auras,
Libratur fundo, rursusque enode cacumen
Ingeniosa levat, veluti descendat in imos

te ac illam a senectute. Et arbores Jovis, Phœbique, ac populus varii coloris, et nostræ pinus admirentur tuos surculos. Sic inquit. Hæc platanus, concepto veteri Dei amore, impendens obliquo trunco, incubat fœcundis stagnis, et quærit aquas amantibus ramis. Sperat et eas amplecti, sed earum halitus illam repellit, nec patiuntur se tangi. Tandem enixa sub aërem se mergit in fundum stagni, et rursus ingeniosa tollit enodem caudicem, velut agat aliam radicem. Nunc Nais

Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Till. Heins. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *veteres animata calores.* 'Latinitatem in his quæro: dixisse enim debuit vel, *animata in calores*, vel, *animata caloribus.* Noster Theb. VI. 268. Ovid. Met. IV. 618. XIV. 566. &c. Jam vero qua analogia, quo sensu interpretabimur istud, *animata calores?* quippe notus ille Græcismus quo subintelligitur præpositio *κατὰ*, hic locum non potest habere; nec enim potes dicere *arbor animata calores* eo modo quo clypeus 'cælatus pugnas' apud Nostrum Achill. II. 178. et arma 'expressa casus' Val. Flac. I. 398. et flores 'inscripti nomina regum,' apud Virg. Lege: *illa Dei veteres imitata calores;* sensu optimo, mutatione minima. In contextum itaque admisi *imitata.* Quod si quis audaciam hanc damnet, tantum peto ut exemplo uno hujusce constructionis me refutet. Aliquis forte conjiciat: *illa Dei in veteres animata calores;* sed probe scio Statium non ita scripturum fuisse.' *Markl.*—55 Codd. Domitii Calderini *servatur amantibus;* Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *sinuatur amantibus.* 'Non negabis quin scripta lectio magis ad verum *scrutatur amantibus undas.*' Bern. Hanc lectionem receperunt Gevart. Amstel. Barth. Gronov. Delph. et Veen. Lectio nostra debetur Mark-

NOTÆ

51 *Et Jovis, et Phœbi frondes*] Id est, Esculus sive Æsculus Jovi sacra, et laurus Apollini. *Et discolor umbra Populus*] Populi enim tria genera, alba, nigra, et quæ Libyca appellatur. Alba folio bicolor superne candicans, inferiore parte viridi. Herculi erat sacra. Virgilius Æneid. VIII. 'Herculea bicolor cum populus umbra.' Vide Plinium lib. XVI. cap. 23.

52 *Nostræ pinus*] Pinus enim erat Pani sacra.

53 *Dei imitata* [*animata*] *calores*] Id est, in se concepto Dei ardore seu amore.

58 *Enode cacumen*] Sub aquis enim nodosa erat, curvata in nodos.

59 *Ingeniosa*] Ut quæ tandem invenerat modum fruendi amore.

Stirpe lacus alia: jam nec Phœbeia Nais
Odit, et exclusos invitat gurgite ramos.
Hæc tibi, parva quidem, genitali luce paramus
Dona, sed ingenti forsan victura sub ævo,
Tu, cujus placido posuere in pectore sedem
Blandus Honos, hilarisque (tamen cum pondere) Virtus:
Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec spes
Improba; sed medius per honesta et dulcia limes:
Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus,
Et secrete palam: qui digeris ordine vitam;

Phœbeia non aversatur platanum, et invitat ad se redire ramos exclusos. Hæc tibi mittimus munera natali die, modica quidem, sed forsan mansura per longa sæcula. Tu in cujus pectore suavis honor, virtusque hilaris (tamen cum gravitate) fixerunt suum domicilium: cui non est segne otium, nec potestas injusta, nec spes immoderata, sed qui mediam tenes viam inter honestum et jucundum: quique es incorrupta fide, et animo omnibus perturbationibus vacuo; qui eandem servas rationem

lando; primi receperunt editores Bipontini.—62 Rom. Venett. 2. 3. 4. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *geniali luce;* Venet. 1. et Parm. *genitali luce*, quod recepit Marklandus.—67 Vet. Lindenbrogii; *dulcia lira es.*—69 Vet. Lindenbrogii et inemendati codd. Domitii Calderini, *Et satiare*, qui dicit se vulgatam, quæ nunc est, lectionem elicuisse; at jamjam extare in Parmensi notum est. Bernartius non dubitat, quin Statius scripserit *Exsatiate palam.* 'Sub vocibus *satiare palam* latere puto epitheton aliquod τοῦ *vitam;* quærant acu-

NOTÆ

60 *Phœbeia Nais*] Id est, Pholoë Nympha comes Dianæ, quæ eadem ac Phœbe seu Luna, unde *Phœbeia* dicitur.

61 *Et exclusos invitat gurgite ramos*] Innuit Nympham Pholoën non amplius odisse platanum ramosque ejus, sed etiam invitare eos qui extra sunt aquam, ut dimittant se, fruanturque gurgite seu aquis.

62 *Hæc tibi*] Verba Poëta ad Meliorem. *Genitali* [*Geniali*] *luce paramus Dona*] Geniali, id est, natali die, quæ dies sacra erat Genio, huicque sacra natali die facere soliti. Tibull. itaque lib. II. 2. agens de Cherinthi natalitio die et Genio, inquit: 'Annuat et Cherinthe tibi quodcumque rogabis.' Ovid. Trist. l. III. 8. et ipse die natali suo: 'Concipiamque bonas ore favente preces.' *Paramus Dona*] Tangit morem mittendi dona iis qui celebrabant diem suum natalem.

63 *Ingenti forsan victura sub ævo*] Hoc de suis operibus ac carminibus debuit sperare Papinius. Vixerunt, et vivent.

66 *Cui nec pigra quies*] Quies enim magnorum virorum conjuncta est actioni. Sic Villa Tiburtina: 'Hic premitur fœcunda quies.'

67 *Sed medius per honesta et dulcia limes*] Qui tenes mediam viam inter honesta et jucunda.

68 *Nullosque experte tumultus*] Supple mentis.

69 *Et secrete palam: qui digeris ordine vitam*] Vitam ordine digerere, est,

Idem auri facilis contemtor, et optimus idem
Comere divitias, opibusque immittere lucem.
Hac longum florens animi morumque juventa,
Iliacos æquare senes, et vincere persta,
Quos pater Elysio, genitrix quos detulit annos.
Hoc illi duras exoravere sorores:

vivendi clam et publice: quique aurum facile contemnis, et qui optime scis ornare opes, iisque fulgorem dare. In hac juventa, florens animo et moribus attingas longævos Iliacos, et superes annos, quos pater tuus et quos mater tua portavit in Elysios campos. Illi hoc obtinuerunt a sævis sororibus: hoc etiam fortis Blæ-



tiores: mihi simplicius videtur fateri nescire quod nescio. Scio quidem voces *secrete* et *secure* a librariis sæpe confundi: vide Drakenb. ad Sil. Ital. XI. 326. sed si Statius scripsisset *Et secure palam* vix explicare potuissem.' *Markl.*—71 *Condere divitias* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. et Grasser. *Comere divitias* codex Sen. cum Venett. Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii, quod defendit Gronovius in Diatr. cap. 27. et in textum recepit; hinc receptum in Barth. Veen. Delph. &c.—73 Vet. Lindenbrogii: *et vincere præstat.*

NOTÆ

certis horis certos actus destinare, ut de Theodorico refert Sidonius lib. I. Ep. 2. et de Spurina Plinius lib. III. Ep. 1. Vide Suetonium in Augusto, Tiberio, et Vespasiano, et Lampridium in Severo. Papinius autem innuere vult Meliorem apud se et domi eandem vivendi rationem instituisse, ac si illius actiones omnium oculis paterent, eodemque ordine actus vitæ digessisse, sive domi, remotis arbitris, sive in publico versaretur, nihilque simulatum in eo esse. 'Sic Livius Drusus,' inquit Velleius, 'promittenti ei architecto, ita se domum illius ædificaturum, ut libera a conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset, neque quisquam in eam despicere posset, respondit: Tu vero, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quicquid agam, ab omnibus perspici possit.'

71 *Comere*] Frequentissime hac voce utitur Statius pro 'ornare.' Ut 'comere arma' Theb. II. 'Et lucida comunt Arma manu.' 'Comere genas' Epith. Stellæ, et Epic. in Glauciam.

Opibusque immittere lucem] Hoc dicitur de homine liberali et magnifico, qui non patitur pecunias suas arca conclusas in tenebris delitescere, sed iis fruitur, easque bene collocat. Eo modo ornantur divitiæ, et lux iis immittitur. Sic Claudianus Panegyr. Probini et Olybrii: 'Hic non divitias nigrantibus abdidit antris, Nec tenebris damnavit opes; sed largior imbre, Sueverat innumeras hominum ditare catervas.'

73 *Iliacos senes*] Trojanos, Tithonum et Priamum.

74 *Pater, genitrix*] Supple, tuus et tua. Hinc patet parentes Atedii jam grandævos mortuos fuisse. *Elysio*] Campis Elysiis, in Inferis.

75 *Duras sorores*] Parcas, quæ sorores sunt, et inexorabiles.

Hoc, quæ te sub teste, situm fugitura tacentem
Ardua magnanimi revirescit gloria Blæsi.

sus ab iis obtinuit, cujus sublimis gloria, te procurante, reflorescit, et eximetur tacitæ oblivioni.

NOTÆ

76 *Te sub teste*] Melior enim singulis annis celebrabat convivium ad tumulum Blæsi.

77 *Ardua magnanimi gloria Blæsi*] Ex hoc etiam loco confirmor in ea opinione, Blæsum illum non fuisse Libertini generis, sed illustrem virum; non enim hæc Papinius diceret decenter de Liberto. Vide Epicedion Glauciæ.

IV. PSITTACUS† MELIORIS.

Atedii Melioris Psittacum, cujus jucunda garrulitate, ut plerique Romanorum, delectabatur, mortuum deflet.

Psittace, dux volucrum, domini facunda voluptas,
Humanæ solers imitator, Psittace, linguæ,
Quis tua tam subito præclusit murmura fato?
Hesternas, miserande, dapes moriturus inisti

Psittace rex avium, facundæ deliciæ domini, Psittace ingeniose æmulator humanæ vocis, quis suffocavit tuos garritus tam præcipiti morte? Sumsisti miserande



Psittacus Melioris inscribitur hoc Carmen in edd. vett. *Psittacus Atedii Melioris* Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—1 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. omnes testantur lectionem *dux volucrum;* forsan tamen scripsit Statius, *rex avium;* vel *rex volucrum: βασιλέα πάντων ὀρνέων* Ezechiel.—3 Parm. *præclusit lumina fato.*—4 Venet. 1. et Rom. *Externas;* unde Marklandus tentabat *Extremas;* atqui *Hesternas* testantur omnes codd. cum Parm. Brix. Vicent. Aldd. Colin.

NOTÆ

† *Psittacus*] Psittacus in deliciis habitus est veteribus, ut nunc, ob linguæ humanæ imitationem.

1 *Dux volucrum*] Homerus tamen et Horatius hunc honorem tribuunt Aquilæ: Homerus, quia Aquila *τελειοτάτη πετεηνῶν, perfectissima volucrum:* Horatius vero, quia Jupiter Aquilam fidelem expertus fuerat in Ganymede rapto. Alii Phœnicem volunt esse regem avium. Hoc tamen optime tribuitur Psittaco ob imitationem humani sermonis, qua ceteras aves superat, eademque ratione sacer erat apud Indos. Ælianus Hist. Anim. lib. III. De Psittacis lege Plinium lib. x. cap. 42. et Apuleium Florid. II.

2 *Humanæ solers imitator linguæ*] Græci unica voce *βροτόγηρυν, humanum os imitantem,* appellant. Plinius inquit, 'humanas voces reddunt, imperatores salutant.' Martialis: 'Psittacus a vobis aliena vocabula discam; Hoc didici per me dicere, Cæsar ave.'

Nobiscum; et gratæ carpentem munera mensæ,
Errantemque toris mediæ plus tempore noctis
Vidimus: affatus etiam meditataque verba
Reddideras: at nunc æterna silentia Lethes
Ille canorus habes: cedat Phaëthontia vulgi
Fabula; nec soli celebrant sua funera cycni.
At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,
Connexusque ebori virgarum argenteus ordo,
Argutumque tuo stridentia limina cornu?
En querulæ jam sponte fores! vacat ille beatus

nobiscum hesternos cibos moriturus, et vidimus te colligentem dona gratæ mensæ, et vagantem per lectos plus dimidio noctis: reddideras etiam sermones, et verba quæ didiceras. At nunc tu tam garrulus servas æternum silentium in Inferis. Fabula Phaëthontia adeo decantata sileat; soli olores non canunt suam mortem. At quæ erat tua cavea splendens rutila testudine, cujus virgarum argentearum ordo ebore connectebatur: cujus limina resonabant argute tuo rostro? nunc fores ultro queruntur, quod desolatæ sint: illud felix claustrum vacat, nec amplius audiuntur male-

Gryph. &c.—9 Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. XIV. 95. pro *habes* reponendum putabat *obis*. At cf. Nostr. Protrept. Crisp. 136. Ovid. Rem. Amor. 629. et Genethl. Lucan. 111.—10 Parm. *non soli*.—14 *Et querulæ jam* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. 'Oportuit scribi hoc modo: *En! mutæ non sponte fores! vacat ille beatus, &c.* Jam omnia belle cohærent. Limina olim tuo rostro stridebant, nunc *mutæ* sunt; sed *non sponte* ♀, invito, et quasi hoc silentium dolentes. Ita Achill. I. 237. Theb. VIII. 196. et Virg. XI. 827. Tale quidpiam sensus videtur requirere: sed multum abest ut affirmem Statium ita scripsisse.' *Markl.* Edidit tamen

NOTÆ

8 *Æterna silentia Lethes*] Id est, sedes Lethes tacitas. Lethe autem fluvius Inferorum; et facit Poëta antithesim, inter 'silentia Lethes,' et 'ille canorus.' Ovid. Met. XIII. 'Ille igitur tantorum victor, Achille, Victus es a timido Graiæ raptore maritæ.'

9 *Phaëthontia vulgi Fabula; nec soli celebrant sua funera cycni*] Poëtæ fabulantur Cycnum regem Liguriæ fuisse affinem Phaëthontis, ac audito ejus casu, desiderio contabuisse, et in avem sui nominis conversum fuisse. Proditur etiam cycnum antequam moriatur, suavissimum cantum edere: ea de causa sacer est Apollini Deo vaticinii. Martialis: 'Dulcia defecta modulatur carmina lingua Cycnus, cantator funeris ipse sui.' Hoc tamen fabulosum multi credunt, ut Plinius.

12 *Connexusque ebori virgarum argenteus ordo*] Caveam describit virgulis argenteis instructam, et intextam ebore.

13 *Cornu*] Id est, rostro. Nam, miram habet duritiem rostri, quo se excipit et innititur, teste Plinio.

14 *En querulæ jam sponte fores*] Poëtica hyperbole. Fores non jam vocales extincto Psittaco, sed proprium edunt sonum, doloris sui indicem.

Carcer, et angusti nusquam convicia tecti.
Huc doctæ stipentur aves, quis nobile fandi
Jus Natura dedit: plangat Phœbeius ales:
Auditasque memor penitus demittere voces
Sturnus, et Aonio versæ certamine picæ;
Quique refert jungens iterata vocabula perdix;
Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili,
Ferte simul gemitus, cognataque ducite flammis
Funera, et hoc cunctæ miserandum addiscite carmen:
Occidit aëriæ celeberrima gloria gentis

dicta in arcta carea. Huc peritæ volucres conveniant, quibus natura concessit insigne jus loquendi. Phœbeia avis lugeat, ac sturnus, qui refert omnino verba, quæ didicit, ac picæ mutatæ prælio Aonio, et perdix, qui sæpius reddit eadem vocabula, ac soror, quæ gemit orbata in Bistonio nido. Jungite simul gemitus, et efferte in rogum affinem vestrum, et omnes discite hanc flebilem næniam: Psittacus periit

vir ille doctus ut in textu.—15 *Carcer et augusti* in Parm. et ita in sua editione Gronovius ex Amstel. eumque secuti sunt Barth. et Veen.—18 Rom. Venett. Aldd. Colin. Gryph. aliæ, *dimittere:* Gronov. Barth. Veen. Delph. &c. *demittere.*—19 'Omnino legendum, *victæ certamine;* non enim vertebantur certamine, sed vincebantur.' *Markl.* Ovid. Met. v. 300. Met. xiii. 19. Noster Theb. viii. 615. Ovid. Heroid. xvi. 359. et Met. vi. 91.—20 Vir doctus Jacobus Delechampius ad Plin. N. H. x. 12. citat h. vs. ut probet cornices vocales esse: *Quique refert jungens iterata vocabula cornix:* Memoriæ errore. Vide tamen erroris inconstantiam: quippe ad cap. 42. ejusdem libri, hunc ipsum versum adducit ut probet perdices vocales esse. 'Inscite M. Ant. Sabellicus et alii τὸ *perdix* hinc exturbant, *cornix* substituto.' *Barth.*

NOTÆ

15 *Convicia tecti*] Apuleius loco citato de Psittaco scribit: 'Si convicia docueris, convitiabitur, diebus ac noctibus perstrepens maledictis: hoc illi carmen est, hanc putat cantionem; ubi omnia quæ didicit, maledicta percensuit, denuo repetit eandem cantilenam.'

16 *Doctæ aves*] Vocales, quæ imitantur vocem humanam.

17 *Phœbeius ales*] Corvus Apollini seu Phœbo sacer, vocalis avis. Vide Plinium lib. x. cap. 23.

19 *Sturnus*] Et hic inter aves vocales. Vide Plinium lib. x. cap. 42. *Aonio versæ certamine picæ*] Filiæ Pierii reguli Macedoniæ, ad certamen cautus Musas provocare ausæ, victæque, in picas mutatæ sunt. *Aonio*] Bœotico. Musæ enim sedem habebant in Helicone monte Bœotiæ, quæ prius 'Aonia' vocabatur.

20 *Perdix*] Etiam hic vocalis, testibus Plutarcho in Symp. et Athenæo: et dicitur κακκαβίζειν Aristoteli, unde potest dici 'repetere verba.'

21 *Bistonio*] Thracio, a Bistonibus gente Thraciæ. *Soror orba*] Procnen intelligit Philomelæ sororem, quam aliqui Græcorum in lusciniam conversam referunt. De lusciniæ vero docilitate videndus Plinius lib. x. cap. 20.

24 *Aëriæ gentis*] Aves enim in aëre vivunt.

Psittacus, ille plagæ viridis regnator Eoæ;
Quem non gemmata volucris Junonia cauda
Vinceret, aspectu gelidi non Phasidis ales,
Nec quas humenti Numidæ rapuere sub Austro.
Ille salutator regum, nomenque locutus
Cæsareum, et queruli quondam vice functus amici:
Nunc conviva levis, monstrataque reddere verba
Tam facilis: quo tu, Melior dilecte, recluso,
Nunquam solus eras: at non inglorius umbris
Mittitur: Assyrio cineres adolentur amomo,

inclytus honor aërii populi, ille viridis dominator avium Orientalium; quem avis Junonis non vinceret cauda gemmis conspersa, nec volucris frigidi Phasidis pulchritudine, nec aves, quas Numidæ capiunt flante pluvioso Austro. Qui salutabat potentiores, qui proferebat nomen Cæsaris, et qui quondam tenuit locum amici gementis et solantis dominum suum: modo levis conviva, et tam facile referens voces, quas didicerat: quo vivente, tu, care Melior, nunquam eras solus. At non inhonorus mittitur ad Inferos. Cineres cremantur cum amomo Assyrio, et molles plumæ re-

Veram lectionem defendit Baptista Pius Annot. lib. II. cap. 20.—32 'Quæro quo sensu Psittacus reclusus dici potest, i. e. apertus. Cavea quidem recluditur, sed non Psittacus, nisi cultro Chirurgico. Lege: *quo tu, Melior dilecte, relicto, &c.* Si omnes alii convivæ abierint, hoc tamen relicto, non solus eras; hic tibi erat pro turba et sodalibus. Nec metuas a sono vocum *dilecte relicto*: pariter enim optimi poëtæ.' *Markl.* Vulgatam tamen retinet

NOTÆ

25 *Viridis*] Quia Psittaci virides sunt. *Eoæ*] Orientalis, id est, Indiæ, quæ tota ad Orientem spectat, ut ait Curtius.

26 *Volucris Junonia*] Pavo Junoni sacer, in quem mutatum ferunt ab ipsa Argum custodem Ius, occisum a Mercurio, positosque oculos ejus in cauda, unde *gemmata* dicitur *cauda*.

27 *Gelidi non Phasidis ales*] Phasianus, nota avis, ad nos a Phasi Colchidis fluvio, ab Argonautis traducta; nam ex hac regione in Græciam transportatæ sunt. Martialis: 'Argiva primum sum transportata carina: Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.' Dicitur Phasis *gelidus*, quia Colchis in Septemtrionem spectat.

28 *Quas*] Intelligit aves Numidicas seu Meleagridas. *Humenti Numidæ rapuere sub Austro*] Saturn. Kalend. 'Quas udo Numidæ legunt sub Austro.' *Numidæ*] Gens Africana. Vide Sat. Kal. v. 78.

29 *Ille salutator regum, nomenque locutus Cæsareum*] Vide quæ diximus ad versum secundum hujusce libelli.

30 *Amici*] Id est, qui vice tristis amici consolatus est Atedium in morte Blæsi.

31 *Conviva levis*] Supra: 'Errantemque toris mediæ plus tempore noctis.'

34 *Assyrio cineres adolentur amomo*] Amomum, ut jam diximus, erat frutex odoratissimus, ex quo unguentum pretiosissimum conficiebatur, quodque rogis mortuorum conjiciebatur. *Assyrio*] Quia in Assyria nas-

Et tenues Arabum respirant gramina plumæ,
Sicaniosque crocos: senio nec fessus inerti
Scandit odoratos Phœnix felicior ignes.

dolent frutices Arabicos, ac crocum Siculum. Nec Phœnix lassus pigra senectute subit ditior suaveolentes flammas.

vir doctus in contextu.—35 Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *respirant germine;* Venet. 1. Rom. Parm. et vet. Lindenbrogii, *respirant gramine,* quod ille reposuit; hinc *gramina* exsculpsit Marklandus.—36 *Sicaniisque crocis* edd. vett. Lectio nostra debetur eidem Marklando. Venet. 1. et Parm. *senio nec fusus inerti.*—37 *Scandit odoratos felix* Venet. 1.

NOTÆ

citur amomum: probatius tamen ex Armenia afferebatur. Vide Dioscoridem, et Plinium lib. XII. cap. 13.

35 *Arabum gramina* [*germine*] Thure, et myrrha, quæ in Arabia nascuntur.

36 *Sicaniisque crocos* [*crocis*] Crocum injiciebant etiam in rogos. Vide supra Epicedion Glauciæ: 'Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi, Quodque Arabes, Phariique Palæstinique liquores Arsuram lavere comam.' *Sicaniis*] Id est, Siculis. Plinio enim auctore, tertia nobilitas croco Centuripino Siciliæ. 'Prima,' ait ille lib. XXI. 'nobilitas croco Cilicio, et ibi in Corycio monte: dein Lycio, monte Olympo: mox Centuripino Siciliæ.'

Senio nec fessus inerti Scandit odoratos Phœnix felicior ignes] De Phœnicis exequiis vide Claudianum in Poëmate singulari. Vide etiam Plinium lib. x. cap. 2. de quo sequentia excerpsi, cum faciant ad illustrandum hunc Papinii locum: 'Æthiopes,' ait Plinius, atque Indi disco lores maxime et inenarrabiles ferunt aves, et ante omnes nobilem Arabia phœnicem: haud scio, an fabulose, unum in toto orbe, nec visum magnopere. Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cetera purpureus, cœruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem, caputque plumeo apice cohonestante. Primus atque diligentissimus togatorum de eo prodidit Manilius, senator ille maximis nobilis doctrinis doctore nullo: neminem extitisse, qui viderit vescentem: sacrum in Arabia Soli esse, vivere annis 660. senescentem casia, thurisque surculis construere nidum, replere odoribus, et superemori: ex ossibus deinde, et medullis ejus nasci primo ceu vermiculum: inde fieri pullum: principioque justa funeri priori reddere, et totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis urbem, et in ara ibi deponere.' Hæc Plinius. Vide et Tacitum Annal. VI. Solinum cap. 36. et Ovid. Met. XV.

V. LEO[†] MANSUETUS[‡] IMP.

In Domitiani Imperatoris gratiam, leonem mansuefactum, tigridis morsu in arena occisum deflet.

Quid tibi constrata mansuescere profuit ira?
Quid scelus, humanasque animo dediscere cædes,
Imperiumque pati, et domino parere minori?
Quid, quod abire domo, rursusque in claustra reverti
Suetus, et a capta jam sponte recedere præda,
Insertasque manus laxo dimittere morsu?
Occidis, altarum vastator sæve ferarum,
Non grege Massylo, curvaque indagine clausus,
Non formidato supra venabula saltu

Quid tibi profuit cicurari deposito furore? Quid dediscere sævitiam, et cædes humanas, ferre jugum, et obsequi debiliori domino? Quid tibi profuit docilitas, qua solebas egredi e cavea, iterumque in eam redire, et jam ultro relinquere captam prædam, et aperto ore dimittere immissas manus? Peris generose debellator procerarum bestiarum, non obseptus multitudine venatorum Massylorum, et flexuosis plu-

7 Venet. 1. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Veen. Barth. et Delph. *vastator docte ferarum.* 'Mirum epitheton istud *docte vastator:* putares leonem hunc solitum esse feras frangere secundum artem. Olim conjeceram, *vastator torve;* quod de leonibus hanc vocem usurpari ex multis poëtarum locis observaveram. Sed aliud me docuit Parmensis, quæ habet: *vastator cæde ferarum;* unde nullo negotio elicitur vera lectio: *vastator sæve ferarum:* et hoc leonibus convenientissimum et usitatissimum epitheton. Virg. Georg. II. 151. Noster Theb. IX. 15. Manil. IV. de Africa, Ovid. Met. IV. 102. et Martial. Epig. II. 75.' *Markl.*—8 *Non grege*

NOTÆ

† Forsan et extat Epigramma Martialis lib. de Spectaculis 18. de hoc Leone mansueto a Tigride confecto: 'Lambere securi dextram consueta magistri Tigris, ab Hyrcano gloria rara jugo, Sæva ferum rabido laceravit dente leonem: Res nova, non ullis cognita temporibus. Ausa est tale nihil, sylvis dum vixit in altis: Postquam inter nos est plus feritatis habet.'

‡ *Mansuetus*] Plinius lib. VIII. cap. 16. hæc ait: 'Primus autem hominum leonem manu tractare ausus, et ostendere mansuefactum, Hanno e clarissimis Pœnorum traditur: damnatusque illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenii videbatur, et male credi libertas ei, cui in tantum cessisset etiam feritas.' De historia leonis vide eundem Plinium ibidem.

3 *Domino minori*] Homini, non tam forti ac audaci.

8 *Massylo*] Massyli populi Africæ occidentales leonum venatores.

Incitus, aut cæco foveæ deceptus hiatu;
Sed victus fugiente fera: stat cardine aperto
Infelix cavea, et clausis circum undique portis
Hoc licuisse nefas pavidi timuere leones.
Tunc cunctis cecidere jubæ, puduitque relatum

gis, non incitus per venabula saltu formidato, aut circumventus latenti hiatu foveæ, sed victus a fera fugiente. Aperta est infelix cavea, et attoniti leones in obseratis circum undique foribus cavearum suarum expavere hoc fieri potuisse: tunc jubæ omnibus dimissæ, eosque puduit cernere te reportatum, et demiserunt totas palpe-

---

Massyllo edd. vett.—12 Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. et Bern. *et clausas circum undique portus.* 'Necessario hic reponatur: *clausis circum undique portis.* Apertam fuisse interfecti leonis domam dicit; reliquorum clausas, ne plures erumpentes pariter perderentur. Hanc sententiam offuscatam nemo hactenus vidit cum in vulgata scriptura tamen nullus sit sensus.' *Barth.* Sed ita jam ediderat Gevartius ex conjectura Lipsii: ita etiam legunt Raderus ad Martial. IX. 90. et Tho. Dempsterus ad lib. III. Corippi. 'Abrupta hæc videntur, et suspicor aliquid deesse, nisi scribendum et distinguendum sit: *stat cardine aperto Infelix cavea, occlusis circum undique portis Hoc licuisse nefas pavido gemuere leones.*' Markl.—13 Venet. 1. Parm. Rom. Venett. 2. 3. 4. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *pavidi timuere leones.* 'Hanc lectionem falsi arguit sensus communis: nemo enim timere potest aliquid licuisse; quippe timor locum habet ubi in incerto res sunt, non ubi præteriit quod timuimus; tunc enim succedit dolor, vel desperatio, vel talis aliquis affectus. Si igitur pro *timuere licuisse* scripsisset *doluere licuisse*, recte secundum naturam scripsisset; ut apud Lucan. IX. 1055. Proculdubio a Statio fuit: *Hoc licuisse nefas pavidi gemuere leones.* Theb. I. 814. VII. 821. et Sil. Ital. II. 225. Sed nec adhuc recte habet sensus: non enim leones gemuere hoc licuisse, absolute, sed: *Hoc licuisse nefas pavido gemuere leones.* Si alius et fortior leo hoc facinus perpetrasset, nihil adeo dolendum foret: cum vero *pavido* tigridi (quem supra vocat *feram fugientem*) tantum licuit, hoc quidem gemendum erat. Compar sententia apud Claud. in Rufin. II.

NOTÆ

10 *Aut cæco foveæ deceptus hiatu*] Plinius ibidem: 'Capere eos ardui erat quondam operis, foveis maxime. Principatu Claudii casus rationem docuit, pudendam pæne talis feræ nomine, pastoris Getuli sago contra ingruentis impetum objecto: quod spectaculum protinus in arenam translatum est, vix credibili modo torpescente tanta illa feritate, quamvis levi injectu operto capite, ita ut devinciatur non repugnans: videlicet omnis vis constat in oculis.'

11 *Victus fugiente fera*] Tigris enim facto morsu aufugerat. *Cardine aperto*] 'Cardo' Metonymice pro porta.

12 *Infelix cavea*] In Amphitheatro erant caveæ lapideæ, quibus feræ includebantur. Eædem portis ferreis aut ligneis obstruebantur, ne feræ exilirent. Sunt et caveæ avium: quin etiam tota area in amphitheatro 'cavea' dicebatur. *Infelix*] Quia amiserat suum leonem.

13 *Hoc licuisse nefas*] Potuisse scilicet occidi leonem a tigride.

14 *Cecidere jubæ*] Pudore videlicet.

Aspicere, et torvas duxere in lumina frontes.
At te non primo fusum novus obruit ictu
Ille pudor; mansere animi, virtusque cadenti
A media jam morte redit: nec protinus omnes
Terga dedere minæ: sicut sibi conscius alti
Vulneris, adversum moriens it miles in hostem,
Attollitque manum, et ferro labente minatur:
Sic piger ille gradu, solitoque exutus honore,
Firmat hians oculos animumque, hostemque requirit.
Magna tamen subiti tecum solatia leti,
Victe, feres, quod te mœsti Populusque Patresque,
Ceu notus caderes tristi gladiator arena,
Ingemuere mori: magni quod Cæsaris ora,
Inter tot Scythicas, Libycasque, et littore Rheni,

bras in oculos suos. Sed illud novum dedecus non obruit te prostratum primo morsu; restitit animus, et cum caderes, virtus in te revertitur jam a medio leto: nec statim omnes minæ cessere. Velut miles se sentiens vulneratum letali plaga, ruit occumbens in oppositum adversarium, et levat manum, et cadendo intentat ei gladium: sic leo tardus gressu, et spoliatus solita gloria, firmat hiantes oculos et animam, ac poscit hostem. Reportabis tamen, quamvis victus, tecum ingens solatium repentinæ mortis, quod plebs et senatus tristes doluere tuam mortem, ceu gladiator illustris occumberes in medio Amphitheatro: quod damnum unius leonis mortui affecit vultum magni Cæsaris, inter tot bestias Scythiæ ac Libyæ, et tot de ripa Rheni,

198.' *Markl.* Vide ad versum proxime præcedentem.—15 Edd. vett. *totas duxere.* 'Nullius usus vox ista *totas;* scripsit Statius *torvas.* Virg. Æn. III. 635. Martial. IV. 14. et Sil. Ital. III. 75.' *Markl.* Sed *totas* ab Homero confirmatur Il. P. 133.—22 'Sono et elegantiæ consulueris si legas: *solitosque exutus honores:* non quin alterum probum sit, sed hoc magis Statianum videtur.' *Idem.*—23 Omnes codd. et edd. vett. testantur *animamque;* Marklandus tamen legendum omnino putavit *animumque.*—26 Pro *gladiator* Venet. 1. exhibet *Germanus,* quod glossatoris est, et e margine in textum erepserat.—

NOTÆ

15 *Et torvas duxere in lumina frontes*] Ne viderent socium tam turpi ac indecoro vulnere occisum reportari. *Frontes* vero, pro palpebris: totum pro parte.

25 *Patresque*] Senatores.

26 *Gladiator*] Gladiatores erant homines, qui singularis certamine pugnabant ad oblectandum populum. Vide Lipsium de gladiatoribus lib. Saturn.

27 *Cæsaris*] Domitiani.

28 *Inter tot Scythicas, Libycasque, et littore Rheni, Et Pharia de gente feras*] In omnibus enim terræ partibus conquirebantur animalia, ac feræ, Romamque transportabantur, ut in spectaculis exhiberentur. *Scythicas*] Scythia pauca animalia fert inopia fructuum, ut inquit Plinius. *Libycas*] Libya mittebat plura animalia, ut leones, struthiocamelos, chamæleontes, pluraque animalia monstrosa, quod ob inopiam aquæ

Et Pharia de gente feras, quas perdere vile est,
Unius amissi tetigit jactura leonis.

ac de grege Phari, quas præ te leve est amittere.

29 *Et Pharias* Romana, *Faria* in aliis vett.

NOTÆ

ad unum fontem diversa conveniant, et illic coëant. *Et littore Rheni*] Germania mittebat alces, uros. Rhenus fluvius Germaniæ.

29 *Et Pharia*] Id est, Ægyptia, ob Pharon insulam Ægypto vicinam. Ægyptus autem præcipue mittebat hippopotamum et crocodilos. De crocodilis testis Strabo, et Plinius lib. VIII. cap. 26. 'M. vero Scaurus,' ait Plinius ibidem, 'primus hippopotamum cum quinque crocodilis ostendit Romæ in ædilitatis suæ ludis, temporario euripo.'

30 *Unius amissi tetigit jactura leonis*] Domitianus enim flevisse dicitur.

VI. CONSOLATIO AD FLAVIUM URSUM DE AMISSIONE PUERI DELICATI.

Flavium Ursum, in funere Phileti liberti, pueri carissimi, solatur.

Sæve nimis, lacrymis quisquis discrimina ponis,
Lugendique modos: miserum est primæva parenti
Pignora, surgentesque (nefas) accendere natos:
Durum et deserti, prærepta conjuge, partem

Nimium crudelis, quisquis statuis modos plorandi et differentiam in fletibus. Miserum est parenti cremare infantes liberos; miserrimum, ubi adoleverint: acer-

Epicedion Pileti Ursi Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Amstel. &c. *Ad Ursum juvenem amicissimum* Parm. Vide Epistolam. *Consolatio ad Flavium Ruffum de morte pueri delicati* Rhod. *Consolatio ad Flavium Ursum de amissione pueri delicati.* Salisb. quod primus admisit Gronovius, eumque secuti sunt Barth. Veen. Delph. Markl. &c.—3 'Ita distinguendum: vulgo omittitur parenthesis, quasi constructio esset, *nefas est accendere surgentes natos.* Viti-

NOTÆ

† *Flavium Ursum*] Scribit quidem Plinius aliquoties ad Ursum, sed nullo alio addito nomine, ut dubium sit an hic sit ille. Videtur cliens Flaviæ domus, aut ab se, aut a patre fuisse.

‡ *Amissione*] Εὐφημεῖ.

3 *Pignora*] Pignora, pro liberis sumi omnes sciunt. *Surgentesque (nefas) &c.*] Rerum enim ordo mutatur, quando parens liberos sepulcro condit, aut senex juniorem.

4 *Durum*] Supple, marito.

Conclamare tori: mœsta et lamenta sororum,
Et fratrum gemitus: arcte tamen, et procul intrat
Altius in sensus, majoraque vulnera vincit
Plaga minor. Famulum, (quoniam rerum omnia cæca
Sic miscet Fortuna manu, nec pectora novit,)
Sed famulum gemis, Urse, pium: sed amore fideque
Has meritum lacrymas; cui major stemmate juncto

bum est marito deplorare partem deserti lecti, amissa uxore: et tristes sunt luctus sororum, et gemitus fratrum. Sæpe tamen minor plaga magis afficit sensus, et vincit majora vulnera. Gemis, Urse, servum, (quoniam sic Fortuna confundit res cunctas incerta manu, nec inspicit animos,) sed servum pium, et dignum sic plorari, amore ac fide in te, cui fuit major libertas ex animo, quam si ei venisset e genere. Ne

ose.' *Markl.*—6 Venett. 1. 2. 3. 4. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. &c. *arcte*, vel *arte*; Parm. *ad te.* 'Verbum *arcte* minus opportunum hic loci. Scribo: *dat se tamen, et procul intrat Altius in sensus.* Sic 'dare se in vincula' Livio, &c.' *Heins.* 'Latet, opinor, verbum aliquod substantivum: optime congrueret, pro *arte*, transpositis literis, *æret*, i. e. *hæret*. An voluit? *alte tamen, et procul intrat Altius, &c.*' Markl.—9 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Sic miscet Fortuna manu, nec pectora movit.* 'Mihi placet cum aliis scribere: *nec pectore novit.* Dicit enim Poëta fortunam non agere καρδιογνώστην, nec attendere ad voluntatem hominum, et videre quid illi malint. Ita Hercule Surrent. dixit: 'si mores humanaque pectora curæ Nosse Deis.' *Gevart.* Gronovius Diatr. cap. 21. legit '*Si miscet F. manu, nec p. movit*; licet Elench. Antidiatr. cap. 3. dicat se ideo tantum protulisse hanc conjecturam, ut ejus occasione Silium, Statium alibi, Lucanum et Val. Flaccum emendaret et illustraret.' *Markl.*—10 Rom. *Sed famulum gemis usque pium.*—11. 12 Pro *juncto* Lindenbrogius conjecerat *cuncto*: Bernartius vero legit et distinguit: *cui major stemmate, justa Nobilitas.* 'Inepte; nam *junctum stemma* hic posuit, pro propinquo nobilitatis gradu, quo aliquem contingimus. Ita Theb. II. 'sanguinem junctum' dixit. Malim etiam legere literula addita *fluit* pro *fuit*.'

NOTÆ

5 *Conclamare*] Hoc ex more. Nam conclamatio sive comploratio, statim ac defunctus expiraverat, fiebat in ædibus, et erat index mortis: unde 'palam factum esse' ea de ægro dicebant, quasi hac conclamatione publicatam esse mortem notarent, ut docent eruditi.

7 *Majora vulnera*] Id est, amissionem eorum qui magis conjuncti sunt. *Vincit*] Doloris magnitudine.

8 *Plaga minor*] Mors minus conjuncti.

9 *Nec pectora novit*] Mens: Fortuna non respicit, quid animus, præstantior sine controversia hominis pars, et unde ille æstimandus, mereatur. Qualiter hic Philetus, servus natus, majorem animum habuit conditione sua, et dignus fuisset, si fortunæ cura esset mores humanaque pectora nosse, liber nasci. *Nosse* enim est cognoscere, inspicere; ut in Theb. x. 'Nosse futura rogant.'

10 *Amore fideque*] In dominum, supple.

11 *Cui major stemmate juncto Nobilitas* [*Libertas*] *ex mente fuit*] Id est,

Nobilitas ex mente fuit: ne comprime fletus,
Ne pudeat: rumpat frænos dolor iste, (Deisque
Si tam dura placent,) hominem gemis, (hei mihi! subdo

cohibe lacrymas, ne erubescas iis. Iste luctus laxet omnes habenas, et Deos incuset, si tam sæva ipsis cordi sint. Luges Urse, famulum, (Heu me! ipse accendo dolorem

Gevart. 'Quam male hic argumentatur Statius, et res diversas et nihil commune habentes conjungit! *Libertus*, inquit, *major juncto stemmate.* Quid *libertati* cum *juncto*, longo, et continuato *stemmate?* Dixisse debuit: Libertas omni vindicta, omni manumissione major; non juncto stemmate major; quippe junctum stemma non ad libertatem facit, sed nobilitatem. Vides jam Statium scripsisse: *cui major stemmate juncto Nobilitas ex mente fuit.* Ovid. Pont. I. 2. Noster Theb. II. 436. IV. 600. Juvenal. VIII. 1. &c. Male vero Gevartius legit *fluit* pro *fuit;* si enim quicquam mutandum, scripsisse debuit *fluxit* non *fluit.*' Markl.—13 Venet. 1. 2. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Deisque;* Parm. *diesque;* Gevartius et Barth. legere malint *Deosque.* 'Olim conjeceram: *Deisne Hei tam, &c.* Non male, opinor, quia idem conjectantem postea deprehendi Gronovium Diatr. cap. 21. Revera

NOTÆ

qui magis erat liber moribus ac indole, quam si longa serie nobilium descendisset. Et hoc secundum Stoicos, qui veram libertatem in sola sapientia ponebant, ac neminem præter sapientem liberum esse dicebant. Vide Cic. Parad. V. Horat. II. Sat. 7. Senecam passim, Dionem Prusæum Oratione de Servitute et Libertate, et passim Arriani Epictetum, et Persium Sat. V. *Stemmate juncto*] Propinquo nobilitatis gradu, quo aliquem contingimus. Ita Theb. II. 'Sanguinem junctum' dixit: 'Tibi larga Pelops et Tantalus auctor Nobilitas, propiorque fluat de sanguine juncto Jupiter.' Stemma autem, quia stemmata solum erant eorum, qui jus imaginum habebant, id est, eorum qui summos magistratus Reip. gesserant. Plinius lib. XXXV. cap. 2. 'Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus: Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas.' Juvenal. Sat. VIII. 'Stemmata quid faciunt? Quid prodest sanguine longo, Pontice, censeri, pictosque ostendere vultus Majorum?'

13 *Ne pudeat: rumpat frænos dolor iste, (Deisque Si tam dura placent,)*] Totum hunc locum sic illustrat Gronovius, et censet legendum *Deisne*, pro *Deisque*, et *Hei* pro *Si*, totumque locum sic interstinguit: *Ne pudeat: rumpat frænos dolor iste, Deisne Hei tam dura placent? hominem gemis! hei mihi! subdo Ipse faces: hominem Urse tuum.* Elucescit enim, ait Gronovius, in hoc summa ars excellentissimi Poëtæ, quod periodos breves velut suspiriis interstinguat, et abrupta, ac non cohærentia canat. *Ei* in vet. lib. scriptum fuerat, ut assolet, pro *Hei:* id in *Si* degeneravit. Insanum dolendo et plangendo, invidiam Diis se facere credebant stulti gentiles. Ad hoc ergo Ursum hortatur Poëta, et faces dolori subdit: omnem modum excedat ista comploratio, iste planctus; videant Dii, quam ipsis dura placuerint, quam sævi fuerint, quam injusti.

Ipse faces) hominem, Urse, tuum cui dulce volenti
Servitium, cui triste nihil; qui sponte, sibique
Imperiosus erat. Quisnam hæc in funera missos
Castiget luctus? gemit inter bella peremtum
Parthus equum, fidosque canes flevere Molossi,
Et volucres habuere rogum, cervusque Maronis.
Quid si nec famulus? vidi ipse animosque notavi
Te tantum capientis herum: sed major in ore

tuum,) luges famulum tuum, cui suavissimum erat tuum servitium, qui nihil agebat morose, quique ultro sibi jubebat, quæ imperabas. Quisnam damnet fletus sparsos in has exequias? Parthus dolet equum occisum in prælio, et Molossi plorarunt fideles canes, et cervus Virgilii, et aves habuere bustum. Quid, si non erat servus? Vidi equidem et animadverti tibi soli servire voluisse; sed major erat habitus in

vix aliter scribere potuit Statius ac conjecerat Gronovius.' *Markl.*—16 'Videtur abundare *que;* satis enim erat dixisse: *qui sponte sibi Imperiosus erat,* omisso τῷ *que.* An scripsit: *qui sponte sibi qui Imperiosus erat?* ut in isto Horatii: 'Sibi qui imperiosus.' Vel: *qui sponte sibimet Imperiosus erat?* Quære, an hæc vox unquam versum finiat?' *Idem.*—20 Codex Burmanni: *cervusque Marone.*—21 Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. &c. *habitusque notavi;* Parm. *animosque notavi;* et sic ex ed. vet. edidit Lindenbrogius, eumque secutus Cruceus; ita quoque citat Bentleius ad Horatii l. l. *animoque notavi* Rom.—22 *Te tantum cupientis herum* Venett. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. &c. 'Quisquis herum cupit necesse est servili sit animo: ferre quidem dominum necessitate adactus interdum potest magnus animus; nunquam vero *cupere:* lege igitur: *Te tantum capientis herum.* Sed contra me movet quod summus Bentleius in sua hujus loci explicatione legit *cupientis:* et huic aliquatenus favent præcedentia, 'tuum cui dulce volenti Servitium.' Melius itaque forte nihil in contextu mutasse.' *Markl.* Hanc tamen emendationem, quæ obiter non Marklandi, sed Heinsii est, vide

NOTÆ

15 *Hominem tuum*] Homo, pro servo, ut hic et apud Jurisconsultos sæpe usurpatur, Gallique retinuerunt.

17 *Imperiosus erat*] Id est, qui sponte et libenter sibi jubebat, ea quæ grata tibi esse sentiebat, ut est eorum qui maxime diligunt. *Hæc in funera*] In mortem tam egregii pueri.

19 *Parthus equum*] Parthi enim erant celebres equites. *Fidosque canes flevere Molossi*] Molossi, gens Epirotica, nota oraculo Jovis Dodonæi, venationi dedita. Canes vero Molossi seu Epirotici erant in pretio, ut Laconici et Salaminii. Virgilius: 'Veloces Spartæ catulos, acresque Molossos.'

20 *Et volucres habuere rogum*] Ut Psittacus Melioris, Corvusque Plinianus, de quo vide Plin. lib. x. cap. 43. *Cervusque Maronis*] Cervus apud Virgilium defletur a Sylvia. Notum est Carmen.

21 *Quid si nec famulus*] Servus enim dici non poterat, qui præditus erat moribus tam egregiis, et qui tam amabat herum.

22 *Major*] Servo scilicet.

Spiritus, et tenero manifesti in sanguine mores.
Optarent multum Graiæ, cuperentque Latinæ
Sic peperisse nurus. Non talem Cressa superbum
Callida solicito revocavit Thesea filo:
Nec Paris Œbalios talis visurus amores
Rusticus invisas dejecit in æquora pinus.
Non fallo, aut cantus assueta licentia ducit:
Vidi, et adhuc video, qualem nec bella caventem

vultu, et mores pudibundo rubore ingenuum arguebant. Latinæ et Graiæ nurus desiderassent, et voluissent genuisse tales liberos. Superbus Theseus, quem astuta Cretensis de eo solicita revocavit filo, non eu erat oris specie. Nec pastor Paris talis erat, ubi conventurus Œbaliam amicam deducit in mare naves, quæ invitæ movebantur. Non fallo, nec solita libertas carminis me rapit. Vidi, et adhuc mente

Advers. lib. I. cap. 5. p. 53. Marklandus in contextum recepit.—28 'Suspicari posses: *incestas d. in æ. pinus*, ex Achill. II. 363. Sed majus aliquid latet. Dixisse quidem potuit: *Matribus invisas*, ut apud Horatium, 'bella matribus detestata;' sed hoc non satis fuisset. Pæne certus sum Statium scripsisse: *Nec Paris . . . . . Troasin invisas, &c.* Pro *invisas* nonnullæ edd. perperam habent *invitas*.' Markl. *invitas* ex ed. vet. receperat Lindenbrogius.—30 Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *caventem;* Gronovius edidit *caventem*, sic enim apparet in Amstel. quæ ed. Gronov. basis est; in Erratis tamen V. D. reponi vult *canentem*, ut exhibetur in Venet. 1. et ediderat Gevartius. 'Si quis *canentem* cum Gevartio et Cruceo malit, non pugnabimus. Illud tamen magis placet, cum non ob exercendos cantus, sed

NOTÆ

25 *Cressa*] Ariadna Cretensis. *Superbum Thesea*] Ob spretam fortasse Ariadnen. Vel *superbum*, ob Scironem, Sinnin, et Cercyona publicos grassatores a se peremtos.

26 *Callida solicito revocavit Thesea filo*] Nota fabula, qua Theseus, ope fili, quod illi dederat Ariadne, erroribus labyrinthi evasit. *Callida*] Ariadne scilicet, quod hunc liberandi Thesei modum invenerit. *Solicito filo*] Illud *solicito* potest referri ad utrumque, Thesea scilicet et Ariadnen, quod nempe anxii et soliciti erant de eventu fili.

27 *Paris*] Paris filius Priami et Hecubæ, raptor Helenæ satis notus. *Œbalios amores*] Helenam Spartanam, uxorem Menelai, quam amabat Paris. *Œbalios*] Seu Spartanos: Œbalia enim regio Laconiæ, cujus Sparta caput.

28 *Rusticus*] Paris enim expositus fuerat a parentibus statim ac natus fuit, ac inter rusticos et pastores educatus. *Invisas dejecit in æquora pinus*] Paris enim contracta classe navigavit Spartam, ac Helenam rapuit. *Pinus*] Id est, naves, quia ex pinu sæpius conficiuntur. *Invisas* [*invitas*] Quasi nollent consentire profectioni, cujus scopus erat raptus Helenæ.

29 *Non fallo*] Supra Epicedio Glauciæ: 'Nil veris affingo bonis.' *Assueta licentia*] Poëtis scilicet.

30 *Qualem nec bella caventem Littore virgineo Thetis occultavit Achillem*] Comparat hic Philetum cum Achille,

Littore virgineo Thetis occultavit Achillem:
Nec circum sævi fugientem mœnia Phœbi
Troilon Æmoniæ deprendit lancea dextræ.
Qualis eras procul heu! cunctis puerisque virisque
Pulchrior, et tantum domino minor! illius unus
Ante decor, quantum præcedit clara minores
Luna faces, quantumque alios premit Hesperus ignes.
Non tibi fœmineum vultu decus, oraque supra
Mollis honos; (quales dubiæ discrimina formæ

video eum pulchriorem Achille, cum Thetis abscondit illum inter puellas in insula Scyro, ne iret ad bellum; et Troilo, cum Æmonia lancea confodit fugientem circa muros crudelis Apollinis. Qualis erat, heu, longe formosior omnibus pueris et hominibus, ac soli cedebat hero, qui tantum eum vincebat, quantum fulgida luna superat minores stellas, et Hesperus obscurat alios planetas. Non tibi erat muliebris pulchritudo, nec effœminatus decor in vultu, qualis est iis, qui pœnas dantes am-

ne bello fatali implicaretur, abditus illuc fuerit Achilles.' *Barth.*—33 Venet. 1. *trajecit lancea.*—34 *Qualis erat procul heu* Venet. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Talis eras procul en* Parm. *Qualis eras procul heu* Rom. et vet. Lindenbrogii, quod revocavit Marklandus.—39 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *qualis dubiæ post crimina formæ:*

NOTÆ

et infra cum Troilo; superioremque facit Philetum, sicut fecit, cum illum comparavit cum Theseo et Paride. Nota autem fabula, qua dicitur Thetis occuluisse Achillem in Scyro insula apud Lycomedem regem inter ejus filias, ut bellum Trojanum vitaret.

32 *Circum sævi fugientem mœnia Phœbi Troilon Æmoniæ deprendit lancea dextræ*] Troilus filius Priami et Hecubes, puer cum Achille congredi ausus, ab ipso nullo negotio occisus est. Virgilius Æneid. I. 'Parte alia fugiens amissis Troilus armis Infelix puer, atque impar congressus Achilli, Fertur equis, curruque hæret resupinus inani.' *Circum sævi mœnia Phœbi*] Id est, circum muros Trojanos, quos ædificaverat Apollo. *Sævi*] Quia deseruerat Trojanos. *Æmoniæ*] Id est, Achilleæ. Achilles enim Thessalus erat seu Æmonius, et Thessalia antiquitus vocata 'Æmonia.'

34 *Procul Pulchrior*] Id est, longe pulchrior.

36 *Minores faces*] Stellas intelligit, quæ respectu nostri luna minores apparent.

37 *Alios ignes*] Planetas. *Hesperus*] Stella Veneris cum occidua est. Diodorus Siculus lib. III. de Hespero Atlantis filio tradit, cum ex Atlante monte sidera contemplantem, repentino morbo correptum disparuisse; ac vulgus, ob illius pietatem et justitiam, ejus nomine vocasse pulcherrimam stellam, quæ et Vesperugo (Venus scilicet cum est occidua) dicitur.

39 *Discrimina* [*post crimina*] *Crimina*, pro *discrimina*, ut volunt aliqui; sed *τὸ crimina*, proprio significatu sumendum ex illis versibus viæ Domi-

De sexu transire jubent;) parvoque virilis
Gratia, nec petulans acies, blandique severo
Igne oculi; (qualis bellis jam casside missa
Parthenopæus erat;) simplexque horrore decoro
Crinis, et obsessæ nondum, primoque micantes

biguæ formæ, damnantur nullius esse sexus. Gratia virilis inerat puero, non proterci oculi, sed blandi severo igne, ut erat Parthenopæus deposita post aciem galea, ac incompositi crines pulchra et stupenda spissitute, et genæ nondum tectæ, sed ni-

Gevartius edidit *quales*. Lectio nostra debetur Marklando.—40 Parm. *torvaque virilis;* Rom. et vet. Lindenbrogii: *torvoque virilis*.—42 Bern. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *qualis belli;* Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *qualis bellis*. Edd. vett. omnes *casside visa*. 'Certo certius *missa* legendum ex codice Senensi, quo modo et alii locum restituendum esse jam monuerunt.' *Gevart*. 'Hanc *(casside visa)* veram genuinam facilemque hujus loci lectionem puto, nec ullo modo mutandam. Generosas mentes, visis solum armis ad rem gerendam accendi, notum est: et talis in Achilleide describitur ipse Pelides. Obscurant clarum locum, qui malunt legere *missa*, pro demissa, deposita, laxata. Quod neque Papinio dignum est, neque satis etiam Latinum.' *Barth*.—43 Edd.

NOTÆ

tianæ: 'Et censor prohibet mares adultos Pulchræ supplicium timere formæ.' Quasi tunc temporis crimen fuisset, pulchrum nasci. *Dubiæ formæ*] Nam discerni non potest, mares sint an fœminæ.

40 *De sexu transire jubent*] Mares, cum eunuchi fiunt, de sexu transeunt; non sunt enim amplius homines, sed tertius quidam sexus inter homines et fœminas. Hoc fieri vetuit edictis Domitianus, ut referunt historici, et ipse Papinius non prætermisit hanc occasionem laudandi principis, Coma Earini: 'Nondum pulchra ducis clementia cœperat ortu Intactos servare mares. Nunc frangere sexum Atque hominem mutare nefas.'

41 *Petulans acies*] Oculorum scilicet. Oculi ejus erant modesti et compositi. *Blandique*] *Que*, pro sed, frequenter apud Statium, qui habet a Lucano. *Severo Igne*] Gratiosi erant ejus oculi, habebantque igneum vigorem severitati admixtum.

42 *Casside missa Parthenopæus*] Parthenopæus Atalantes et Meleagri filius, cujus mira venustas ac forma describitur a Papinio Theb. IV. VI. et IX. Sed ipse laudem pulchritudinis aspernabatur. *Casside missa*] Id est, dimissa, deposita, laxata. Martialis dicit 'casside liber' lib. IX. Ep. 56. Qualis autem fuerit Parthenopæus deposita galea, describit ipse Statius Theb. IX. 699. et sequentibus, et lib. VI. 569. et seq. Aliqui legunt: *casside visa*, id est, cum jam tractaret arma.

43 *Simplexque horrore decoro Crinis*] *Simplex crinis* est inornatus, incompositus, cujus negligentiæ inerat quidam speciosus terror, seu pulchritudo terribilis. Sic Thebaid. lib. II. 'Cui torva genis horrore decoro Cassis.'

44 *Et obsessæ nondum, primoque micantes Flore genæ*] Theb. VI. 585. 'Jam

Flore genæ: talem Ledæo gurgite pubem
Educat Eurotas; teneri sic integer ævi
Elin adit, primosque Jovi puer approbat annos.
Nam pudor ingenuæ mentis, tranquillaque morum
Temperies, teneroque animus maturior ævo,
Carmina quæ donasse queant? Sæpe ille volentem
Castigabat herum, studioque altisque juvabat

tentes tantum prima lanugine. Eurotas Ledæus educat talem juventutem supra suas ripas. Sic ephebus florens tenera ætate petit Elida, et approbat Jovi primos annos. Qui versus possent celebrare honestum pudorem juvenilis animi, et lenem temperiem morum, et ingenium maturius tenera ætate? Sæpe redarguebat dominum volentem, et eum juvabat sua opera et altis consiliis, mœstus lætusque tecum,

vett. exhibent, *Parthenopeus.*—48 Parm. *Nam pudor unde novæ;* Rom. *Nam pudor inde notæ;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. ceteræ: *Nam pudor inde novæ.* 'Quædam hæc *nova mens,* et quem sensum habet ista vox *inde?* Lege minima mutatione: *Nam pudor ingenuæ mentis.*' Markl. Nicolaus Heinsius in Epistola Octavio Falconerio missa, eandem emendationem, non confidenter tamen, proposuit. Hæc Epistola extat in Syllog. Epist. Tom. v. pp. 530-535.—50 Venet. 1. et Parm. *Carmine quo potasse queam;* Lindenbrogius: *Carmine quo donasse queam;* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Amstel. Gronov. Veen. &c. *Carmina quæ donasse queant.* Vide Var. Not. 'Ego nec sensum nec verborum constructionem intelligo; sed si nihil excidit scio ad hanc formam concipi hæc oportere: *Nam pudor ingenuæ mentis, tranquillaque morum Temperies, teneroque animus maturior ævo Carmine quo nota esse queant?* ad hanc, inquam, formam; hæc enim pro veris Statianis venditare nolo: minima vero differentia inter *nota esse* et *donasse.*' Markl. 'Parmensis: *Carmine quo potasse*

NOTÆ

tenuem pingues florem induxere palæstræ, Deserpitque genis, nec se lanugo fatetur Intonsæ sub nube comæ.'

45 *Ledæo gurgite pubem Educat Eurotas*] Eurotas Laconiæ fluvius, ad quem juventus Spartana exercebat se in ludis Gymnicis. Dicitur *Ledæus gurges;* quia in ejus littore Jupiter in cycnum conversus rem habuisse cum Leda dicitur. Unde Papinio Theb. IV. 'Falso gurges cantatus olore.'

47 *Elin*] Id est, ludos Olympicos, quibus præfuerunt Elei a prima Olympiade, in qua Chorebus vicit, usque ad vigesimam sextam. Pisa deinde ludorum possessionem sibi vindicavit; rursus tamen Elei eam recuperarunt. Locus autem, ubi hi ludi edebantur, 'Olympia' appellatus, erat in Elide. *Jovi*] Quia hi ludi in honorem Jovis instituti erant. *Approbat*] In certaminibus scilicet, talem se præstat, ut a Jove approbentur anni sui.

50 *Carmina quæ* [*Carmine quo*] *donasse queant* [*queam*] Id est, quibus versibus celebrare eum potero. Alii legunt: *Carmina quæ donasse queant.* Id est, qui versus possunt exprimere ejus virtutes supra relatas.

Consiliis; tecum tristisque, hilarisque, nec unquam
Ille suus, vultumque tuo sumebat ab ore:
Dignus et Æmonium Pyladen præcedere fama,
Cecropiamque fidem: sed laudum terminus esto,
Quem fortuna sinit: non mente fidelior ægra
Speravit tardi reditus Eumæus Ulixi.
Quis Deus, aut quisnam tam tristia vulnera casus
Eligit? unde manus Fatis tam certa nocendi?

nec unquam ille suus, vultum a tuo sumebat. Meruit et fama superare Pyladem Æmonium, et Theseum Atheniensem: sed modus sit laudum, quem ejus conditio fert. Eumæus non fuit fidelior, qui tanta solicitudine expectavit servum Ulyssis regressum. Cuinam numini, et cuinam casui placuit inferre tam acerbam plagam?

---

queam, pro *dotasse;* sed non satis hæc cohærent.' *Heins.*—54 *Dignus et Æmonium Pyladen præcedere fama*, vel *Hæmonium*, editiones vett. Heinsius ad Ovid. Trist. I. 9. 27. hæc notat: '*Hæmonium* Pyladen facit Statius in Sylvis, sed librariorum, ut opinor, culpa.' In Epist. vero Oct. Falconerio: 'Locus manifeste corruptus, nam Phoceus fuit Pylades, non Thessalus. Manuscriptus codex, cujus discrepantes scripturæ in Parmensi apparent editione: *Hæmonium juvenem;* forte: *Hæmoniam Pelidæ accidere famæ*, vel *Hæmonium Pelidæque accedere fama Cecropiamque fidem;* ut tria exempla singularis amicitiæ conjungat, Achillem, Pyladem, Thesea.' Syllog. Epist. Tom. v. p. 535. In Advers. lib. II. cap. 1. p. 201. codicis Ms. lectionem, *Hæmonium juvenem* præferre videtur. 'An scripsit: *Dignus et Aonium Pyladen præcedere fama?* ut contiguas regiones Bœotiam seu Aoniam et Phocida forte confuderit.' *Markl.* '*Pyladen* cur *Æmonium* dixerit Papinius, declarabunt lecta Pausaniæ Corinthiaca; nam et eum Heroicis familiis Phoci, Pelei, Atrei oriundum fuisse testatur.' *Barth.*—59 'Non optimum

NOTÆ

52 *Nec unquam Ille suus*] Ex te semper pendebat: sumebat eundem habitum vultumque, quem tu habebas.

54 *Æmonium Pyladen*] Nota amicitia Pyladis et Orestis. *Æmonium*] Id est, Thessalum. Vide supra vs. 33.

55 *Cecropiamque fidem*] Id est, Atticam. Athenienses enim 'Cecropidæ,' et Attica vocata 'Cecropia' a Cecrope primo rege Athenarum. *Fides* autem *Attica*, est amicitia Thesei Atheniensis, qui Pirithoum amicum adeo dilexit, ut gratificaturus illi maxima pericula adierit, Proserpinamque rapere voluerit. Nota fabula. *Sed laudum terminus esto, Quem fortuna sinit*] Innuit restringendam esse laudem Phileti intra limites suæ conditionis, laudandamque ejus fidem ab exemplis petitis a personis ejusdem fortunæ, ut Eumæo Ulyssis subulco, non vero liberis hominibus, ut Pylade et Theseo.

56 *Ægra*] Mœsta ob absentiam domini.

57 *Eumæus*] Eumæus filius Ormeni, Syrus, emtus a Laërte, servus fideli animo erga dominum Ulyssem. *Tardi Ulixi*] Ulysses heros notus omnibus. *Tardi*] Id est, tarde revertentis.

O quam divitiis censuque exutus opimo
Fortior, Urse, fores! si vel fumante ruina
Ructassent dites Vesuvina incendia Locros,
Seu Pollentinos mersissent flumina saltus;
Seu Lucanus ager, seu Tybridis impetus, altas

Unde fatis tam certi ictus? O Urse, quam constantior fores, spoliatus opibus et florenti fortuna! Si vel ignes Vesuvii combussissent, ardente ruina, opulentos Locros, seu fluvii inundassent sylvas Pollentinas; seu campus Lucanus absorptus fuis-

videtur istud, *Deus Elegit:* melius, *Exigit.*' Markl.—62 'Mihi minime dubium est hanc vocem *Ructassent* depravatam esse; et medicinam videor invenisse: *si vel fumante ruina Undassent dites Vesuvina incendia Locros.* Posses etiam, *Nudassent dites, &c.* sed istud alterum magis placet; et verum puto: nisi malis: *Ructassent dites Vesuvina incendia Locri:* quod etiam facile defendi potest.' *Idem.*—63 *Polentinos* edd. vett. 'Nec mutatione distinctionis aut alio quopiam pacto possum huic loco opitulari; nam quod in mentem veniebat: *Seu Pollentini mersi essent flumine saltus, Seu Lucanus ager: seu, &c.* statim abjeci, gnarus hanc laxam compositionem non esse Statii. Aut igitur excidisse videtur versus, aut mira est Ellipsis: *Seu Leucanus ager* admisisset *aquas, seu Tibridis impetus torsisset aquas in dextrum.* Sed quid *Tibridi* cum *agro Lucano*, tam longe dissito? Despero igitur, et supra captum meum esse hæc confiteor. Recte vero ex duobus codd. edidit Gronovius, *In dextrum,*

NOTÆ

61 *Fortior fores*] Levius ferres. *Fumante ruina*] Silius Italicus lib. I. 'Dum penitus pluteis Vulcanum exercet adesis Arma virosque simul pressit flagrante ruina.' 'Ardentes ruinæ' Floro lib. I. cap. 18.

62 *Vesuvina incendia*] Intelligit calamitosam illam ac prodigiosam cladem, quæ contigit principatu Titi, qua erumpentibus ignibus ex Vesuvio monte Campaniæ, duæ urbes cum pagis multis haustæ aut obrutæ sunt, Herculaneum et Pompeii. Quin etiam Plinius, magnus ille naturæ genius, qui eo visendi cupiditate contulerat se, eodem casu absumtus est. Qua de re vide Epistolam Plinii nepotis ad Tacitum. *Locros*] Locri populi in extrema Italiæ ora, quam Græci veteres Magnam Græciam vocarunt; oppidum habebant ejusdem nominis conditum ab iis Locris, qui Ajacem Oileum ad Trojam secuti erant, et 'Epizephyrii' cognominabantur. De his sermo hic est. Ibique Ursus prædia habebat. Sunt et Locri Græciæ populi.

63 *Pollentinos*] A Pollentia urbe sita in Liguria ad radices Alpium, lanis nigris nobili, ut refert Plinius. De hac hic Papinius loquitur probabiliter. Erat et oppidum ejusdem nominis in altera ex Balearibus insulis.

64 *Seu Lucanus ager*] Lucani populi Italiæ, a Samnitibus orti, secundum mare extenti, Silaro fluvio a Picentinis, Lao a Brutiis divisi: quorum urbes primariæ Velia, antiquitus Helia, Pæstum, Græcis Posidonia appellatum, Buxentum. Vide Plin. lib. III. cap. 5. *Seu Tybridis impetus, altas In dextram torsisset aquas*] De inundatione hujus fluvii hæc habet Plinius ibidem: 'Nulli fluviorum minus licet inclusis utrimque lateribus:

In dextrum torsisset aquas, paterere serena
Fronte Deos: sive alma fidem, messesque negasset
Cretaque, Cyreneque, et qua tibi cumque beato
Larga redit Fortuna sinu: sed gnara dolorum
Invidia infelix animi vitalia vidit,
Lædendique vias: vitæ modo limine adultæ
Nectere tendebat juvenum pulcherrimus ille
Cum tribus Eleis unam trieterida lustris.

set, seu rapidus Tibris flexisset in dextrum latus profundas aquas, ferres placido vultu numina; sive etiam Creta et Cyrene fefellissent promissa, et recusassent segetes, et alii undique loci, quorum ampli reditus te felicem reddunt. Sed misera Invidia, gnara quid nobis gravius doleat, notavit locum, quo animus letaliter vulnerari poterat, et viam, qua ille feriri posset. Ille formosissimus epheborum, quem omnes adolescentes canebant, modo parabat jungere unam trieterida tribus Olym-

sc. latus; non *dextram*.' Markl. At omnes edd. retinent *dextram*.—70 Edd. vett. *vitæ modo carmen adultæ*. Pro *carmen* Gronov. conjecit *cardine*; Marklandus *limine*. Totum versum, ut spurium ejecit Barthius.—71 *Nectere tentabat* Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Nectere tendebat* codex Sen. Rom. et vett. Lindenbrogii, quod revocavit Gronovius. 'Et ita ex conjectura emendaveram priusquam ullam variantem lectionem videram.' *Markl.* Multa de hoc Statii loco Salmasius Epist. 86. ad Gronovium: quæ omnia retexit Epist. 88. et demum legit: *vitæ modo limen adultæ Nectere tentabat*. Salmasio respondet Gronovius Syllog. Epist. Tom. II. p. 533. Vides ergo unde suum *limina* sumserit Marklandus.—72 Heinsius ad Ovidii Met. XIV. 325. pro

NOTÆ

nec tamen ipse pugnat, quanquam creber, ac maximis incrementis, et nusquam magis aquis quam in ipsa urbe stagnantibus. Quinimmo vates potius ac monitor, auctu semper religiosus verius, quam sævus.'

65 *In dextrum* [*dextram*] Melius alii codices, *In dextrum*, supple latus.

67 *Creta*] Creta insula maris Mediterranei prope Peloponnesum. Vide Theb. lib. I. 279. *Cyrene*] Urbs primaria provinciæ Cyrenaicæ, quam Batto duce ex progenitoribus Poëtæ Callimachi, Theræi, oriundi e Laconibus, qui Theream insulam tenuerant, condiderunt. In his autem omnibus locis Ursus habebat prædia.

69 *Invidia infelix*] Per invidiam intelligebant veteres, ut jam diximus, vim quandam numinis, quod rebus nimium pulchris, lætis, ac florentibus invideret, ac adversaretur, et excelsa quæque deprimeret. Vide Theb. VI. 695. et Epic. Glauciæ vs. 120. Dicitur *infelix*, quod felices persequatur. Pindarus Olymp. VIII. cavet sibi ab illius saxo aspero: Μὴ βαλέτω με λίθῳ τραχεῖ φθόνος. *Invidia ne me feriat aspero saxo.* Lucianus in Apellea tabula Calumniæ comitem dat. *Animi vitalia vidit*] Observavit qua parte animum lædere posset.

70 *Vitæ modo limine* [*carmen*] *adultæ Nectere tendebat* [*tentabat*] *juvenum pulcherrimus ille Cum tribus Eleis unam trieterida lustris*] Τὸ *nectere* jungendum est cum *trieterida*, non cum *carmen*. Et

Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu:
Ac primum implevitque toros, oculisque nitorem
Addidit, et solito sublimius ora levavit,
(Heu! misero letale favens,) seseque videndo

piadibus. Mæsta Nemesis respexit eum limis oculis, ac primum implevit ejus musculos, et præbuit fulgorem oculis, et decoravit vultum forma solito egregiori: heu donis cumulans, ut crudelius in eum sæviret, et tot dotes videndo sese excruciavit, et

NOTÆ

hoc elegantissimo loquendi modo innuit Philetum pervenisse fere ad decimum octavum ætatis annum; metaphora desumta a ludis Eleis seu Olympicis, qui quinto quoque anno celebrabantur, et ludis Nemeis, qui tertio quoque anno redibant, ut omnes sciunt, et ipse Papinius docet Theb. v. 'Cum tristem Hypsipylen ducibus sudatus Achivis Ludus et atra sacrum recolit Trieteris Ophelten.' *Vitæ adultæ limine* [*carmen*] Id est, quem omnis vita adulta, omnes juvenes canebant. Pro *carmen* autem legit Gronovius *germen*, aitque hujus loci sensum esse: ille pulcherrimus juvenum modo vitæ adultæ germen, id est, flos intratæ adolescentiæ *tendebat nectere, &c.* legit idem Gronovius *tendebat* pro *tentabat* a Senensi Ms. et Romano codice, et dicit Poëtam usum eleganter verbo Horatiano: 'Singula de nobis anni prædantur euntes: Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum: Tendunt extorquere poëmata.' Sic alibi: 'Aqua tendit rumpere plumbum,' pro nititur. Legit Gruterus *culmen* loco *carmen*, ut sit mens Philetum attigisse prope decimum octavum ætatis annum, qui est *culmen vitæ adultæ*, id est, adolescentiæ; adolescentia enim incipit ab anno ætatis duodecimo, vel potius decimo quarto, et finitur anno vigesimo primo, post quem incipit juventus. Sic decimus octavus ætatis annus est *culmen* adolescentiæ. Nam post hoc tempus incipit vergere ad juventam. Cl. Salmasius in Epist. 86. ad Gronovium legit *crimen*, pro *carmen*, et punctum ponit post τὸ *adultæ*; et ait, Poëtas solere et aliquando Historicos acerba funera plerumque Invidiæ ipsi, quam θεὸν σωματοποιοῦνται, et invido alicui numini tribuere, quod præstantissima quæque nolit in terris diurnare. Apud illam divinitatem *crimen* est, vel pro crimine habetur, in adulto corpore virtutis magna spes exoriens, et sese exerens: ideo statim in medio cursu demetere satagit, priusquam ad frugem et maturitatem perveniat. Itaque crimen Phileto fuisse, quo Invidiæ seu Nemesi fuit invisus. *Adulta vita*, seu decimus octavus annus, est flos ipse ætatis, in illis maxime, qui forma commendantur, ut hunc Philetum commendat Statius. Idem Salmasius in Epist. 88. ad eundem Gronovium legit: *vitæ modo limen adultæ Nectere tentabat.* Nectere, inquit, tentabat unam Trieterida tribus Olympiadibus, quod est *limen* tantum et vestibulum vel ingressus *vitæ adultæ*: ex ephebis nempe excesserat, qui egressus est adultæ vitæ. Per appositionem itaque hæc dicuntur: *vitæ modo limen adultæ*.

73 *Rhamnusia*] Dea Nemesis, seu Adrastia, *Rhamnusia* dicta a Rhamnunte oppido Atticæ, in quo superbum habebat templum. Vide supra, vs. 69. *Tristis*] Ut supra dicitur 'infelix,' quod res lætas et prosperas odit.

76 *Letale favens*] Hæc enim omnia

Torsit, et invitam mortem complexa, jacenti
Injecit nexus, carpsitque immitis adunca
Ora verenda manu: quinta vix Phosphorus hora
Rorantem sternebat equum, jam littora duri
Sæva, Philete, senis, dirumque Acheronta videbas,
Quo domini clamate sono! non secius atros

assumens invidiam et mortem injecit vincula ægroto, et curva manu carpsit decorem vultus, quem revereri debebat. Vix Lucifer sub quintam horam sternebat equum rore madidum, jam Philete cernebas crudeles ripas acerbi senis, et sævum Acheronta; quibus domini ejulatibus? Mater non sæpius sugillasset livida brachia ob

lustris coujicit *luctis*. Nihil mutandum putat Marklandus.—77 *Torsit, et invidia, mortemque amplexa* edd. vett. *Torsit, et invidiam* conjecerat Lindenbrogius; sed totum versum delere malit Barthius. Lectionem nostram ex conjectura in contextum intulit Marklandus.—81 Edd. vett. *Pilete;* codex Gronovii *Philete*. Edd. vett. omnes: *durumque Acheronta*. Altera lectio est ex emendatione Marklandi. Pro *sæva* Parm. habet *scæva*.—82 *Quo domini clamante sono* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *clamate* Rhod. et Salisb. quod reposuit Gronovius. Pro *secius*, quod edd. vett. exhibent, Barthius legit *sæpius*. 'Ego adhuc quæro quare *sæva littora*, et *sæva genitrix* tam prope posita; et, quod majus est, quomodo

NOTÆ

muuera, seu dotes collatæ Phileto, causæ fuere suæ mortis. *Seseque*] Id est, opera sua nimium pulchra, nimirum quod implevisset toros Phileti, fulgoremque oculis ejus dedisset, ac sublimius solito vultum ejus erexisset. Similis locus Epicedio Glauciæ: 'Illa genas, et adultum comere crinem,' &c.

77 *Invitam* [*Invidiam*] *Mortemque*] Comites hæ sunt fere semper Nemesis illius tristis Deæ.

78 *Carpsitque immitis adunca Ora verenda manu*] Inde videtur Philetum mortuum fuisse variolis, morbo fœdo, cujus est proprium dilaniare et cavare vultum. *Immitis*] Quia non mota fuit misericordia erga Philetum, qui merebatur vivere ob tantas dotes animi, corporisve; vel etiam erga ipsum Ursum, cui eripiebat tam carum puerum.

79 *Phosphorus*] Id est, Lucifer. Cicero de Natura Deorum: 'Infima est quinque errantium, terræque proxima stella Veneris, quæ Φώσφορος Græce, Latine *Lucifer* dicitur, cum antegreditur solem, cum subsequitur, Hesperus.' *Quinta hora*] Post mediam noctem scilicet. Et innuit sub auroram, seu primo diluculo, mortuum fuisse Philetum.

80 *Rorantem*] Aqua maris scilicet, opinione vulgi qui credit sidera oriri e mari. *Duri senis*] Charontis, qui nemini parcit.

81 *Philete* [*Pilete*] Scribendum *Philete*. Est enim Φιλητὸς, et sic unus e scriptis. Occurrit in lapidibus antiquis et apud Martialem. Sic inter Rhetoras Suetonii: 'Lucius Otacilius Philetus:' non enim 'Pilitus' aut 'Pilittus,' ut viri doctissimi voluerunt. *Gronovius*. *Acheronta*] Fluvium Inferorum.

82 *Quo domini clamate sono*] Id est, complorate. Simul enim ac mortuus quis erat, comploratio seu con-

Nigrasset planctu genitrix tibi sæva lacertos,
Nec pater: et certe qui vidit funera frater
Erubuit vinci: sed nec servilis ademto
Ignis: odoriferos exhausit flamma Sabæos
Et Cilicum messes, Phariæque exemta volucri
Cinnama, et Assyrio manantes gramine succos,
Et domini fletus: hos tantum hausere favillæ,

tuam mortem, nec genitor: et certe fratrem, qui vidit tuas exequias, puduit vinci. Sed rogus servilis non fuit prærepto. Ignis consumsit suaveolentes opes Sabæorum, et segetes Cilicum, et cinnama erepta avi Phariæ, ac liquores stillantes ex Assyria planta, et lacrymas heri. Cineres tantum has biberunt: bustum has tantum absor-

genitrix *sæva* fuit huic puero *mortuo*, cum *suos* lacertos nigrasset et plangeret? Propius ad rem fuisset si dixisset *sibi sæva* non *tibi*. Sed nec ita dixisse puto: adhuc enim *sæva* et *sæva* nimis vicina sunt; et subfrigidum est illud *sibi sæva: cui* enim *sibi sæva* esse potuit quæ *suos* lacertos verberarit? sensum igitur non promovet *sibi sæva*. Ego non dubito a Statio fuisse: *non secius atros Nigrasset planctu genitrix insana lacertos*. Potes etiam legere, *genitrix vesana* ex Propertio II. 9. 10. Et hoc forte verius propter perpetuam fere mutationem literarum *B.* et *V.*' Markl. Pro *sævius*, vel, ut legit Marklandus, *secius*, Parm. habet *scævius*: et mox, *tibi scæva*.—88 Sic omnes codd. et edd. vett. Heinsius ad Claud. de Nupt. Honor. et Mar. vs. 95. ita scribit: ' Legendum *germine*. Qui *gramina* amomum interpretantur, vellem nos docuissent amomum herbam esse.' Ita etiam legit Advers. lib. IV. cap. 3. p. 580. Ad Ovidii vero Heroid. Epist. XV. 76. aliter citat hunc versum: *Balsama, et Assyrio manantes germine succi*.—89 *At domini...ausere* Venett. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Et domini flectus, hos tantum ausere favillæ* Parm. et Rom. *Et* etiam legit Gevartius ex codice Senensi.

NOTÆ

clamatio fiebat, ut observavimus supra vs. 5.

83 *Nigrasset planctu*] Ex more scilicet jam a nobis observato.

85 *Sed nec servilis ademto Ignis*] Id est, non ut servus ustus ac crematus es.

86 *Odoriferos Sabæos*] Intelligit Myrrham ac thus, quæ ' Arabiæ divitias' vocat Plinius, et causas, quæ nomen illi 'felicis' ac 'beatæ' dederunt. *Sabæos*] Quia in solo pago Sabæorum, in media Arabia collocato, arbores thuriferæ reperiuntur, ac regio thurifera vocatur *Saba*.

87 *Et Cilicum messes*] Crocum intelligit. Prima enim nobilitas, ut ait Plinius, croco Cilicio, et ibi in monte Corycio. *Phariæ volucri*] Phœnici, qui sæpe in Ægypto visitur: hinc 'Pharia volucris.' Vide Psittacum Melioris, vs. 37.

88 *Cinnama*] Pretiosum aroma. Vide Theb. VI. 61. *Et Assyrio manantes gramine succos*] Intelligit unguentum ex amomo confectum, quod frequens in Assyria nascitur. Vide supra Psittaco Melioris: ' Assyrio cineres adolentur amomo.' Pro *gramine* autem legendum censet *germine* Nicolaus Heinsius, suis ad Claudianum notis. Non enim Amomum herba.

Hos bibit usque rogus: nec quod tibi Setia canos
Restinxit cineres, gremio nec lubricus ossa
Quod vallavit onyx, miseris acceptius umbris
Quam gemitus; sed et ipse juvat. Quid terga dolori,
Urse, damus? quid damna foves, et pectore iniquo
Vulnus amas? ubi nota reis facundia raptis?

buit. Nec quod Setinum vinum abluit tuos albentes cineres, nec quod urna ex marmore Onychite inclusit tua ossa sinu suo, hæc tam grata sunt ejus umbris infelicibus, quam lacrymæ domini. Sed et ipse te juva. Quid, Urse, succumbimus dolori? Quid alis luctum tam tibi gravem? et amas fovere injuste plagam in tuo pectore? Ubi eloquentia tua cognita reis in judicium raptis? Quid angis tam atroci

—93 Cruceus pro *juvat* legit *juva.* Edd. vett. *Quid terga dolori;* alii legunt *Quod,* improbante Barthio. Marklandus hunc versum ita legit: *Quin gemitus sedasse* (vel *sedare*) *juvat? quid terga dolori, &c.* Cf. II. Sylv.

NOTÆ

90 *Setia canos Restinxit cineres*] Setinum vinum primæ notæ intelligit e Setia Campaniæ oppido. De quo Plinius lib. XIV. cap. 6. de vinis generosis loquens: 'Divus Augustus Setinum prætulit cunctis, et fere secuti principes, propter confessa experimenta, non temere cruditatibus noxiis.' Et tangit morem, quo rogum, usto jam cadavere, vino extinguebant. Virgil. Æneid. VI. 'Postquam collapsi cineres, et flamma quievit, Reliquias vino, et bibulam lavere favillam.' Patrocli quoque rogus nigro vino extinguitur apud Homerum Il. Ψ. Vetus tamen lex Numæ: 'vino rogum ne respergito.' Vide Plinium lib. IV. cap. 2. *Canos*] Quia cineres, extincto igne, sensim albescunt.

91 *Gremio nec lubricus ossa Quod vallavit onyx*] Id est, urna ex onyce: collectos enim cineres urnis condebant. *Lubricus*] Vel quia facile elaberentur manibus ejusmodi vasa, vel quia fragilia erant. Et Poëta respexit etiam ad ritum componendi ossa, de quo vide Tibull. lib. II. Eleg. 2.

92 *Miseris acceptius umbris Quam gemitus*] Mens: Etsi quicquid aromatum erat, injectum fuisset in rogum Phileti, onyxque contineret ejus ossa, Setinoque vino cineres ejus extincti fuissent, nihil tamen gratius fuit, majoremque consolationem attulit miseris ejus umbris, quam lacrymæ, ac gemitus domini. Lacrymæ autem propinquorum ac amicorum Manibus gratissimæ erant, ut quibus dolorem, quem ex morte propinqui, aut amici habebant, testarentur; unde Solon dicebat: Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισιν Καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς. *Non mihi contingat mors indefleta, sed relinquam moriens amicis dolores, et gemitus.* Confirmat Papinius lacrymis Hetrusci: 'Felix heu nimium felix, plorataque nato Umbra venit.' Et Homerus Iliad. Ψ. Πάτροκλον κλαίωμεν, ὃ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. *Fleamus Patroclum, hoc enim est præmium mortuorum.* Summo enim dedecori esse ei qui mortuus erat putabant, si a suis superstitibus non ploraretur.

95 *Reis raptis*] In judicium scilicet.

Quid caram crucias tam seris luctibus umbram?
Eximius licet ille animi, meritusque dolorem,
Solvisti: subit ille pios, carpitque quietem
Elysiam, carosque illic fortasse parentes
Invenit: aut illi per amœna silentia Lethes
Forsan Avernales alludunt undique mixtæ
Naides, obliquoque notat Proserpina vultu.
Pone, precor, questus; alium tibi Fata Phileton,
Forsan et ipse dabit; moresque habitusque decoros

dolore dilectos manes? Egregius licet ille mente fuerit, et dignus isto luctu, luisti ei, quod debebas. Intrat ille sedem piorum, et perfruitur quiete Elysia, et illic forsan reperit dilectos parentes: aut Avernales Naiades forsan lasciviunt circa illum in amœnis locis tacitæ Lethes, et Proserpina eam observat obliquo vultu. Dimitte, oro, planctus. Fata, et forsitan ipse, tibi dabunt alium Philetum, cui

1. 208.—96 Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. &c. *tam sævis*, vel *scævis*. Altera lectio figmentum est Marklandi. —97 Parm. *meritusque dolerri;* unde Gronovius *doleri.*—98 Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *carpsitque;* Parm. *capitque;* unde Marklandus *carpitque.*—99 Venett. Parm. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. *clarosque;* Bernartius correxit, *carosque.*—100 Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Lindenbrog. Cruc. &c. *illic per amœna;* Amstel. Gronov. Barth. et recentt. *illi.*—104 Parm. et Rom. *habiture decoros;* codex

NOTÆ

96 *Quid caram crucias tam seris* [*sævis*] *luctibus umbram*] Si tamen luctus erat nimius et propinqui ultra lacrymas et gemitus, vel usque ad corporis laniatum, vel lacerationem crinium procedebant, tunc veteres credebant manes defunctorum his lædi, ut qui nolebant propinquos carosque sui gratia in se ipsos sævire. Et hoc, ut luctum intra legitimum modum continerent. Tibullus: 'Tu manes ne lede meos, et parce solutis Crinibus, et teneris Delia parce genis.' Seneca Tragicus Octavia: 'Renovare luctus parce cum fletu pios; Manes parentis neve solicita tuæ.' Plato etiam de Legibus lib. XII. prohiberi posse existimavit, ne nimium lugerentur mortui, aut immoderate luctus iste exprimeretur.

98 *Solvisti*] Supple, quod illi debebas, lacrymis, ac gemitibus tuis, ac officio ejus funeri præstito. *Subit ille pios*] Id est, sedem piorum. *Quietem Elysiam*] Quies proprium vocabulum de campis Elysiis. 'Ordines quieti' Horatio. Nemesianus: 'Si sentire datur post fata quietis.' Apuleius Mil. lib. VII. 'Desine jam: precor, desine: ac me in meam quietem permitte.'

100 *Amœna silentia Lethes*] Id est, campos Elysios. Lethe fluvius Inferorum.

101 *Avernales Naides*] Sunt enim etiam Nymphæ et Naiades apud Inferos.

102 *Obliquoque vultu*] Raptim, ne observetur a Plutone. *Proserpina*] Regina Inferorum, uxor Plutonis.

104 *Forsan et ipse dabit, &c.*] Vide quæ diximus ad Glauciæ Atedii Me-

Monstrabit gaudens, similemque docebit amorem.

lætus monstrabit mores ac habitus decoros, et docebit illum te amare, ut et ipse te amavit.

Florent. et Venet. 2. habent etiam, *decoros;* unde Marklandus: *habitusque decoros.*—105 Parm. Venet. 2. et Rom. *amari* pro *amorem*, quod recepit Marklandus; sed in curis secundis corrigi jussit.

NOTÆ

lioris delicati vs. 227. Alium forte Philetum sui similem tibi mittet ab Elysiis campis. *Mores habitusque* [*habitumque*] *decoros* [*decoris*] Ms. Florentinus, Romanus et Venetus codex habent *decoros.*

105 *Similemque docebit amorem*] Dein optima lectio et ipsius Statii, quam pro ultimo verbo habent Romanus et Venetus *similemque docebit amari.* Neque enim, dicitur: Forsan ille alium dabit Philetum, et ei monstrabit mores habitumque decoros, docebitque eum amorem, quo ipse tibi serviebat: sed hoc dicitur: Dabit alium Philetum tibi, ejus mores habitumque decoros tibi monstrabit, et ostendet grande solatium, a te sui similem amari. *Gronovius.*

VII. GENETHLIACON † LUCANI. ‡

In gratiam Pollæ Argentariæ, mariti demortui Lucani poëtæ natalem celebrat.

Lucani proprium diem frequentet

Quisquis commotum habens pectus docto furore, potavit aquam fontis orti ictu

Parm. *Genethliacon Lucani ad Pollam.* Vide Epistolam.—11 *Præcingant*

NOTÆ

† *Genethliacon*] Vetustissimus mos diei natalis colendi, cujus etiam mentio habetur in scripturis sacris Gen. XL. et in Evangelio. Persis etiam summo cultu observatus. Vide Herodotum et Platonem Alcib. I. Celebrabant Romani amicorum et Imperatorum natales, suumque, ac munera mittebant diem natalem celebrantibus, ut diximus supra Arbore Melioris: celebrabant et defunctorum, eorum maxime quos in summa veneratione habebant, ut de Silio Italico refert Plinius lib. III. Ep. 7. 'Virgilii ante omnes,' ait, 'cujus natalem religiosius quam suum celebrabat. Neapoli maxime, ubi ejus monumentum adire ut templum solebat.' Juvenal. Sat. v. 'Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant Brutorum et Cassî natalibus.' Non autem dignius dies natalitius Lucani coli poterat, quam hoc pulcherrimo genethliaco.

‡ *Lucani*] Lucanus Poëta notissimus Pharsalia sua. Hujus patriam, opera, matrimoniumque, ac mortem describit hoc genethliaco Papinius.

1 *Proprium*] Proprius et suus cujusque dies est natalis, ἀρχὴ τῆς γενέσεως τῆς ἑκάστου, ἡ ἡμέρα ἐφ' ἧς ἐγένετο, Dionysio Halicarnassæo. *Diem*

Quisquis collibus Isthmiæ Diones
Docto pectora concitatus œstro,
Pendentis bibit ungulæ liquorem.
Ipsi, quos penes est honor canendi,
Vocalis citharæ repertor Arcas,
Et tu Bassaridum rotator Evan,
Et Pæan, et Hyantiæ sorores,
Lætæ purpureas novate vittas:
Crinem comite, candidamque vestem
Perfundant hederæ recentiores.
Docti largius evagentur amnes,

ungulæ equi alati in collibus Isthmiæ Diones, celebret natalem diem Lucani. Ipsi, quos penes est honor cantus, Arcas inventor sonoræ citharæ, et tu, Evan, qui agis in orbem Bassaridas, Pæanque, et Hyantiæ sorores, renovate lætæ purpureas vittas. Componite comam, et circumdate recentioribus hederis niveos vestros amictus. Docti

NOTÆ

frequentet] Græci dicunt ἡμέραν θεραπεύειν.

2 *Collibus*] Intelligit Acrocorinthum, ad cujus radices erat fons Pyrene. *Isthmiæ Diones*] Euripides Acrocorinthum vocat ἱερὸν ὄχθον, πόλιν Ἀφροδίτης. Strabo lib. VIII. Dionem seu Venerem vocat 'Isthmiam,' quia habebat templum in vertice Acrocorinthi, qui in medio Isthmo est. Venerem autem 'Dionem' vocari omnes sciunt.

3 *Œstro*] Œstrum genus muscæ aculeatæ. *Doctum* vero *œstrum*, est, ἐνθουσιασμὸς, quem Plato, σώφρονα μανίαν, *sanum et sobrium furorem* vocat.

4 *Pendentis ungulæ liquorem*] Innuit fontem Pyrenen, quem ictu ungulæ Pegasi equi alati, unde dicitur 'pendens,' ortum fuisse dicunt.

5 *Ipsi*] Dii scilicet.

6 *Vocalis citharæ repertor Arcas*] Mercurius enim inventa testudine, accommodatisque ei chordis, citharam fecisse dicitur. *Arcas*] Quia Mercurius in Arcadia natus est.

7 *Bassaridum*] Bassarides, ministræ Bacchi, quæ et Bacchantes, Mænades, Thyades et Mimallones etiam vocabantur. Ipse Bacchus 'Bassareus' vocatus a specie vestium, quibus utebantur antistitæ ejus in Orgiis. Alii deducunt ἀπὸ τοῦ βάζειν, quod *clamare* significat. Ea autem vestis ad talos usque dependebat, eaque etiam Bacchus quandoque inducebatur. Papinius Achill. I. 'Si decet aurata Bacchum vestigia palla Verrere.' *Rotator Evan*] Bacchus, *rotator Bassaridum* dictus, quia Bacchæ in Orgiis in orbes agebantur. Theb. VII. 'Et ad inspirata rotari Buxa.'

8 *Pæan*] Cognomentum Apollinis. Phœbus autem, Bacchus, ac Mercurius, ut jam diximus, arbitri eloquentiæ ac poëtices erant. *Et Hyantiæ sorores*] Musæ Bœotiæ, quæ sorores erant. *Hyantiæ*] Ab Hyantibus Bœotiæ populis, Plinio, et Pausaniæ.

11 *Hederæ*] Utpote Baccho sacræ.

12 *Docti amnes*] Ut Permessus, et Hormius, aliique. Theb. VI. 'Tuque o Permesse canoris Et felix Hormie vadis.' Claudianus in Theodosii Con-

Et plus Aoniæ virete sylvæ.
Et si qua patulam diem recepit,
Sertis mollibus expleatur umbra.
Centum Thespiacis odora lucis
Stent altaria, victimæque centum,
Quas Dirce lavat, aut alit Cithæron.
Lucanum canimus: favete linguis:
Vestra est ista dies; favete, Musæ,

fluvii eragentur copiosius, et vos, Aoniæ nemora, plus solito virete, et si qua locus umbrosus patet, aut admittit lucem, expleatur teneris florum corollis. Centum aræ suaveolentes erigantur in lucis Thespiacis et adducantur centum hostiæ, quas Dirce alluit, et Cithæron pascit. Celebramus Lucanum, favete linguis. Ista dies est vestra:

ederæ Markl.—14 *Et si qua patet, aut* Venet. 1. Parm. Vicent. Aldd. Gryph. Basil. Gevart. Bern. Amstel. Gronov. Barth. &c. *Et si qua pateram* Rom. quod Domitius interpretatur: 'Si aliquis se contulit in umbram in diem ut pateram daret voluptati.' Hinc *Et si qua patulam, &c.* eruit Marklandus. Cf. Arat. 1113. 1531. Val. Flac. I. 844. Virg. Georg. II. 522. et Ovid. Art.

NOTÆ

sul. 'Fluxit Aganippe Largior, et docti riserunt fontibus amnes.' *Docti* vero dicti *amnes*, quod inspirationem facerent literarum, ut eleganter Solinus dicit cap. 13.

13 *Plus*] Plus solito. *Aoniæ*] Bœotiæ, vel Parnassiæ. Aones enim populi Bœotiæ: prius Parnassum incolebant, ut refert Strabo.

14 *Et si qua patulam* [*patet*] Supple, umbra, ne radiis solaribus aut calori pateat, ne perrumpere possint radii solares. Sensus vero: Si qua non frondescant arbores, 'et si qua laxant rami nemus,' ut Noster Theb. II. ait, id est, si sit hiatus qui lucem recipiat, hic hiatus expleatur teneris corollis. δασύφυλλοι σκιάδες. Virgilius in Epicedio Daphnidis: 'Spargite humum foliis, inducite frondibus umbras.' Et hoc, quod umbris delectari manes credebant.

16 *Thespiacis*] A Thespiis civitate Bœotiæ, ubi consecratum Musis templum, unde et 'Thespiades' dicuntur. Et decore celebrans Poëtam dicit *stent altaria*.

17 *Victimæque centum*] Intelligit hecatomben: sacrificia enim in natalibus.

18 *Dirce*] Fons Bœotiæ. *Cithæron*] Mons Bœotiæ.

19 *Favete linguis*] Non tantum est tacere, ut vult Seneca lib. de Vita Beata: 'Hoc verbum 'favete linguis,' non ut plerique existimant, a favore trahitur: sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente.' Sed etiam est fausta loqui, id est, εὐφημεῖν, *bona verba dicere*. Tibullus lib. II. Eleg. 2. 'Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras: Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.' Præcones autem clamantes populum sacrificiis jubebant 'favere,' postquam sacerdos pronuntiaverat, 'Hoc age,' quo summa attentio tam corde quam ore præstanda sacris præscribebatur.

20 *Vestra est ista dies*] Formula vetus, ut bene hic observat Gevartius. Veteres enim dies illos, quibus singu-

Dum qui vos geminas tulit per artes
Et vinctæ pede vocis, et solutæ,
Romani colitur chori sacerdos.
Felix heu nimis, et beata tellus,
Quæ pronos Hyperionis meatus
Summis Oceani vides in undis,
Stridoremque rotæ cadentis audis:

favete Musæ, dum colitur antistes Romani chori, qui vos extulit per duplicem artem, oratione astricta numeris, et soluta. Bætica, heu nimis beata et fortunata terra, quæ cernis obitum solis in ultimis aquis Oceani, et audis stridorem rotæ cadentis,

Am. II. 619.—21 Edd. vett. *per artes.* ' Inepta lectio. Scribendum *per arces;* id est, utriusque eloquentiæ summas Principes fecit. Ut dicamus evehere aliquem ad summum rerum culmen. Vide quæ multis huic sententiæ firmandæ scripsimus Advers. lib. XIX. cap. 5.' *Barth.*—22 *Et junctæ* Ald. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Evinctæ pede vocis* Rom. *Et vinctæ* Gevartius, eumque secuti sunt Gronov. Barth. Veen. Delph. &c.—23 ' Nihil ab hac lectione mutandum. Vide notata doctissimo Casaubono ad Persium p. 19. item Passeratio ad Propert. III. 1. 3. Etiam revera *sacerdos* Lucanus, quod tamen huc non pertinet. Auctor Vitæ: ' Sacerdotium etiam accepit Auguratus.' Sacerdos vero hic primarium talem notat.' *Barth.* Si ulla lectionis varietas in hoc versiculo, nusquam reperire possum; ex verbis tamen Barthii aliter hunc locum legisse aliquem conjici posset.—24 *Felix, o,*

NOTÆ

larem quandam lætitiam recipiebant, aut alias memorabile quiddam ipsis eveniebat, 'suos' vocabant: unde formula erat: ' Hic meus est dies.' Corn. Severus apud Senecam Rhet. Suasor. II. de militibus epulantibus: ' Stratique per herbam Hic meus est, dixere, dies.' Martialis lib. I. Ep. 59. ' Hic mihi quando dies meus est,' &c. Papinius Theb. II. de nocte, qua Tydeus insidiatores occidit: ' Superos, noctemque tuam.' Et Theb. VII. Apollo alloquitur Amphiaraum: ' Utere luce tua, longamque, ait, indue famam.'

21 *Geminas per artes*] Geminæ artes, Rhetorica et Poëtica.

22 *Vinctæ pede vocis*] Id est, carminibus seu oratione versa, pedibus ac numeris poësis astricta. *Solutæ*] Id est, prorsæ orationis, seu prosæ. Tibullus ad Messalam: ' Quique canent vincto pede, sive soluto.' Papinius Epic. in Patrem: ' Sive orsa libebat Aoniis vincire modis, seu voce soluta Spargere.'

23 *Romani chori sacerdos*] Sic Horatius III. Od. I. ' Musarum sacerdos Virginibus puerisque canto.'

25 *Hyperionis*] Id est, solis. Vide Theb. VIII. 47. *Pronos meatus*] Id est, occasum solis.

26 *Oceani*] Sidera mergi in Oceanum veteres credebant, cum occiderent.

27 *Stridoremque rotæ cadentis audis*] Cleomedes lib. II. miram quandam Hispanorum fabulam refert dicentium: Ἐμπίπτοντα τὸν ἥλιον τῷ ὠκεανῷ ψόφον ἐμποιεῖν σβεννύμενον, ὡς διάπυρον σίδηρον ἐν ὕδατι. *Occidentem solem in Oceanum stridorem edere extinctum, ut ignitum ferrum injectum aquæ.*

Rotæ cadentis] Currum enim tri-

Quæ Tritonide fertiles Athenas
Unctis, Bætica, provocas trapetis.
Lucanum potes imputare terris ;
Hoc plus quam Senecam dedisse mundo,

Et quæ lacessis unctis trapetis Athenas feraces oleæ Palladiæ, potes imputare Lucanum orbi ; hoc plus est, quam præbuisse terris Senecam, aut peperisse suarem Gal-

nimis malit Marklandus. Cf. Senec. Herc. Œt. 1778.—29 Rom. *trapetum;* alii, *trapætis.*—31 ' Notandum unicum tantum *Senecam* memorari a Papinio, palam omisso altero, qui ' Tragicus,' ingratiis vere doctorum hominum, dicitur. Si enim talis aliquis fuisset versibus scriptis celebris, quantum fuisset operæ augmentum, immo nullum, *Senecas* scribere? Vide quæ in hanc sententiam pluribus scribunt M. Antonius Delrio in Vita Senecæ pag. 37. et

NOTÆ

buunt soli Poëtæ.

28 *Tritonide*] Id est, olea arbore Palladi, quæ 'Tritonia' dicitur, sacra.

29 *Bætica*] Tertia pars Hispaniæ, sic a Bæti flumine eam mediam secante, dicta, quam ceteris Hispaniæ partibus præfert Plinius. In ea clarissimæ urbes fuere Astigi, Hispalis, Corduba Lucani nostri et Senecarum patria. *Trapetis*] Trapetum mola olearia. Nam olivetis abundat Bætica, ut testantur Geographi, et Martialis. *Unctis*] Oleo olivarum, cum premunt olivas. *Provocas*] Supple, in certamen.

30 *Imputare*] Ferre impensum, et ascribere debito.

31 *Senecam*] L. Annæus Seneca Cordubensis, patruus Lucani Poëtæ, vir excellentis ingenii ac doctrinæ, summus Philosohpus, et Stoicæ sectæ addictissimus, quam hauserat ex Socione præceptore. Hic post quæsturam relegatus est in Corsicam insulam imperante Claudio, ob suspicionem adulterii cum Julia Germanici filia, Vinicii uxore, et trienno post revocatus beneficio Agrippinæ, prætor factus est, ac formandæ adolescentiæ Neronis admotus, quem sævum crudelemque et expertus est cito, et mitigavit. Inter familiares de Nerone solebat dicere, non fore sævo illi leoni, quin gustato semel hominis sanguine, ingenita redeat sævitia. Tandem implicitus inter conscios Pisonianæ conjurationis in Neronem, etsi innocens, ab ipso Nerone mori jussus est, misso centurione. Ille interritus, amicorum animos casu suo consternatos ad firmitudinem revocavit, rogitans: ubi præcepta sapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio? cui enim ignaram fuisse Neronis sævitiam? neque aliud superesse, post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque necem adjiceret: deinde sibi venas præsecans crurum ac brachiorum, et durante tractu lentitudineque mortis hausto veneno, tandem calidæ aquæ stagnum introiens exanimatus est. Vide Tacitum, Suetonium, Dionem, et ceteros historicos. Multa reliquit opera Philosophiæ, quæ nunc habemus in manibus, attribuunturque illi quædam tragœdiæ, quæ nomine Senecæ Tragici circumferuntur. Plerique hunc summis laudibus efferunt. Alii tamen simulatorem virtutis fuisse dixerunt. De stylo ejus ac dicendi ratione vide Quintilianum lib. VIII. Caligula vero dicebat Senecam 'commissiones meras componere, et cæ-

Aut dulcem generasse Gallionem.
Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Melete Bætis.
Bætin, Mantua, provocare noli.
Natum protinus, atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope sinu recepit.

lionem. Bætis illustrior Græco Melete levet usque in sidera refluas undas. Mantua noli contendere cum Bæti. Calliope Lucanum recepit in blando sinu, statim ut natus est, et suaviter vagiret prima voce super ipsam terram. Tunc primum, misso



pag. 66. et N. Fabr. Præf. in Senec. Patris Controvers.' *Barth.*—35 'Temeritati huic aliquid demas, si reponendum ducas *nolit.* Sed suus mos huic

NOTÆ

mentum esse sine calce,' quod, ut credo, sententiis uteretur brevibus, et nulla admodum connexione inter se cohærentibus; quod etiam in eo culpat Quintilianus, dicendo, eum rerum pondera minutissimis sententiis frangere.

32 *Dulcem Gallionem*] Intelligit Junium Gallionem fratrem Senecæ Cordubensem: huic lenitatem in dicendo tribuit Quintilianus; hinc *dulcis* nostro. Proconsul administravit Achaiam sub Nerone, ut patet ex Act. Apost. cap. XVII. (facta enim erat Achaia Proconsularis provincia ex lege Clodia, ut Cicero auctor est oratione in Pisonem.) Ad eundem Gallionem inscripsit frater Seneca librum de Remediis Fortuitorum, ac alterum de Vita Beata. Hunc etiam Nero interfecit.

33 *Refluos fontes*] Quia cum mare fluxu intrat in Bætin, cogitur fluvius refluere versus fontem suum.

34 *Melete*] Meles fluvius prope Smyrnam, juxta quem natus dicitur Homerus, a quo 'Melesigenes' est vocatus. *Bætis*] Bætis, ut ait Plinius lib. III. cap. 1. in Tarraconensis provinciæ, non, ut aliqui dixere, Mentesa oppido, sed Tugiensi exoriens saltu (quem Tader fluvius, qui Carthaginiensem agrum rigat, Ilorci refugit Scipionis rogum) versusque in Occasum, Oceanum Atlanticum provinciam adoptans petit, modicus primo, sed multorum fluminum capax, quibus ipse famam aquasque aufert: Bæticæ primum ab Ossigitania infusus, amœno blandus alveo, crebris dextra lævaque accolitur oppidis: ita mediam Bæticam interluit: mox mari propinquus, lacum efficit magnum, ac demum in Occidentalem Oceanum effunditur: hodie vocatur *Guadalquivir*, quod Arabice sonat flumen magnum.

35 *Mantua*] Mantua urbs Italiæ, in cujus agro natus est Virgilius, a quo 'Mantuanus' dictus est. Nomen retinet, et ducatus titulo gaudet. Sic Poëta Lucanum anteponit Homero, qui per Meletem designatur, et Virgilio, qui per Mantuam. *Provocare noli*] Supple in certamen, quia vinceris.

37 *Dulce*] Quod erat omen, Lucanum fore suavem poëtam.

38 *Calliope*] Una et regina Musarum, et mater Orphei.

Tum primum posito remissa luctu
Longos Orpheos exuit dolores:
Et dixit: Puer o dicate Musis,
Longævos cito transiture vates,
Non tu flumina, nec greges ferarum,
Nec plectro Geticas movebis ornos:
Sed septem juga, Martiumque Tybrim,
Et doctos Equites, et eloquente
Cantu purpureum trahes Senatum.
Nocturnas alii Phrygum ruinas,
Et tarde reducis vias Ulixi,
Et puppem temerariam Minervæ,

dolore, recreata deposuit longos luctus mortis Orphei, et ait: O infans consecrate Musis, cito superature antiquos Poëtas, non tu quidem movebis pectine amnes, nec turbas bestiarum, nec arbores Thraciæ; sed trahes facundo carmine septem montes, et Martium Tyberim, eruditosque equites, ac purpuratum senatum. Alii celebrent nocturnum Trojæ excidium, et errores Ulyssis sero revertentis, ac audacem navem



glorioso homini relinquendus est.' *Idem.*—40 Hic et sequens versus desunt in Parm. typothetæ, sine dubio, culpa, qui deceptus fuerat vocibus *Longos* et *Longævos.*—46 Marklandus conj. *Et claros*, vel *celsos Equites.*—49 Idem pro *tardi*, quod omnes edd. exhibent, reposuit *tarde*, ut in Glaucia Atedii 118.

NOTÆ

40 *Orpheos*] Orpheus Œagri, vel, ut alii, Apollinis, et Calliopes filius tam suavem habuisse vocem, tamque suaviter pulsasse citharam dicitur, ut flumina saxaque, mota dulcedine cantus, illum sequerentur. Nota fabula.

41 *Puer*] Lucane.

42 *Cito*] Nam vigesimo septimo ætatis anno periit: intra quod tempus multa fecit opera. *Longævos vates*] Hoc ad commendationem Lucani, qui jam hac ætate vicerat Poëtas etiam senes.

43 *Flumina, greges ferarum*] Ut fecit Orpheus.

44 *Geticas*] Thracias. Getæ enim populi Thraciæ.

45 *Septem juga*] Id est, Romam, ob septem montes. *Martiumque Tybrim*] Tyberis 'Martius' dicitur eodem sensu, quo 'Martia Roma:' Martis enim urbs et Martia Roma.

47 *Purpureum Senatum*] Patres enim vestibus purpureis induti.

48 *Nocturnas Phrygum ruinas*] Tangit Trojæ, quæ urbs primaria Phrygiæ, ἅλωσιν et excidium, quod noctu contigit. Vide Æneid. II.

49 *Et tarde* [*tardi*] *reducis vias Ulixi*] Post captam enim Trojam, cujus obsidio usque ad decimum annum perducta est, dicitur Ulysses per integrum adhuc decennium errasse per maria, antequam perveniret in patriam: hinc 'tardus' dicitur.

50 *Et puppem temerariam Minervæ*] Intelligit navem Argo, quam consilio et arte Minervæ fabricatam dicunt. Seneca Tragicus: 'Non Palladia

Trita vatibus orbita, sequantur:
Tu carus Latio, memorque gentis
Carmen fortior exeres togatum.
Ac primum, teneris adhuc in annis
Ludes Hectora, Thessalosque currus,
Et supplex Priami potentis aurum.
Tu sedes reserabis Inferorum,

Palladis, toties a Poëtis decantata. Tu dilectus Latio, et studiosus tui populi, compones fortior carmen de rebus Romanis. Ac primum canes in tenera ætate victum Hectorem, tractumque curru Thessalico, ac potentem Priamum supplicem redimentem auro ejus corpus, et recludes loca Inferorum. Nero odiosus es theatris,

' casus tarde remeantis Ulixi.' Hæc est conj. Barth.—52 Barth. scribere malit, *Latiæ*. Heins. Advv. l. IV. c. 2. p. 567. corrigebat: *Tu par es Latio, memorque gentis Carmen fortius exeris togatæ*. Hoc improbat Marklandus.—56 Barth. *petentis*.—57. 58 *Et sedes reserabis Inferorum. Ingratus, &c.* edd. vett. ' Ejiciatur *Ingratus* iste *Nero* cum *dulcibus* suis *theatris;* quod solum epitheton

NOTÆ

Compacta manu regum referens Inclyta remos, quæritur Argo.' *Temerariam*] Quia prima se commisit mari nondum experto, ut volunt Poëtæ. Lucanus lib. III. ' Cum rudis Argo Miscuit ignotas temerato gurgite gentes. Primaque cum ventis, pelagique furentibus undis Composuit mortale genus, fatisque per illam Accessit mors una ratem.'

51 *Trita vatibus orbita*] Hæc enim argumenta, ut Trojæ excidium, errores Ulyssis, Argonautica ab omnibus fere Poëtis tractata. Eodem sensu Virgilius Georg. III. ' Cetera quæ vacuas tenuissent carmina mentes, Omnia jam vulgata.'

53 *Carmen togatum*] Pharsaliam intelligit, seu carmen de civili bello, quo, gens togata, seu Romana, in duas factiones divisa, in se convertit victrices manus: hinc *carmen togatum*. Romani autem ' togati ' dicti, quia toga ipsis propria et communis erat, ut Græcis pallium. Tertullianus: ' De toga ad pallium.' Virgil. Æn. I. ' Romanos rerum dominos, gentemque togatam.' Sic ' togatæ comœdiæ,' in quibus res et personæ Romanæ inducuntur. *Scaliger in Festum.*

54 *Ac primum, teneris adhuc in annis Ludes Hectora, Thessalosque currus, Et supplex Priami potentis aurum*] Lucanus enim admodum juvenis fecerat opus, in quo descripserat certamen Achillis et Hectoris, in quo certamine victus et occisus Hector, demum alligatus currui Achillis, ab ipso tractus est ter circa muros Trojanos, et ut Priamus multo auro redemit ab Achille corpus filii. *Ludes*] Vide Epith. Stellæ vs. 267. *Thessalos currus*] Quia Achilles Thessalus erat. *Supplex Priami potentis aurum*] Homerus Iliade ultima, inter alia munera, quibus redemtum corpus Hectoris, auri dena talenta enumerat. *Priami potentis*] Priamus rex Trojæ ditissimus et potentissimus, ut quem toti fere Minori Asiæ imperitasse scribunt.

57 *Tu sedes reserabis Inferorum*] Lucanus enim ediderat parvum carmen

[Ingratus Nero dulcibus theatris,]
Et noster tibi præferetur Orpheus.
Dices culminibus Remi vagantes

quæ tibi tam placebant, supprimendo carmina Lucani; sed quicquid facias, noster Orpheus tibi anteponetur. Canes scelestas flammas, quas impius Tyrannus jussit

satis esset evincere hunc versum non a Statio profectum esse. Sic igitur lege et connecte totum locum: *Ac primum...Ludes...Et supplex...aurum. Tu sedes reserabis Inferorum, Et noster tibi referetur Orpheus.*' Markl. At pro Marklandi *rĕferetur*, edd. vett. omnes exhibent, *præferetur*. ' Difficultas non aderit ulla, modo hoc versu (58.) voculam *erit* subintelligas, more Papiniano, abrupte, et omissis voculis, loquendi; de qua re multis exemplis ad Thebaidem egimus. Sententia erga Calliopes, Genethlia Lucano canentis, erit, contemtum iri præ Lucano Neronem, Theatro pleno favente illi præ isto.' Ita Barthius, quem vide ad hunc locum.—59 Heinsius conjectabat: *Nec noster*

NOTÆ

inscriptum 'Orpheus,' imitatus Orpheum, qui, inter varia opera, poëma fecerat etiam eadem inscriptione et argumento. Quæ enim scribebant Poëtæ facta esse, ea ipsi 'facere' ac gerere dicebantur, et inde 'Poëtæ' dicti. Unde Lucanus dicitur reserasse sedes Inferorum, cum cecinit Orphea descendentem ad Inferos, et in lucem reversum.

58 *Ingratus Nero dulcibus theatris Et noster tibi præferetur Orpheus*] Locus difficillimus; totque sunt fere explicationes, quot interpretes. Domitius hæc habet: *Ingratus*] Qui non pateris spectatores frui voluptate audiendorum carminum Lucani, et tamen tibi etiam invito anteponetur hoc opusculum; aitque Domitius Poëtam hoc dicere in invidiam Neronis, qui carmen Lucani recitari non permisit, invidens illius laudi, quo eum impulit, ut in Imperatorem conjuraret cum aliis. Tacitus: 'Lucanum propriæ causæ accendebant, quod famam carminum ejus premebat Nero, prohibueratque ostentare.' Bernartius legit *ingratis* ut et Lipsius, sensumque esse ait: O Nero, vel invito tibi in theatris præferetur noster Orpheus. Quinquennali enim certamine, cum Lucanus Orpheum decantasset, coronatus contra Neronem est, quod ægerrime toleravit Imperator citharœdus. Gevartius vero scribit, non hic converti sermonem ad Neronem, sed Calliopen perpetuo Lucanum alloqui: et dicere: Nero *ingratus* erit theatris, id est, poëmata ipsius populo non placebunt; nam *ingratus* hic passive accipiendum, ut 'ingratum cibum,' 'ingratam orationem' dicimus; et noster Orpheus, o Lucane tibi, id est, in tuam gratiam, in tuam laudem, præferetur scriptis Neronis. Sic apud nostrum Epic. Phileti: 'Non sævius atros Nigrasset planctu genitrix tibi sæva lacertos.' Heinsius corrigit: *Nec noster tibi præferetur Orpheus.* Ut mens sit Poëtæ: Tandem, sicut Orpheus, o Lucane, ipse quoque reserabis Inferos, et Eurydicen iterum accerses; quod poëma ita erit acceptum populo, ut Neronis versus ingrati sint futuri præ illo theatris. Immo nec Orpheus meus tuo præferetur. *Noster Orpheus*] Quia quem ego peperi, illum tu cecinisti.

60 *Dices culminibus Remi vagantes Infandos domini nocentis ignes*] Scrip-

Infandos domini nocentis ignes.
Tu castæ titulum decusque Pollæ
Jucunda dabis allocutione.
Mox, cœpta generosior juventa,
Albos ossibus Italis Philippos, 65

injici ædibus Romæ. Tu celebrabis jucunda allocutione formam et merita pudicæ Pollæ. Mox inchoata juventa generosior, personabis Philippos candentes Italis

NOTÆ

sit enim et Lucanus incendium urbis ad Pollam uxorem. *Culminibus Remi*] Id est, Romanis, ut Martialis vocat Romanam plebem, 'plebem Remi.' Remus enim una cum Romulo fratre Romam condidit. *Domini nocentis*] Id est, Neronis, de quo hæc Suetonius, Nerone, cap. 38. 'Nam quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, et angustiis flexurisque vicorum, incendit urbem. Per sex dies septemque noctes ea clade sævitum est. Hoc incendium e turri Mæcenatiana prospectans, lætusque flammæ, ut aiebat, pulchritudine, ἅλωσιν Ilii in suo scenico habitu decantavit.'

Nocentis] Quia fratrem matremque, ac uxorem et præceptorem occidit, omnibusque flagitiis ac sceleribus contaminatus est.

62 *Tu castæ titulum decusque Pollæ, &c.*] Hinc discimus Lucanum poëma fecisse in honorem et laudem ipsius Pollæ, quo forsan Lucanus sermonem instituerat cum Polla, unde dicit *allocutione.*

63 *Allocutione*] Homerus ὄαρον, ὀαρισμὸν, *confabulationem* vocat. Catullus ad Cornificium: 'Paulum quod libet allocutionis.' Et loquelam dixit in Camerium: 'Si linguam clauso tenes in ore Fructus projicies amoris omnes, Verbosa gaudet Venus loquela.' *Jucunda*] Qualis inter amantes esse solet.

64 *Cœpta juventa*] Lucanus enim vigesimo primo ætatis anno Pharsaliam aggressus est. *Generosior*] Quia prius in levibus argumentis ingenium exercuerat.

65 *Albos ossibus Italis Philippos*] Hi Philippi, ubi Pompeius victus est, sunt ad Peneum in Thessalia, diversi omnino, ut bene observavit Lipsius, a Philippis Thraciæ, seu potius Macedoniæ, ad Strymonem fluvium sitis, in cujus campis victi Brutus et Cassius ab Augusto et Antonio, oppressaque libertas. Tamen has urbes confudisse videntur Poëtæ. Virgilius: 'Romanas acies iterum videre Philippi.' Manilius lib. I. 'Ducibus jurata cruentis Arma Philippæos implerunt agmine campos. Vix etiam sicca miles Romanus arena Ossa virum, lacerosque prius superastitit artus, Perque patris pater Augustus vestigia vicit.' Innuit enim in iisdem campis atque adeo vestigiis, commissum ab Augusto prælium, quibus a patre, et milites superstitisse cadavera et ossa. Florus historicus in eundem etiam errorem lapsus est lib. IV. cap. 7. 'Brutus et Cassius, comparatis ingentibus copiis, eandem illam, quæ fatalis Cn. Pompeio fuit, arenam insederant.' Inter utrosque vero Philippos centum fere milliaria interjecta sunt. Vide Dionem lib. XLVII. et Appianum, quorum uterque Philipporum situm, ubi Brutus victus est, accurate describit. *Ossibus Italis*] Id est, Italorum ac Romanorum.

Et Pharsalica bella detonabis,
Quod fulmen ducis inter arma Divi:
Libertate gravem pia Catonem,
Et gratum popularitate Magnum.
Tu Pelusiaci scelus Canopi

ossibus, et prælia Pharsalica, ac bellicum fulmen Divi ducis, et Catonem gravem vindicem patriæ libertatis, et Magnum, gratum popularibus virtutibus. Tu pius

tibi præferetur Orpheus.—67 *Quo fulmen* Parm. et Venet. 1. *Et fulmen* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Quod fulmen* est emendatio Marklandi.—70 Nonnulli malint *Canobi.* Vide Quintil. Inst. I. 5. et Serv. ad Virg. Georg. IV.

NOTÆ

66 *Et Pharsalica bella detonabis*] Pharsalica, a Pharsalia regione Thessaliæ. Hinc celebres 'Pharsalici campi,' in quibus 'civilium bellorum detonuerunt procellæ,' ut ait Solinus cap. 14. et Pompeius a Cæsare superatus fuit.

67 *Ducis Divi*] Id est, Julii Cæsaris, qui post mortem inter Deos relatus est. Vide Plutarchum in ejus vita, et laudem ejus apud Plinium lib. VII. cap. 25.

68 *Gravem Catonem*] Uticensem scilicet. Duo enim fuere Catones magni nominis viri, ut et gravissimi et severissimi, Cato Censorius, qui libros de Re Rustica edidit, et Cato qui post mortem Uticensis cognominatus est, a loco ubi se occidit. *Libertate pia*] Quia victo Pompeio arma sumsit adversus Cæsarem, patriamque usque ad extremum vitæ spiritum asseruit liberam; quo facto suam in patriam pietatem testatus est, desperatisque rebus, mori maluit, quam vivere, oppressa libertate, et sub tyranno. Vide Plutarchum in ejus vita.

69 *Magnum*] Intelligit Cn. Pompeium, a rebus præclare gestis Magnum cognominatum, qui satis notus ex historia Romana. Vide Plutarchum in ejus vita, Plinium lib. VII. cap. 26. et Historicos Romanos. *Gratum popularitate*] Nullus enim Romanorum ducum tantum gratia valuit apud populum, quam Pompeius. Hujusce popularitatis, seu populi favoris, has causas affert Plutarchus in ejus vita: Σωφροσύνην περὶ δίαιταν, ἄσκησιν ἐν ὅπλοις, πιθανότητα λόγων, πίστιν ἤθους, εὐαρμοστίαν πρὸς ἔντευξιν. *Frugalitatem in victu, peritiam armorum, vim persuadendi in dicendo, constantiam morum, et facilitatem suavem in congressu.* Hæ partes defuerunt in patre Pompeii, unde invisus plebi fuit.

70 *Tu Pelusiaci scelus Canopi*] *Pelusiaci scelus Canopi*, cædes est Pompeii, qui, victus in Thessalia, confugerat ad Ptolemæum regem Ægypti, ibique jussu ejus, consilio Pothini, interfectus est a Septimio in Pelusiaco littore. *Canopus*] Urbs Ægypti, nomen sortita a Canopo Menelai navis gubernatore ibi sepulto; distat tantum ab Alexandria 120. stadiis. Ex urbe hac oriundum ferunt Claudianum poëtam. Extremum Nili ostium versus Occidentem ab ipsa 'Canopicum' appellatur. Nescio vero cur Poëta hic mentionem fecerit hujusce urbis, cum 150. stadiis distet a Pelusio, prope quod interemtus est Pompeius. Pelusium enim oppidum situm est in extrema parte Ægypti,

Deflebis pius; et Pharo cruenta
Pompeio dabis altius sepulcrum.
Hæc primo juvenis canes sub ævo,
Ante annos Culicis Maroniani.
Cedet Musa rudis ferocis Ennî

plorabis crimen Canopi Ægyptii, et decorabis Pompeium tumulo altiori, quam daret crudelis Pharos. Hæc ludes primis juventæ annis, ante ætatem, qua Virgilius scripsit suum Culicem. Inculta Musa fortis Ennii tibi cedet, ac sublimis furor

285.—75 *Cædet* Ald. 1.—77 *Et qui per freta duxit* Venett. Parm. Rom. Vi-

NOTÆ

quæ Casiotidi contermina est: a quo et extremum Nili ostium Orientem versus 'Pelusiacum' vocatum est. Conditum ferunt a Peleo Achillis patre. Hodie vocatur *Damiata*, vel, ut aliis placet, *Tenessa*. Sed in hoc poëta secutus est Lucanum lib. VIII. 'Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi.'

71 *Pius*] Pietas enim est, flere mortuos. *Et Pharo cruenta*] Pharos insula quondam prope Alexandriam, nunc continenti adjuncta. *Cruenta*] Ob cædem Pompeii.

72 *Pompeio dabis altius sepulcrum*] Id est, dabis carmine Pompeio altius et magnificentius et durabilius sepulcrum, quam si conditus fuisset in Pyramidibus, quæ sunt sepulcra regum Ægyptiorum.

74 *Ante annos Culicis Maroniani*] Ex hoc loco, et vita Lucani Suetonio attributa, luce clarius probavit Josephus Scaliger, Virgilium Culicem suum fecisse majorem natu, et exercitatiorem, quam putent aliqui; et Lucanum Poëticam attigisse tenerioribus annis, quam Virgilium.

75 *Musa rudis ferocis Enni*] Quintus Ennius oriundus a Messapo, natus Tarenti, ut refert Eusebius, ut vero scribunt Mela et Silius Italicus, Rudiis urbe Calabriæ. A Catone autem quæstore Romam translatus, habitavit in monte Aventino, parvo admodum victu contentus, et unius ancillæ ministerio. Cicero refert septuagenario majorem Ennium mortuum fuisse. Priorem Scipionem Africanum maxime coluit, secutusque est eum in bellum, a quo vicissim ita dilectus fuit, ut Ennii statuam suo sepulcro imponi, clarumque illud nomen, immo vero spolium ex tertia orbis parte raptum, in cinere supremo, cum Poëtæ titulo legi jusserit, ut Plinius lib. VII. cap. 30. et Solinus cap. 7. scribunt. Ovid. Art. Am. III. 'Ennius emeruit Calabris in montibus ortus Contiguus poni Scipio magne tibi.' Nam sepultus est Ennius in sepulcro Scipionis via Appia ad primum ab urbe milliarium. Scripsit Annalium libros, Satiras, Tragœdias, Comœdias, quæ omnia perierunt, exceptis aliquot versibus, qui passim a scriptoribus citantur. Mortuus est articulari morbo, quem immodico vini potu contraxerat. Unde et Horatius II. Epistolarum de eo tanquam plus vino dedito hæc cecinit: 'Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma Prosiluit dicenda.' Scribit ipse Ennius in principio Annalium suorum (ut auctor est Porphyrio) somnio se admonitum, quod, secundum Pythagoræ opinionem, anima Homeri in suum corpus transierit, quod etiam

Et docti furor arduus Lucretî,
Et qui per freta ducit Argonautas,
Et qui corpora prima transfigurat.
Quin majus loquor: ipsa te Latinis

eruditi Lucretii, et qui egit Argonautas per maria, et qui dixit mutatas formas in nova corpora. Quin plus dico. Ipsa Æneis tuam Pharsaliam, quam Romanis

cent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. emendavit Marklandus, *ducit*.—

NOTÆ

notavit Persius Sat. 'Cor jubet hoc Ennî, postquam destertuit esse Mæonides Quintus pavone ex Pythagoræo.' *Musa rudis*] Quia Ennius incultus est genere dicendi, 'eumque sicut sacros vetustate lucos adoramus: in quibus grandia, et antiqua robora jam non habent tantam speciem, quantam religionem,' ut dicit Quintilianus. *Ferocis*] Quia Ennius militiæ nomen dederat, ac fuerat Centurio, famamque fortis et strenui viri adeptus fuerat, si credimus Silio Italico lib. XII.

76 *Et docti furor arduus Lucretî*] T. Lucretius Carus Romæ natus est L. Licinio Crasso, et Q. Mutio Scævola Consulibus, ortusque, ut probabile est, familia illustri ac vetusta Lucretiorum. Probabile etiam est a parentibus, secundum morem hujus temporis, Athenas missum fuisse, ad imbuendum bonis artibus animum, et statim ipsum ad hortos se contulisse. Florebant eo tempore Romæ celebres viri, poëtæque præstantes, ut Memmius, Cornelius Nepos, Cicerones, M. Varro, Varro Atacinus, Catulus et alii, quos inter amicos coluit Lucretius, quibusque carus fuit, tum ob alias ingenii dotes, cum ob aureum illud orationis flumen: et quod omnium Poëtarum suæ ætatis esset gravissimus, et judicio Cornelii Nepotis et M. Ciceronis præstantissimus. Maximus certe futurus, si maturiorem ætatem cum sanitate mentis attingere potuisset, sed in media ætate extinctus est, et juvenis in dementiam incidit philtro præbito ab uxore Lucilia, ut quidam putant. Cum autem morbus illi dilucida intervalla relinqueret, hæc non neglexit, et scribendo operi de rerum natura animum applicuit. Tandem eo pæne confecto, et ingravescente morbo, sibi manus attulit, anno ætatis 44. *Furor arduus*] Quia de naturalibus rebus, iisque arduis et difficilibus scripsit carmine heroico, secutus Empedoclem et Epicurum.

77 *Et qui per freta ducit Argonautas*] Is est, P. Terentius Varro, 'Atacinus' dictus a vico Atace in Gallia Narbonensi, in quo natus est, cujus meminerunt Propertius, et Ovidius. Cum pervenisset ad annum ætatis 35. linguam Græcam summo ardore didicit, transtulitque quatuor libros Apollonii Rhodii, in suum carmen de Argonautis; unde Quintilianus ait 'eum fuisse interpretem operis alieni.' Potest et Valerius Flaccus intelligi, qui ætate Statii claruit, quique simile argumentum tractavit. Dicitur autem hic Varro per freta duxisse Argonautas, quod, ea quæ describunt Poëtæ, facere dicuntur.

78 *Et qui corpora prima transfigurat*] Ovidium, ejusque Metamorphoses innuit. Vide Epith. Stellæ vs. 260.

Æneis venerabitur canentem.
Nec solum dabo carminis nitorem,
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio suo decoram:
Qualem blanda Venus, daretque Juno.
Forma, simplicitate, comitate,
Censu, sanguine, gratia, decore.
Et vestros Hymenæon ante postes
Faustis cantibus ipsa personabo.
O sævæ nimium, gravesque Parcæ!

cantas, reverebitur. Nec solum tibi dabo carminis elegantiam, sed jungam tibi facibus nuptialibus uxorem eruditam, et convenientem tuo ingenio, qualem blanda Venus ac Juno tibi darent, præditam forma, simplicitate, comitate, divitiis, genere, decore, gratia, et ipsa cantabo Epithalamium vestrum ante fores vestras. O ni-

82 Venet. 1. *tædis genitalibus.*—83 Edd. vett. exhibent, *ingenio tuo:* lectio nostra est ex emendatione Marklandi.—85. 86 ‘ Versus hic (85.) trivialis et insititius e margine videtur irrepsisse, ob simiiitudinem sequentis, qui sine dubio Statianus est.’ *Gevart.* ‘ Assentior de primo (85.), et idem etiam censeo de altero (86.); nempe neutrum Statii esse. Aufer itaque versus male natos, et sine quibus optime procedit sensus; et Monachus suam *Gratiam* sibi habeat.’ *Markl.* ‘ Non assentior doctissimo Gevartio, trivialis elogio hunc versum ejicere conantem. Quasi vero non hoc genus alii, apud hunc nostrum, Martialem, et in primis Sidonium, nimium tamen talibus sibi indulgentem, supersint. Papinianum esse vel hoc arguit quod nihil repetat sociis suis aut dictum jam, aut paulo post dicendum.’ *Barth.* Lindenbrogius conj. *Censu, sanguine, gratia, lepore.*—88 *Festis cantibus* edd. vett.

NOTÆ

80 *Æneis venerabitur canentem*] Papinius ob hunc versum, et quod supra Bætis in certamen Meletem et Mantuam provocat, Criticorum sugillationes effugere non potuit, e quibus unus: ‘Lucanum igitur, si Diis placet,’ inquit, ‘etiam Maroni parem facere ausi sunt: qui non tam illius magnitudinem, quam suam insolentiam iis ineptiis prodidere.’ Vide Papinii vitam.

84 *Venus, Juno*] Venus et Juno Deæ nuptiarum. Venus *blanda* dicitur, quia mater Gratiarum.

85 *Forma, simplicitate, comitate*] Gevartius credit hunc versum insititium esse, et e margine irrepsisse ob similitudinem sequentis, quem Statii esse vult, et peccasse operas, dum illum diverso charactere ediderunt.

87 *Et vestros Hymenæon ante postes Faustis* [*Festis*] *cantibus ipsa personabo*] Tangit morem, quo Hymenæus, sive epithalamium ante thalami fores canebatur. Vide Epith. Stellæ vs. 243. Erant autem duo Epithalamiorum genera: alterum accinere solebant vespere, cum sponsa in thalamum deducta foret; quod κατακοιμητικὸν appellabant: alterum mane sub aurora canebatur: idque διεγερτικὸν, id est, *excitatorium* vocabatur.

O nunquam data festa longa summis!
Cur plus, ardua, casibus patetis?
Cur læva vice magna non senescunt?
Sic natum Nasamonii Tonantis
Post ortus obitusque fulminatos
Angusto Babylon premit sepulcro.
Sic fixum Paridis manu trementi

mium crudeles, duræque Parcæ! O nunquam magna gaudia longa sunt! Cur sublimia plus exposita estis summis casibus? cur ingentia crudeli mutatione non durant? Sic Babylon gravat arcto tumulo filium Jovis Nasamonis post subactos Orientis et Occidentis populos. Sic Thetis horruit, videndo Achillem corruere per-



Faustis ex conjectura edidit Marklandus.—90 'Vix ausim mutare; nisi quod scribendum, *texta* vel *pensa* pro *festa;* nam *Festis cantibus* præcesserat: *longa festa* codex Mediceus vocibus transpositis.' Ita scribit Heinsius in Advers. lib. III. cap. 17. p. 542.—91 Aldus in curis secundis ad calcem Ald. 1. delet interrogationis notam, et legit *petatis;* et sic Ald. 2. *petatis?* Colin. et Gryph.—92 Edd. vett. *sæva vice:* mutavit Marklandus, propter præcedentem: *O sævæ nimium.*—96 Parm. habet: *Paridis m. prementis;* Rom. *Paridis*

NOTÆ

90 *O nunquam data festa longa summis! Cur plus, ardua, casibus patetis*] Simile illud Lucani: 'Summisque negatum Stare diu.' Et illud Apuleii Florid. II. 'O celeres bonorum hominum dies! O præsidum optimorum citata curricula.'

93 *Sic natum Nasamonii Tonantis*] Intelligit Alexandrum Magnum, qui se Jovis Hammonis filium credi voluit, et appellari. *Nasamonii*] Id est, Libyci. Nasamones enim populi Libyæ Syrtes accolentes, navigiorum spoliis quæstuosi, quippe obsident littora, et æstu destituta navigia notis sibi vadis occupant: suntque ab oriente proximi Hammoniorum, seu gentis in cujus ditione est Hammonis oraculum. De Nasamonibus, vide Lucanum lib. IX., Q. Curtium lib. IV., et Plinium lib. V., cap. 5.

95 *Angusto Babylon premit sepulcro*] Non tamen apud Babylonem conditus fuit Alexander, sed corpus ejus in aureo loculo positum primo Memphin, deinde Alexandriam translatum fuit a Ptolemæo Lagi filio, cui Ægyptus, in divisione imperii Alexandri facta inter ejus duces, obtigerat. Vide Ælianum de Varia Historia lib. XII. cap. 60. Diodorum Siculum lib. I. et Pausaniam Atticis. *Babylon*] Hæc non est illa Babylon olim Chaldææ caput, sed erat arx sic vocata Memphis, urbis totius Ægypti primariæ. In clivo erat sita, ut Abulfeda, Iacutus, aliique scribunt, quam peculiari nomine, Casracchambi, arcem cereorum, nuncuparunt, ea ratione, ut puto, quod ibi esset πυρεῖον magicæ seu Babylonicæ religionis fanum; cujus meminit Iacutus, qui hoc addit suo tempore vocatum fuisse Kobbataldokan *delubrum fumi*,[1] vel *fumosum*. Quidam, ut Osiotus Chronici Ægyptiaci auctor, hanc arcem Bab Elion nominant, quæ aliis Babilion. Meminit et Strabo lib. XVII. φρουρίου Babylonis ut et Ptolemæus. *Angusto*] Bene, *angusto*. Totus enim orbis ambitioni ejus erat angustus.

96 *Sic fixum Paridis manu t.* [*tremen-*

Peliden Thetis horruit cadentem.
Sic ripis ego murmurantis Hebri
Non mutum caput Orpheos sequebar.
Sic et tu (rabidi nefas tyranni!)
Jussus præcipitem subire Lethen,
Dum pugnas canis, arduaque voce
Das solatia grandibus sepulcris,
(O dirum scelus! o scelus!) tacebis.

fossum dextra trepidi Paridis. Sic ego sequebar caput sonorum Orphei in littoribus perstrepentis Hebri. Sic et tu (o scelus furiosi principis!) jussus es ingredi rapidam Lethen, dum canis prælia, et magnificentia versuum solaris cineres Heroum Romanorum, (o dirum crimen! o crimen!) silentio condamnaberis. Sic locuta



m. potentis. Lectio *trementi,* pro vulg. *trementis* est ex ingenio Marklandi Nihil mutandum putat Barthius.—97 Rom. *Peliden Thetis obruit.*—98 *Ebri* edd. vett.—100 *Sic tu rabidi (nefas!) tyranni* in iisdem.—111 *Seu pacis meri,*

NOTÆ

tis] *Peliden Thetis horruit cadentem*] Respicit fabulam, qua tradunt Achillem a Paride in templum Apollinis Thymbræi, spe visendæ Polyxenæ, cujus amore ardebat, allectum fuisse, et ibidem manu ipsius Paridis, consilio vero Apollinis, in talo confixum, qui locus totius corporis letalis erat. *Peliden*] Achillem Pelei filium.

98 *Sic ripis ego murmurantis Hebri Non mutum caput Orpheos sequebar*] Tradunt Bacchantes, ubi Orphea discerpserunt, caput ejus projecisse in Hebrum fluvium Thraciæ, quod delatum est in Lesbon insulam, ibique Græcis ad expeditionem Trojanam euntibus eventum belli vaticinatum esse; unde *non mutum* dicitur. *Murmurantis Hebri*] Rapidissimo enim cursu fluit hic fluvius, sonitumque edit gravissimum.

100 *Rabidi tyranni*] Neronis.

101 *Jussus præcipitem subire Lethen*] Lucanus, Nerone premente famam carminum suorum, et ostentare prohibente, Pisonianæ adhæsit conjurationi, accusatusque, et tortus, matrem indicavit, impunitate promissa, ut ait Tacitus, qui hæc refert de morte illius: 'Exin M. Annæi Lucani cædem imperat Nero. Is profluente sanguine, (immersus calida aqua venas medico præbuerat,) ubi frigescere pedes manusque, et paulatim ab extremis cedere spiritum, fervido adhuc et compote mentis pectore, intelligit; recordatus carmen a se compositum, quo vulneratum militem per ejusmodi mortis imaginem obiisse tradiderat, versus ipsos retulit: eaque illi suprema vox fuit.' Sunt haud dubie isti, lib. III. 'Scinditur avulsus, nec sicut vulnere sanguis Emicuit lentus: ruptis cadit undique venis, Discursusque animæ diversa in membra meantis Interceptus aquis; nullius vita peremti Est tanta dimissa via.'

103 *Das solatia grandibus sepulcris*] Id est, Heroibus Romanis; *Solatia,* ut quorum fama nominaque tuis versibus in æternum victura sunt.

Sic fata est, leviterque decidentes
Abrasit lacrymas nitente plectro.
At tu, seu rapidum poli per axem
Famæ curribus arduis levatus,
Qua surgunt animæ potentiores,
Terras despicis, et sepulcra rides:
Seu pacis merito nemus reclusum
Felix Elysiis tenes in oris,
Quo Pharsalica turba congregatur;
Et te nobile carmen insonantem

est, et leviter abstersit lacrymas manantes fulgenti pectine. At tu, seu sublatus celso curru Famæ per celerem axem poli, qua magnæ animæ vehuntur, despicis terras, et irrides tumulos: seu beatus obtines nemus dignum quietis reclusæ, quo Pharsalica multitudo convenit, ac Pompeii et Catones te comitantur intonantem

tum Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. &c. quod tuetur Gronovius Diatr. c. 22. Heinsius malebat: *Seu paucis meritum nemus recludi.* Florent. Venet. I. Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii, *merito;* quod primus reposuit

NOTÆ

107 *At tu, seu rapidum poli per axem, &c.*] Sic Epicedio in Patrem: 'At tu,' alloquitur patrem, 'seu membris emissus in ardua tendens, Fulgentesque plagas,' &c.

108 *Famæ curribus arduis levatus*] Horatius III. Od. 2. 'Virtus, recludens immeritis mori Cœlum, negata tentat iter via: Cœtusque vulgares, et udam Spernit humum fugiente penna.' Seneca Epist. 71. 'Aut in meliorem emittitur vitam lucidius tranquilliusque inter divina mansurus.'

109 *Animæ potentiores*] 'Magnæ animæ' vocantur Tacito sub finem Agricolæ: 'divinæ' Ciceroni de Legibus lib. II. In cœlos enim emitti magnas animas credebant.

111 *Seu pacis merito n. reclusum* [*meritum nemus reclusæ*] Heinsius legit: *Seu paucis meritum nemus recludi.* Secutus illud Virgil. Æneid. VI. 'Exinde per amplum Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus.' *Meritum*] Græcis ἄξιον. Sed nihil mutandum. 'Pax' enim et 'quies' synonyma. Protreptico ad Crispinum: 'Pacem auferre rogis.' Theb. III. 'Pacemque sepulcri.' In Hercule Surrentino: 'Facundique larem Polli non hospes habebam, Assidue moresque viri, pacemque, novosque Pieridum flores, intactaque carmina discens.' Quod hic 'pacem,' id 'quietem,' dicit in Præfat. lib. III. 'Polli dulcissime, et hac, cui tam fideliter inhæres, quiete dignissime.' *Meritum nemus*] Id est, ubi præstantes viri, dignique recipiuntur. *Reclusæ*] Id est, quam tu inducto, et reducto Orpheo reclusisti.

113 *Pharsalica turba*] Id est, hi qui pro patria in acie Pharsalica ceciderunt.

114 *Nobile carmen*] Pharsaliam, sive Epos de bello civili inter Pompeium, et Cæsarem.'

Pompeii comitantur, et Catones:
Seu magna sacer et superbus umbra
Nescis Tartaron, et procul nocentum
Audis verbera, pallidumque visa
Matris lampade respicis Neronem,
Adsis lucidus; et, vocante Polla,
Unum, quæso, diem Deos silentum

epos nobile. Tu sacer, et superbus ingenti umbra, nescis Inferos, et e longinquo audis reorum flagella, et cernis Neronem pallentem aspecta fuce suæ parentis. Advenias fulgidus, et Polla te appellante, impetres, oro, unum diem a Diis infernis.

Markl.—116 *Tu magna sacer* edd. vett. 'Sensus et constructio postulat: *Seu magna sacer:* hoc ut percipias necesse est ut recurras ad vs. 107. quippe longa est periodus, nec finitur ante versum 120.' *Markl.*—119 In codice manu-

NOTÆ

115 *Pompeii, et Catones*] Quos scilicet laudavisti Epico carmine.

116 *Sacer*] Heroibus enim post mortem sacra fiebant, unde ipsi sacri erant.

117 *Nescis Tartaron*] Tartarus, locus ubi puniuntur nocentes.

118 *Verbera*] Furiarum scilicet. *Pallidumque visa Matris lampade respicis Neronem*] Veteres credebant parricidas ac matricidas Furiarum facibus exagitari, ac vexari, ut de Oreste, et Alcmæone refertur. Et ipse Nero confitebatur, ut ait Suetonius, exagitari se materna specie, verberibus Furiarum, ac tædis ardentibus.

120 *Adsis lucidus; et, vocante Polla, Unum, quæso, diem Deos silentum Exores*] Ut locus hic intelligatur, notandum veteres persuasum habere, ut jam monuimus Epicedii in Glauciam vs. 223. umbras mortuorum noctu divagari in terris, maxime eorum, qui violenta morte immeritaque, et ante diem, extincti erant, et in somnis apparere, amicis quidem, ut eos alloquiis solarentur, ut supra de Glaucia et Phileto retulit in Epicediis in utrumque, aut si nescirent mortuos, suam nuntiarent mortem, vindictamque, et si, quid tale præscriberent, ut refertur apud Valerium Maximum lib. I. cap. de Somniis, Exemplo ultimo. Tandem de imminentibus periculis, aliisve rebus ad dirigendam vitam spectantibus certos facerent, ut habetur Lacrymis Hetrusci: 'Inde viam morum, longæque examina vitæ, Affatusque pios, monituraque somnia poscam.' Apparere vero inimicis, ut eos exagitarent, terrerent, ac insequerentur sanguine suo. Papinius Theb. III. 'Te series orbarum excisa domorum Planctibus assiduis, te diro horrore volantes Quinquaginta animæ circum noctesque diesque Assilient.' Porro dicit *adsis lucidus:* Ad quod intelligendum, observandum est adhuc ut jam etiam monuimus ad Soteriorum Gallici vs. 86. credidisse veteres eos qui non sua morte, sed tristi aliquo casu periissent, simulacris suis retinere post mortem notas et vestigia vulnerum quibus cæsi ac deformati fuerant in vita. Hoc igitur modo iis apparebant interdum, quos movere volebant, ut patet Æneid. II. 'In somnis

Exores: solet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis.
Hæc te non thiasis procax dolosis
Falsi numinis induit figuras;
Ipsum sed colit, et frequentat ipsum

Hæc janua recludi solet viris revertentibus ad uxores. Illa non te induit insignibus falsi Dei, ut proterva hoc prætextu frequentaret Thyasos; sed veneratur te

scripto Barthii *despicis.* Vide Advers. lib. XII. cap. 4.—124 'Hoc versu melius legunt alii, *figura.*' Barth. Itaque Aldd. Colin. Gryph. Basil. Gevart. Grasser. Bern. *figuras* Venett. Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii; revocavit

NOTÆ

ecce ante oculos mœstissimus Hector, Visus adesse mihi, largosque effundere fletus; Raptatus bigis ut quondam, aterque cruento Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes. Hei mihi! qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore, &c.' Quia ergo cæsi aut peremti interdum caris quoque hæc tristia vestigia monstrabant, contingebat, ut illi quoque, quos terrere nollent, ingrata facie percellerentur. Hoc modo non vult Lucanum videri Pollæ, sed ut *lucidus et gratus visu* adveniat, quippe qui in cœlum receptus fuerat, aut missus ad Elysios campos, ubi beatorum manes erant. Seneca ad Marciam: 'Parens tuus, Marcia, Nepotem tuum applicat sibi nova luce gaudentem.' *Silentum*] Id est, mortuorum.

122 *Solet hoc patere limen Ad nuptas redeuntibus maritis*] Tangit fabulam Laodamiæ, quæ cum extincti Protesilai conjugis desiderium amplius ferre non posset, ardentissimis precibus a Diis Inferorum obtinuit, ut umbra mariti sibi remitteretur, qua visa in illius amplexibus expiravit. Vide Claudianum in Laudibus Severæ, et Hyginum Fab. 103. et 104. Nec solus ille ad uxorem rediit, sed et Osiris apud Diodorum Siculum lib. II. *Hoc limen*] Inferorum scilicet.

124 *Hæc te non thiasis procax dolosis Falsi numinis induit figuras;* [*figura*] *Ipsum sed colit, et frequentat ipsum*] Innuit Pollam non sub Lucani imagine Deos aliquos finxisse, et eos natali Lucani festis choreis et saltationibus celebrare: sed ipsum Lucanum sanctissimo mentis sacrario venerari, et illum colere in propria effigie thalamis præposita. Et hic tangit morem Papinius, quo, ut jam diximus ad Epicedii in Glauciam vs. 191. veteres, non solum defunctorum sibi carorum imagines amoris, et memoriæ ergo apud se habebant domi, sed etiam in formam habitumque Deorum formabant, ac sic colebant. Idem Papinius, Pietate Abascantii: 'Mox in varias mutata novaris Effigies: hoc ære Ceres, hoc lucida Gnossis, Illo Maia tholo, Venus hoc non improba saxo, Accipiunt vultus non indignata decoros Numina.' Apuleius Asini Aur. lib. VIII. 'Et dies totos totasque noctes insumebat luctuoso desiderio; et imaginem defuncti, quam ad habitum Dei Liberi formaverat, affixo servitio divinis percolens honoribus, ipso sese solatio cruciabat.' Ita Apollonii Thyanensis simulacrum sub Herculis Alexicaci nomine constituerunt, et honoraverunt Ephesii, teste Lactantio Div. Inst. lib. V. cap. 4. *Figura*] Legit

Imis altius insitum medullis:
Ac solatia vana subministrat
Vultus, qui simili notatus auro
Stratis prænitet, excubatque somno
Securæ. Procul hinc abite mortes;

ipsum et cogitat te ipsum insinuatum altius imis medullis; ac vana solatia affert tua imago aurea, quæ fulget ante lectum, et incubat dormienti secure. Mortes

Gronovius.—128 'Nihil mutandum in vulgatis verbis. Non enim his solatiis acquiescere poterat Polla. *Vana* ergo erant. Respicit id quod modo dixit, Lucanum intimis medullis viduæ suæ conjugis insitum manere.' *Barth.* Ad quam aliam lectionem alludit Barthius, nescio. Nullam certe inveni.—130 Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *incubatque somno.* 'Lege certissima emendatione, *excubatque.*' Markl.—131 'Nihil etiam hic mutandum.' *Barth.* Edd. vett. *Securæ procul hinc abite mortes.* Gevart. legit: *incubatque somno Secure:*

NOTÆ

Gronovius, *figuras,* non *figura,* ex Rom. Venetaque editionibus, et quod pluribus Diis defuncti faciem dabant ab impatientia doloris, ut ostendunt verba ex Pietate Abascantii.

128 *Solatia vana*] Mortuorum vel absentium amicorum memoriam per eorum imagines renovatam, plerumque veteres scriptores *solatium* vocaverunt. Isidorus Originum VIII. 'Fuerunt etiam aut quidam viri fortes, aut urbium conditores, quibus mortuis, homines qui eos dilexerunt, simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium.' Minutius in Octavio: 'Dum gestiunt eorum (regum) memorias in statuis detinere, sacra facta sunt, quæ fuerant assumta solatia.'

129 *Vultus, qui simili notatus auro*] Id est, vultus tibi simillimus in auro expressus. *Simile aurum*] Id est, imago alicujus aurea. Et hoc idem solatium capiebat Laodamia ex effigie sui Protesilai, in Ep. Heroid.

131 *Securæ*] Hoc est, ut explicat optime Gronovius, non metuentis, ne apparitione alicujus diræ umbræ, aut rupti corporis, et venarum sectarum simulacro noctu exterreatur. Ita non 'securi somni,' quos aut umbræ ingratæ, aut ingrata monentes reddunt infestos, Lucano lib. III. ubi Julia ad Pompeium: 'Hæreat illa tuis per bella, per æquora signis Dum non securos liceat mihi rumpere somnos.' Sic etiam illa, quæ molestis insomniis turbare quietem poterant, a lectis longe removebant. Tertullianus de Resurr. Carnis: 'Gladium vero latrociniis ebrium, quis non a domo tota, nedum a cubiculo, nedum a capitis sui officio relegaverit? præsumens scilicet nihil aliud se quam illudia animarum somniaturum, urgentium atque inquietantium sanguinis sui concubinum.' Pollæ autem non istiusmodi timor, ne hæc imago tristia ipsi dormienti simulacra exhibeat. Pro *securæ* legit Heinsius: *Sint curæ procul: abite mortes. Procul hinc abite mortes*] Id est, his sacris, et cultu Pollæ, Lucanus nunquam morietur, memoriaque ejus in æternum perdurabit.

Hæc vitæ genitalis est origo:
Cedat luctus atrox, genisque manent
Jam dulces lacrymæ; dolorque festus
Quicquid fleverat ante, nunc adoret.

hinc recedite: hic dies iterum conjuges jungit. Horridus luctus abeat, et dulces fletus nunc fluant per genas, ac festus dolor nunc colat, quicquid ante ploraverat.

Heinsius: *Sint curæ procul: hinc abite, &c.* Interpunctio nostra debetur Gevartio.—132 *Hæc vitæ genialis* Aldd. Colin. Gryph. &c. *Hæc vitæ genitalis* Venet. 1. et Parm. quod revocavit Markl. *Hac vitæ genialis* Gronovius.—134 Edd. vett. *dolorque fessus.* Altera lectio est ex emendatione Gronovii.

NOTÆ

132 *Hæc vitæ genitalis* [*genialis*] *est origo*] Id est, his sacris, æternis jungentur nuptiis conjuges Lucanus et Polla. Legit Gronovius *Hac* pro *Hæc*, explicatque: *Hac*, id est, per hunc vultum *genialis vita* conjuges iterum jungit.

134 *Dolorque festus Quicquid fleverat ante, nunc adoret*] Medicæus eleganter: *dolorque festus, Quicquid fleverit ante, nunc adoret.* Imitatio Lucani lib. VII. 'Flere veta populos: lacrymas luctusque remitte: Tam mala Pompeii, quam prospera mundus adoret.' Elegantissime etiam *festus dolor*, inquit Gronovius: non secus ac si Adonia, aut Hyacinthia agenda in natali Lucani diceret. Sic lib. VII. 'Mox circum tristes servata Palæmonis aras Atra superstitio, quoties animosa resumit Leucothoë gemitus, et amica ad littora festa Tempestate venit.'

P. PAPINII STATII

SYLVARUM

LIBER III.

STATIUS POLLIO SUO SALUTEM.[1]

Tibi certe, Polli dulcissime, et hac, cui tam fideliter[2] inhæres, quiete dignissime,[a] non habeo probandam[b] diu[c] libellorum istorum temeritatem,[d] cum scias multos ex illis in sinu tuo subito natos,[e] et hanc audaciam styli nostri[f] frequenter expaveas,[g] quoties in illius facundiæ tuæ pene-

1 Rhod. *Pollio Statius S.* Salisb. *Statius Pollio suo Sal.* Non habetur inscriptio in Aldd. 1. 2. Colin. et Gryph. 1. 2. *Ad Pollium* in ceteris.—2 'Alii codices habent *fæliciter.*' Domit. 'Contaminat hanc lectionem, et veritatem adeo ipsam, qui *feliciter*, quam illud mavult. Is est non magnæ

NOTÆ

[a] *Cui tam fideliter inhæres, quiete dignissime*] *Fideliter*, summa fide, vere et ex animo spretis ambitionis ac avaritiæ seductionibus a veræ vitæ *quiete:* Pollius enim Epicureæ sectæ addictus erat, ut vidimus Surrentino Pollii Felicis. Cujus sectæ inter effata, inquit Cicero Orat. pro Sextio: 'Omnia sua causa facere sapientes; Rempublicam capessere hominem sanum non oportere; nihil esse præstabilius otiosa vita et plena et conferta voluptatibus.' Ante Epicurum Chio Matridis filius in Epistola ad Clearchum tyrannum πραεῖαν θεὸν Ἡσυχίαν, *mitem Deam Quietem*, magnifice loquentem inducit, ut præclarissimarum disciplinarum magistram et tranquillæ cumque virtute conjunctæ vitæ ducem. Vide Senecam Epist. 73.

[b] *Non habeo probandam*] Non opus est probem.

[c] *Diu*] Id est, multis verbis.

[d] *Temeritatem*] Alias celeritatem.

[e] *In sinu tuo subito natos*] Scis, inquit, me scripsisse apud te frequenter ex tempore hoc carminis genus.

[f] *Styli nostri*] Celerrimi.

[g] *Expaveas*] Vel admireris, vel quia te obtundo.

trale[3] seductus, altius literas intro, et in omnes[4] a te studiorum sinus ducor. Securus[h] itaque tertius hic Sylvarum nostrarum liber ad te mittitur. Habuerat quidem et secundus testem;[i] sed hic[j] habet auctorem.[k] Nam primum limen ejus Hercules Surrentinus[l] aperit, quem in littore tuo consecratum, statim ut videram, his versibus adoravi. Sequitur libellus, quo splendidissimum et mihi jucundissimum juvenem, Metium Celerem,[5] a sacratissimo Imperatore missum ad legionem Syriacam, quia sequi non poteram,[6] sic[m] prosecutus[7] sum. Merebatur et Claudii Etrusci mei pietas aliquod ex studiis nostris solatium, cum lugeret veris (quod amarissimum[8] [n] est) lacrymis senem patrem. Earinus præterea, Germanici[o] nostri libertus,[9] scit quamdiu desiderium ejus moratus sim,[p] cum petiisset, ut Capillos

rei Grammatista Joannes Scoppa Collectan. lib. I. c. 30.' *Barth.*—3 'Rom. pro *penetrale* habet *penetrasti;* a qua lectione merito dissentit Politianus Epist. VI. 1. et legit *penetrale.* Parm. exhibet *penetralia*, quod verius puto.' *Markl.*—4 'Malim *in intimos;* non enim de omnibus studiorum recessibus, sed de interioribus sermo est.' *Barth.*—5 Rom. et vet. Lindenbrogii, *Novium Celerem.* Suetonius in Domit. cap. 4. *Metium Rufum* vocat.—6 Venett. Aldd. Colin. Gryph. &c. *non poteramus;* Parm. *non poteram*, quod reposuit Markl.—7 Rom. et vet. Lindenbrogii, *persecutus.*—8 'Nec hoc satis congruum; quis enim verus dolor non est amarus? Omnis sane de quo Epicediis suis loquitur Papinius. Sed neque hoc satis sanum arbitror, et sunt in Poëmate illo, quæ non solum velint, sed poscant fere etiam hic legi *rarissimum.* Ego autem non definivisse hoc Papinium nostrum puto, sed interrogatiunculæ vocula adjecta, non plane condemnare sæculi sui mores hac in re voluisse. Scripserit ergo: *Merebatur et Claudii mei Etrusci Pietas...veris (quod an rarissimum est?) lacrymis, &c.* Notavit tamen et sic mores sui ævi, sed caute et clementer: nihil durius pronuntians.' *Barth.*—9 *Germanici nostri libertus* Rhod. Salisb. Venet. 1. et Parm. non *Dei nostri*, quod fatetur pro libidine se inseruisse Domitius. Cur non et sequenti libro, ubi est: 'septimum decimum Germanici nostri consulatum adoravi.' Vocem *Dei*

NOTÆ

h *Securus*] Nihil dubitans, aut timens accusationem.

i *Testem*] Supple, te.

j *Hic*] Tertius.

k *Auctorem*] Ducem; nam tibi dicatus est, et primus libellus in tuam gratiam scribitur.

l *Hercules Surrentinus*] Libellus de æde Herculis Surrentini, quam Pollius reædificavit.

m *Sic*] Propemptico Metio Celeri.

n *Amarissimum*] Quidam corrigunt, *rarissimum.*

o *Germanici*] Domitiani Imperatoris.

p *Quamdiu moratus sim*] Hoc est, quam celeriter ei satisfecerim.

suos, quos cum gemmata pyxide [q] et speculo ad Pergamenum [10] Asclepium [r] mittebat, versibus dedicarem. Summa est Ecloga, qua mecum secedere Neapolim Claudiam meam exhortor. Hic, si verum dicimus, sermo est; et quidem securus,[11] [s] ut cum uxore, et qui persuadere malit, quam placere. Huic præcipue libello favebis, cum scias habere destinationem [12] quietis meæ, et tibi [13] maxime intendere: [t] meque non tam in patriam, quam ad te secedere.

ejecit Gronovius.—10 *Pergameum* Aldd. Colin. Gryph. &c.—11 'Olim emendaveram: *sermo est, et quidem securus.* Confirmat Parm. quæ habet, *equidem* pro *et quidem;* et Rom. *ē quidem.*—12 Edd. vett. *cum scias hanc destinationem;* Parm. *cū scias habere, &c.* Ms. babuerat: *cū scias here;* unde error. Marklandus: *Huic præcipue l. f. tu, cū scias habere, &c.*—13 Conjunctio *et* deest in edd. vett. addidit Marklandus.

NOTÆ

[q] *Cum gemmata pyxide*] Morem condendi et consecrandi capillos respicit. Sed barbam præcipue ita consecrabant. Vide Suetonium et Xiphilinum in Nerone. Petronius in Sat. 'Pyxis aurea in qua barbam ipsius conditam esse dicebant.'

[r] *Ad Pergamenum Asclepium*] Æsculapius habebat Pergami templum magnificum.

[s] *Securus*] Id est, non ornatus.

[t] *Tibi maxime intendere*] Tui causa susceptam; vel te maxime respicere.

I. HERCULES SURRENTINUS POLLII FELICIS.

Commendat Pollium, quod Herculis angustissimum ac pæne collapsum illud templum in littore Surrentino mira celeritate instauraverit.

INTERMISSA tibi renovat, Tirynthie, sacra
Pollius; et causas designat desidis anni,
Quod coleris majore tholo; nec littora pauper

Tirynthie, Pollius restaurat tibi interrupta sacra; et causa, quam affert, cur cessaverint per annum integrum, hæc est, quod illum insumsit in ædificando tibi augustiore templo, ubi nunc adoraris. Non pauper occupas ut olim inornata littora,

Hercules Surrentinus inscribitur hoc Carmen in Rhod. et edd. vett. *Hercules Surrentinus Pollii Felicis* Salisb.—3 *Dum coleris majore tholo* legit N. Heins.

NOTÆ

1 *Tirynthie*] Hercules, a Tirynthe oppido Argolidis.

2 *Desidis anni*] Id est, quod tibi cessaverint sacra per totum annum.

3 *Littora pauper Nuda tenes*] Hercules enim erat ex Diis, qui in litto-

Nuda tenes, tectumque vagis habitabile nautis,
Sed nitidos postes, Graiisque effulta metallis,
Culmina; ceu tædis iterum lustratus honesti
Ignis, ab Œtæa conscenderis æthera flamma.
Vix oculis animoque fides: tune ille reclusi
Liminis, et parvæ custos inglorius aræ?
Unde hæc aula recens, fulgorque inopinus agresti

et solum ædem inhabitatam a vagis nautis; sed postes nitidos, ac tecta innixa columnis Græcanicis: ceu expiatus glorioso igne conscenderis cælum a busto Œtæo. Vix oculi et mentes credunt. Tune ille, cujus templum erat sine foribus, et qui inglorius habebas modicum altare? Unde hoc novum fanum, et splendor insperatus

in Notis ad Propertium p. 704. Nonnulli scripti pro *tholo* habent *choro*, solenni permutatione.—4 *Nuda tenens* Rom. et vet. Lindenbrogii, quod verum putat Marklandus.—7 Hunc locum aliter legit Hermolaus Barbarus

NOTÆ

ribus colebantur, ut Minerva, Apollo, &c. *Nuda*] Sine magnificentia templi.

4 *Tectumque vagis habitabile nautis*] Id est, quo utebantur nautæ pro tecto, aliquando illic noctes transigentes ac quiescentes.

6 *Ceu tædis iterum lustratus honesti Ignis, ab Œtæa conscenderis æthera flamma*] Has tædas 'mysticas' vocat Papinius Theb. VIII. 766. ubi observavimus, antiquos, si quo piaculo essent polluti, purgari solere sulfure, aqua, et igne. Ovidius: 'Terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure purgat.' Vide ibidem quæ diximus. *Honesti*] Quidam dicunt ignem hic honestum esse, cujus cœlestis origo est, quique Homero dicitur θεσπιδαὲς πῦρ. Sed simpliciter hic honestus ignis est, ut monet Gevartius, qui honorificus fuit ipsi Herculi, ut qui illi attulit honorem immortalitatis. Putabant enim veteres, ut quis immortalis fieret, terrenum omne corpori admixtum igne prius consumi oportere. Sic Ceres volens Triptolemum immortalem facere: 'Inque focos corpus pueri fervente favilla Obruit, humanum purget ut ignis onus.' Ovid. Fast. IV. Idem de Thetide dicitur Achilli filio immortalitatem dare percupiente. Eodem verbo usus est Papinius Hercule Epitrap. loquens de Saguntinis, qui, ut fidem populo Romano servarent, in ardentem pyram, quam in media urbe extruxerant, cum omni auro atque argento, se projecerunt: ait enim: 'Immeritasque domos, ac templa Sagunti Polluit, ac populo furias immisit honestas.' Nam et hic 'furias' vocavit 'honestas,' id est, gloriosas, quæ famam ac gloriam conservatæ in Romanos fidei attulerunt. *Ab Œtæa flamma*] Sciunt omnes Herculem, induta Nessi tunica, tantos æstus sensisse, ut impatientia doloris, Philoctetæ jusserit sibi strui pyram in monte Œta, in qua se cum clava ac pelle leonis cremaverit.

9 *Et parvæ custos inglorius aræ*] Id est, qui parvam aram servabas, parvæ aræ impositus eras.

10 *Agresti Alcidæ*] Erat Romæ templum dicatum Herculi sub no-

Alcidæ? sunt fata Deum, sunt fata locorum.
O velox pietas! steriles hic nuper arenas,
Aspersum pelago montis latus, hirtaque dumis
Saxa, nec ulla pati faciles vestigia terras
Cernere erat: quænam subito fortuna rigentes
Divisit scopulos? Tyrione hæc mœnia plectro,
An Getica venere lyra? stupet ipse labores
Annus, et angusto bisseni limite menses
Longævum mirantur opus. Deus affuit, arces
Erexitque suas, atque obluctantia saxa
Summovit nitens, et magno pectore montem
Repulit; immitem credas jussisse novercam.

rustico Alcidæ? Diis sunt sua fata, sunt et locis. O celeris pietas! Hic nuper erat videre infœcundas arenas, et latus montis perfusum aquis maris, scopulosque horridos sentibus, et locum, quo arduum erat transire. Quinam casus repente promovit duros lapides? Hinc parietes accessere Tyria an Getica cithara? Omnes stupent unum annum suffecisse huic ædificio construendo, et intra angustum limitem duodecim mensium opus longioris temporis fuisse perfectum. Deus astitit, et ipse exstruxit suas ædes, et obnixus protrudit obsistentes scopulos, et repulit montem ingenti pectore: putares sævam novercam hoc illi imperasse. Ergo age, sive habi-

ad Plin. lib. xxv. cap. 5. ut apparet ex Barthii notis.—16 *Ductavit scopulos* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. 'Diu est quod hanc vocem *Ductavit* suspectam habui, propter ea quæ notat Quintil. Instit. viii. 3. et Sosipater Charisius lib. iv. p. 242. Nimirum *ductare* est verbum lenonium et obscœnum; (vide Burm. ad locum Quintil. et Muretum Var. Lect. vi. 7.) et in lasciviori sensu eo usi sunt Plautus et Terentius: honestiori demum Sallustius, Catilin. cap. 11. tamen propter ambiguitatem vocis derisus et male acceptus. Post hunc, opinor, hoc verbum a lingua Latina exulavit; neque alibi, credo, reperies, nisi in unico hoc Statii loco: hinc quoque ejiciendum; nam optima Parmensis editio clare habet: *Divisit scopulos.*' Markl.—17 Parm. *stupet ipse laborans.*—18 Eadem pro *angusto bisseni* exhibet *angusti bisseno.*—19 Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii: *attulit arces;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *affuit arces;* aliæ vett. *affluit arces;* et ita Bernartius. 'Male doctissimus Meursius, qui in notis ad Arnobium *affuit* hic scribendum

NOTÆ

mine Rustici, ut discimus ex Lampridio in Commodo. *Alcidæ*] Herculi.

16 *Tyrio plectro*] Id est, Thebano, Amphionis scilicet, qui muros Thebanos ad cantum lyræ condidisse fertur.

17 *Getica*] Id est, Thracia, Orphei scilicet, qui movisse lapides dicitur.

Stupet ipse labores Annus] Admiratur tantum operis intra suum circulum factum esse.

19 *Longævum opus*] Quia absolvendum non erat probabiliter tam brevi tempore.

22 *Novercam*] Junonem scilicet. Juno enim ita acerrimo odio prosequebatur Herculem, (hinc *immitem*

Ergo, age, seu patrios, liber jam legibus, Argos
Incolis, et mersum tumulis Eurysthea calcas:
Sive tui solium Jovis, et virtute parata
Astra tenes, haustumque tibi succincta beati
Nectaris, excluso melior Phryge, porrigit Hebe;
Huc ades, et genium templis nascentibus infer.
Non te Lerna nocens, nec pauperis arva Molorchi,

tas patrios Argos, jam legibus solutus, et proteris Eurysthea sepulcris obrutum: sive occupas solium tui Jovis et sidera acquisita tua fortitudine, et Hebe veste succincta, dignior expulso Ganymede, tibi offert bibendum divinum nectar, huc adsis, et induc numen tuum in nova fana. Non scelesta Lerna, non agri pauperis Mo-

argutatus est: male et Bernartius.' *Barth.*—23 Codd. manuscripti, quos citat Bernartius, substituunt: *seu patrios liber jam legibus agros*, improbante Barthio.—25 *Sive tui solum Jovis* vet. Lindenbrogii, et ita forsan in Rom.—28 Unus codex: *tectis fulgentibus.*—30 Edd. vett. omnes, *antraque:* mutavit

NOTÆ

vocat Papinius,) sicut omnes sciunt, ut illi imposuerit multiplices ac periculosos labores exantlandos, credens his illum cessurum, ac periturum tandem; sed ex his clarior ac celebrior emersit Hercules.

23 *Patrios Argos*] Argi oppidum et caput Argolidis. Dicuntur 'patrii,' quia Argis natus Hercules creditur.

24 *Eurysthea*] Eurystheus, Stheneli filius, tam tyrannice abutebatur imperio, quod sibi fata dederant in Herculem, ut illum ad subeunda plura pericula adegerit. Nota fabula. *Mersum tumulis*] Corpus enim Eurysthei, occisi in prælio ab Atheniensibus et liberis Herculis, in Attica sepultum tradunt Strabo et Pausanias, caput vero seorsum Corinthi. Sic *mersum tumulis;* nam alibi caput, alibi ejus corpus humatum est.

25 *Et virtute parata*] Vide Anthol. lib. I, Tit. Εἰς Ἀρετήν.

26 *Haustumque tibi succincta beati Nectaris, excluso melior Phryge, porrigit Hebe*] Allusit ad fabulam, qua dicitur Hebe nupsisse Herculi in numerum Deorum recepto. Hebe autem erat filia Junonis, et Dea Juventutis, quam Jupiter ob formam poculis suis præfecit; sed tandem ab officio amota est, et in ejus locum successit Ganymedes, ut ait Servius. Homerus autem ex Jove conceptam tradit, nec omnino ab munere exclusam, sed partem retinuisse; eam enim ceteris Diis pocula administrare, Ganymedem vero soli Jovi. *Succincta*] Ut expeditius ministerio fungeretur. Sic, Epulo Domitiani, Ceres: 'Ipsa sinus accincta Ceres, Bacchusque laborant Sufficere.'

28 *Et genium templis nascentibus infer*] Veteres credebant Deos inhabitare ædes ac imagines, ubi primum eorum nomini dicatæ erant. *Nascentibus*] Nascentia templa solenni formula olim dicebant, cum primum consecrata erant. Martialis lib. VI. Ep. 4. ad Domitianum: 'Tot nascentia templa, tot renata.' Cicero ad Att. lib. IV. Ep. 1. 'natalem salutis' vocat eum diem, quo Deæ Saluti consecratum fuit templum.

29 *Lerna*] Lerna, palus Argolidis.

Nec formidatus Nemees ager, antrave poscunt
Thracia, nec Pharii polluta altaria regis;
Sed felix, simplexque domus, fraudumque malarum
Inscia, et hospitibus Superis dignissima sedes.
Pone truces arcus, agmenque immite pharetræ,
Et regum multo perfusum sanguine robur,
Instratumque humeris dimitte gerentibus hostem.

lorchi, nec timendus campus Nemees, nec speluncæ Thraciæ, aut aræ contaminatæ regis Ægyptii te expetunt; sed fortunata et sincera domus, et ignara fraudum malarum, et locus dignus, qui recipiat hospitio Superos. Mitte horrendum arcum, et sævas sagittas tuæ pharetræ, et clavam respersam cruore plurium tyrannorum, et depone ex humeris pellem leonis, quem occidisti. Sublime pulvinar hic tibi

Marklandus; iterum restituit Handius, quem vide ad I. Sylv. 2. 160.—33 *Nescia* in quibusdam libris.—34 Rom. *agmenque inmite pharetrum.*—36 *Lustratumque* Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Instratumque* Senensis Gevartii, et unus Lipsii, ut conj. Turnebus. Vidit etiam sic corrigendum Joannes Meursius in Notis ad Arnobium pag. 46. Gevartius primus in textum admisit. Idem pro *gerentibus* malit *rigentibus*, improbante

NOTÆ

Nocens] Ob hydram quam Hercules occidit. Vide Theb. IV. 168. *Molorchi*] Molorchus pastor agri Cleonæi, qui Herculem ad occidendum leonem Nemæum euntem hospitio suscepit. Vide ibidem vs. 160.

30 *Nec formidatus Nemees ager*] Nemee, sylva et tractus Arcadiæ. *Formidatus*] Ob leonem Nemæum, quem occidit Hercules. *Antrave poscunt Thracia*] Id est, antra seu stabula Diomedis regis Thraciæ, qui equos suos humana carne alebat, quique ab Hercule victus, equis suis in alimentum datus fuit. Ovidius in Ibin: 'Ut qui Threicii quondam præsepia regis Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.'

31 *Nec Pharii polluta altaria regis*] Innuit aras Busiridis, sanguine hominum quos immolabat fœdatas. Busiris ille rex Ægypti, et Neptuni filius, advenas omnes Jovi immolabat, ipseque tandem ab Hercule in Ægyptum delato immolatus fuit, cum filio Amphidamante, ac omnibus aræ ministris. *Pharii*] Id est, Ægyptii, a Pharo quondam insula prope Alexandriam, nunc terræ adjuncta.

34 *Agmenque immite pharetræ*] Sagittas intelligit, quæ nunquam frustrabantur, unde *immite* vocat *agmen*.

35 *Robur*] Clavam, quam illi Vulcanus dedit.

36 *Humeris gerentibus*] Intelligit pellem leoninam, quam lævo humero gerebat e spolio leonis Nemæi: cujus rictu seu hiatu pro galea utebatur, ex Apollodori Bibliothecæ lib. II. *Gerentibus humeris*, est, non jam luctantibus, sed gestantibus modo, et jam victoribus humeris. Vide Libanium in Exphrasi seu descriptione Herculis gestantis suem Erymanthium. Dimitte, inquit, hostem humeris, non quibus ille pugnans inhæret, aut quibus tu adversus eum pugnas, sed qui *instratum* jam gerunt: quos vestit, non quibuscum luctatur. *Gronovius.* Habent quidam codices: *ri-*

Hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho
Texitur, et signis crescit torus asper eburnis.
Pacatus, mitisque veni; nec turbidus ira,
Nec famulare timens; sed quem te Mænalis Auge
Confectum thiasis, et multo fratre madentem,
Detinuit: qualemque vagæ post crimina noctis

texitur ex acantho Sidonio, et lectus eburneus sternitur sculptis signis excisus. Placidus lenisque accede; nec ardens ira, nec metuens serviliter; sed qualis eras, cum Auge Mænalis te detinuit fatigatum nimia saltatione, et madidum multo vino, et qualem adhuc Thespius toties tuus socer, post facinora vagæ noctis, te admiratus

NOTÆ

gentibus; ac etiam optime tolerari potest, ut notat Gevartius. Omnia enim ante horrida et aspera descripsit, ut *truces arcus, agmenque immite pharetræ, &c.* Et humeri cruda pelle instrati proprie, 'rigere,' dicuntur. Papinius Theb. I. 'Riget horrida tergo Palla, et cœrulei redeunt in pectora nodi.' *Instratum hostem*] Id est, instratam pellem leonis Nemæi, quem occidit Hercules. Repræsentabatur autem Hercules cum arcu ac pharetra, clavaque, tectusque humeros leonina pelle. Unde Tertulliano dicitur: 'Scytalosagittipelliger.'

37 *Hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho Texitur*] Tangit morem, quo lecti cum pulvinaribus sterni solebant in templis ac numinibus dicari, perinde ac ipsi Dii et Deæ incubare vellent: et ad preces acceptandas præsentes esse. Exempla passim apud scriptores obvia. *Sidonio pulvinar acantho Texitur*] Id est, pulvinari intexuntur figuræ foliorum acanthi. Sic Virgil. Æneid. I. 'Et circum textum croceo velamen acantho.' Acanthus autem herba, de qua vide Plinium lib. XXII. cap. 22. *Sidonio*] Quia hac herba abundat ager Sidonius, sic dictus a Sidone urbe Phœniciæ ad mare sitæ.

38 *Signis crescit torus asper eburnis*] Id est, lectus eburneus sculptis signis excisus.

40 *Nec famulare timens*] Id est, more servi timens et serviliter. Sic Theb. IV. de Bellona ait: 'turmale fremens,' instar turmæ. Ibidem dixit 'mortale sonans,' et passim hujusmodi loquendi modi Papinio familiares.

Mænalis Auge] Auge filia Alei Arcadiæ regis, *Mænalis* dicta a Mænalo monte Arcadiæ. Hanc Hercules ad Aleum divertens compressit et gravidam reliquit; quo comperto pater eam mergendam tradidit cuidam navis magistro, sed illa antequam ad mare perveniret, urgente partus tempore Telephum peperit, eumque inter virgulta abdidit. Augen tamen non mersit navarchus ille, sed dono dedit eam mercatoribus quibusdam, qui illam in Cariam detulerunt ad Teuthrantem regem, ubi postea a Telepho filio agnita est. Ille repertus a pastoribus, traditus fuerat regi Corinthi, et Telephus vocatus, quod a pastoribus pendens ab uberibus cervæ inventus fuerat. Petit autem ab Hercule eam hilaritatem, qua divertebat ad Augen, quia 'aquæ furtivæ' dulciores.

41 *Thiasis*] Thiasi proprie saltationes ac choreæ Baccho in orgiis exhibitæ. *Et multo fratre madentem*] Id est, multo Baccho, seu vino.

42 *Qualemque vagæ post crimina noctis Teslius [Thespius] obstupuit, toties so-*

Testius obstupuit, toties socer: hic tibi festa
Gymnas, et insontes juvenum sine cæstibus iræ
Annua veloci peragunt certamina lustro.
Hic templis inscriptus, avo gaudente, sacerdos

est. Hic celebrantur in tuum honorem annua certamina incruentæ luctæ, amotis cæstibus, celeri lustro. Hic antistes initiatur fanis tuis, avo exultante, puer adhuc,

Gronov. in Diatr. cap. 23. Marklandus vero, *ingentibus.*—44 Domitius invenit in suis codd. *testibus;* unde fecit *cæstibus;* quod ante illum habuit editio Parmensis. Hoc tamen Marklando subfrigidum videtur; quare ille legi malit *cædibus.*—46 *Hic templis adscriptus* conjecerat idem Marklandus.

NOTÆ

cer] Hic Thespiensium rex, non Thespius, sed Thestius appellatur ab Apollodoro Biblioth. lib. II. hujusque greges leo Cithæronius discerpserat. Eo vero ab Hercule occiso Thespius Herculem per quinquaginta dies apud se retinuit, eique quotidie pro mercede peremti leonis unam ex filiabus devirginandam tradebat, percupiens singulas præclaræ sobolis parentes videre. Porro *vagam noctem* vocat, ob concubitum vagum. Sunt enim qui has omnes puellas una eademque nocte mulieres factas ab Hercule et gravidas relictas tradant, ut hic Papinius. Sic etiam Thespius *toties* erat *socer*, quoties Hercules rem habebat cum aliqua ex ejus filiabus. Græcus autem Epigrammatographus hujus *vagæ noctis* facinus, *decimum tertium certamen* facete appellat: *Μουνονουχὶ πεντήκοντα συνέλεξατο κούραις.* Tametsi appendix fuerit primi omnium certaminis cum Leone Nemæo, quod decimo octavo ætatis anno sustinuit.

43 *Hic*] Surrenti scilicet.

44 *Gymnas*] Vox soli Papinio usurpata, ut jam diximus. Per hanc ludos Gymnicos intelligit. Dicitur *festa*, quia hi ludi sacri erant, et in honorem Herculis instituti a Pollio. *Insontes sine cæstibus iræ*] Quia in iis ludis non erat cæstuum certamen, quibus plerumque cædes committebatur alterutrius pugnantium. Ea ratione 'infestos' vocat cæstus Theb. VI. 726.

45 *Annua veloci peragunt certamina lustro*] Hic lustrum non prima sui notione accipiendum est pro spatio quinque annorum, sed pro intervallo temporis, quod intercedebat inter duas ludorum celebrationes, quæ se sequebantur; unde hic 'velox lustrum' vocat, quod erat tantum circuitus unius anni: annui enim erant hi ludi.

46 *Hic templis inscriptus, avo gaudente, sacerdos Parvus adhuc*] Innuit nepotem Pollii ex filia Pollia uxore Menecratis, qui puer sacerdos initiatus erat Herculi. Et fortasse hi ludi erant instituti ad formam ludorum, qui in agro Leontino celebrabantur in honorem Herculis, palæstræ scilicet et equorum: tanta numinis præsentia, ut si ludi cessarent, pueri antistites muti fierent, quo morbo liberabantur, simul ac sacra renovabantur. Et hoc quia puer Hercules immissos a Junone noverca serpentes occiderat.

Parvus adhuc, similisque tui, cum prima novercæ
Monstra manu premeres, atque exanimata doleres.
Sed quænam subiti veneranda exordia templi,
Dic age, Calliope: socius tibi grande sonabit
Alcides, tensoque modos imitabitur arcu.
Tempus erat, cœli cum torrentissimus axis
Incumbit terris, ictusque Hyperione multo

et æqualis tibi, cum dextra elideres prima portenta novercæ tuæ, et mœreres ea occisa. Sed dic age, Calliope, quæ fuerit augusta causa delubri cito exstructi: Hercules tuus comes tibi magnifice respondebit, et imitabitur chorda arcus sui modos tuos. Tempus erat, quo ardens cœli signum incubat terris, et asper Sirius percussus

—51 Unus codex manuscriptus *tentoque*.—53 'Recte: Lucr. VI. 'Nubila solvuntur solis super icta calore.' Tubero ap. Gell. Noct. Att. VI.

NOTÆ

47 *Cum prima novercæ Monstra manu premeres*] Hercules, cum in cunis jaceret, duos angues a Junone immissos elisit. De quo vide Epigramma Galli Anthol. lib. IV.

48 *Atque exanimata doleres*] Non hæc intelligenda sunt de draconibus infantum collusoribus: quanquam notum sit illud Lucani: 'donatis lusit serpentibus infans,' et id, quod Lucianus tradit de Pellæis. Nec profecto tales immisit Juno Herculi, qui cum eo luderent, sed qui eum extinguerent: nec hinc probatur magnitudo animi parvi Herculis, ut putat Morellus; sed hoc solum denotat infantilem simplicitatem Herculis, ut optime monet Gevartius. Imitatus est hunc locum Sidonius Apollinaris, Epithal. Polemii et Araneolæ: 'Parvulus hic gemino cinctus serpente novercæ Inscius arridet monstris, ludumque putando, Insidias, dum nescit, amat, vultuque dolentis Extingui deflet, quos ipse interficit, angues.' Parrhasius pinxit duos pueros, in quibus spectabatur securitas, et ætatis simplicitas, ut refert Plinius.

50 *Calliope*] Una ex Musis, mater Orphei. *Socius Alcides*] Plutarchus refert in Quæstionibus Herculem primum intulisse literas in Italiam, cum ex Hispania reverteretur, causamque fuisse affirmat, ut eodem templo cum Musis coleretur. Hæc ædes Herculis Musarum vocabatur, teste Suetonio Augusto cap. 29. Hujusce societatis rationem affert Eumenius Rhetor de Scholis instituendis: 'Ædem Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille nobilior ex pecunia censoria fecit, non id modo secutus, quod ipse literis et summa Ennii amicitia duceretur, sed quod in Græcia cum esset imperator, acceperat Herculem Musageten esse, id est, comitem, ducemque Musarum. Idemque primus signa novem, hoc est omnium Camœnarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecravit, quia mutuis operis, et præmiis juvari, ornarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, virtus Herculis voce Musarum.' *Alcides*] Hercules, ab avo Alcæo.

51 *Tensoque arcu*] Id est, tinnitu tensi arcus.

Acer anhelantes incendit Sirius agros.
Jamque dies aderat, profugis cum regibus aptum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, et face multa

plurimo sole torret sitientes campos. Et jam dies venerat, quo celsa sylva Dianæ Aricinæ fumat sacris fugitivorum regum, et stagnum celans Hippolytum, fulget



4. Non igitur opus est ut legamus: *auctusque Hyperione multo;* licet hoc quoque probum sit.' *Marklandus.* Unde illud *auctus* sumserit Marklandus non didici.—55 ' Pro *aptum* nescio unde in Gronovii editionem irrepserit *altum;* quam sequitur Veenhusius, errorum etiam fidus exscriptor.' *Markl. altum* ex emendatione Ulit. ad Grat. p. 295. primo expressum fuit in Amstel. cujus textum, hic illic mutatum, recudendum curavit Gronovius: *altum* etiam admisit Barthius.—56 *Fumat Aricinæ Triviæ*

NOTÆ

53 *Ictusque Hyperione multo Acer anhelantes incendit Sirius agros*] Intelligit dies caniculares. Tunc enim temporis calor maximus. Unde Manilius lib. v. ' Latratque canicula flammas, Et rapit igne suo geminatque incendia Solis.' *Hyperione*] Sole. Vide lib. VIII. Theb. VIII. 47.

Sirius] Sidus caniculæ.

Ictus Hyperione] Ut Lucretio lib. v. ' Et ictum solis ardoribus aëra,' et lib. VI. de Terra: ' Intempestivis pluviisque et solibus icta.'

55 *Profugis cum regibus aptum Fumat Aricinum Triviæ nemus*] Erat prope Ariciam urbem Latii, non procul Roma, nemus consecratum Triviæ seu Dianæ, in eoque templum Dianæ, quæ hinc ' Nemorensis,' sacerdosque ejus 'rex Nemorensis' dictus. Nam et regnum vocabatur Sacerdotium Dianæ Aricinæ. ' Triviæ nemorosa regna' Martialis, Lucanus ' Scythicæ regna Dianæ' vocat. Appellat Strabo ἀφίδρυμα τῆς Ταυροπόλου; Solinus ' simulacrum Scythicæ Dianæ,' quod Orestes, ut Servius refert, cum, post occisum Thoantem in regione Taurica, fugisset, Dianæ simulacrum inde sublatum illic collocaverat; remansitque mos barbaricus ac Scythicus apud hoc templum, ut perfuga sacerdos ibi constitueretur, qui priorem sacerdotem sua manu occidisset; unde ille stricto gladio semper paratus ad insultus propulsandos circumspiciebat, rexque vocabatur. Ovidius: ' Regna tenent fortes manibus, pedibusque fugaces: Et perit exemplo postmodo quisque suo.' Valerius Flaccus: ' Solique immitis Aricia regi.' Bene ' soli:' Nam non amplius, ut in Thaurica, advenæ immolabantur, sed hoc solum interdum regi Sacerdoti contingebat, ut a validiori occideretur. Suetonius Caligula cap. 35. ' Nemorensi regi, quod multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit.' Porro Diana *Trivia* vocata, quia in triviis colebatur, ut jam alibi diximus.

Fumat Aricinum] Nam Idibus Augusti discurrebant cum facibus ardentibus ab urbe in nemus Aricinum, ubi erat templum Dianæ. Propertius: ' Cum videt accensis devotam currere tædis In nemus, et Triviæ lumina ferre Deæ.'

56 *Et face multa Conscius Hippolyti splendet lacus*] In hoc nemore Dianæ Aricinæ lacus ingens fuit, cum delubro Deæ, ex Strabone. Qui dicitur *conscius Hippolyti*, scilicet latentis illic: nam in eo nemore occultabatur

Conscius Hippolyti splendet lacus: ipsa coronat
Emeritos Diana canes, et spicula tergit,
Et tutas sinit ire feras; omnisque pudicis
Itala terra focis Hecateias excolit idus.
Ast ego, Dardaniæ quamvis sub collibus Albæ
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens

multa face. Ipsa Diana redimit sertis canes emeritos, et abstergit tela, et patitur bestias secure vagari, ac tota Italiæ regio veneratur castis focis Idus huic Deæ consecratas. Verum ego, quamvis propria villa, quæ est sub collibus Albæ Dardaniæ, et aqua fluens, mihi data dono ingentis Imperatoris, possent lenire meas solici-

NOTÆ

Hippolytus revocatus ab Inferis ope Æsculapii, et precibus Dianæ, putabaturque vivere illic in occulto, et Virbius vocabatur. Virgil. Æneid. VII. 'At Trivia Hippolytum secretis alma recondit Sedibus.' Ovid. Fast. III. 'Vallis Aricinæ sylva præcinctus opaca Est lacus, antiqua religione sacer. Hic latet Hippolytus furiis distractus equorum: Unde nemus nullis illud aditur equis.' *Conscius*] Bene. Nam conscii rerum occultarum. *Multa face*] Quia ut supra diximus, in his Triviæ sacris faces prælatæ, ut in quibusdam aliis. Argis enim fuit festum facularum teste Pausania lib. II. Et in Minervæ Saiticæ festo lampades accendebantur apud Themistium Serm. III.

57 *Ipsa coronat Emeritos Diana canes, et spicula tergit*] Veteres credebant Dianam suis festis, quæ in Idus Augusti incidebant, a venatione abstinere, canes suos coronare, ut functos ministerio, unde hic 'emeriti' dicuntur, ac spicula tergere. Quod præter Statium confirmat Gratius in Cynegetico: 'Spicatasque faces sacrum ad nemorale Dianæ Sistimus, et solito catuli velantur honore.' Boves etiam coronabantur diebus festis Cereri et Baccho. Tibull. lib. II. Eleg. 1. 'Solve vincla jugis, nunc ad præsepia debent Plena coronato stare boves capite.' Vide et Ovid. Fast. I.

59 *Pudicis focis*] Id est, aris Dianæ virgini dicatis, vel facibus ut supra. Dicuntur 'pudici,' ob Dianam virginem.

60 *Hecateias idus*] Idus enim Augusti sacræ erant Dianæ, quæ eadem ac Hecate erat; licet quidam faciant duo diversa numina. Idus autem incidebant quandoque in 13. diem mensis, quandoque in 15. Ex quo apparet etiam diem 13. vel 15. mensis vocatum Idus, seu ἀπὸ τοῦ εἴδους, quam luna plena tunc ostendit, aut ab eo, quod dictum fuit *iduare*, hoc est, dividere; quod tunc sit curriculi lunæ, ac prope etiam mensis dimidium. Hinc etiam Nonæ promovebantur, vel removebantur, quia novem præcise diebus aberant ab Idibus seu plenilunio. Veteres enim Romani annum ad lunæ cursum constituerant. Idus autem Augusti incidebant in 13. diei ejusce mensis; qui dies erat sacer etiam Vertumno, et festum erat servorum et ancillarum, de quo vide Plutarchum Quæst. Rom. 100.

61 *Ast ego, Dardaniæ quamvis sub collibus Albæ Rus proprium*] Papinius habebat prope Albam villam, quam illi Domitianus dono dederat, quam idcirco 'honores' vocat, Lyrico ad Septimium Severum: 'Parvi beatus ruris honoribus, Qua prisca Teucros

Unda domi, curas mulcere, æstusque levare
Sufficerent; notas Sirenum nomine rupes,
Facundique larem Pollî non hospes habebam;
Assidue moresque viri, pacemque, novosque
Pieridum flores, intactaque carmina discens.
Forte diem Triviæ dum littore ducimus udo,
Angustasque fores assuetaque tecta gravati

tudines, et sedare gravissimum calorem, petebam tamen scopulos celebres Sirenum nomine, et domum eloquentis Pollii, in qua non hospes, sed familiaris, discebam mores ejus atque animi tranquillitatem, et novos flores Musarum, et versus a nullo tentatos. Forte dum celebramus diem Triviæ in humido litore, pertæsi magnifici

Parm.—69 *Angustasque fores, assuetaque tecta gravamus* Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. 'Inemendati codd. habent *assuetas* et *gravatis;* nos vero legimus, *assutaque tecta gravamus Frondibus;* ut sensus sit: Dum tegimus tecta *assuta* maleque hærentia hiantibus rimis, atque ita solem arcemus.' *Domit.* Hanc Domitii interpretationem rejecit Gevartius, legitque: *Augustasque fores, assuetaque tecta gravamus.* Salmasius Exerc. Plin. p. 265. *Augustasque fores, assuetaque tecta gravamur;* et hoc verum esse pronuntiat Gronovius Diatr. cap. 23. Quemadmodum in suis codd. invenit Domitius, ita etiam est in vetusta Parm. *gravatis;* codex Senensis, *gravari;* unde Marklandus: *Augustasque fores* (vel *lares*) *assuetaque tecta gravati.* Ita vero Gronovius longe antea; et sic fere N. Heinsius in Advers. lib. I. cap. 10. *Angustasque fores*

NOTÆ

Alba colit lares:' quia ei illustre testimonium Cæsareæ gratiæ, ac proinde gloriæ erat. *Albæ*] Alba caput quondam Latii fuit. *Dardaniæ*] Quia ab Ascanio Dardanio, seu Trojano, condita fuit sub monte Albano, et a situ porrectæ in dorso urbis 'Alba longa' cognominata est.

64 *Notas Sirenum nomine rupes*] Intelligit Surrentum, quod quidam hoc nomen sortitum a Sirenibus volunt, vel Sirenusas insulas. Vide Surrentinum Pollii vs. 1.

65 *Non hospes*] Sed perquam familiaris, ac socius vitæ.

66 *Novosque Pieridum flores, intactaque carmina*] Forte Pollius invenerat novos carminum numeros, et a nullo hactenus tentatos. Sicut Horatius de se ipso III. Od. 30. 'Ex humili potens Princeps Æolium carmen ad Italos Deduxisse modos.'

68 *Diem Triviæ*] Idus Augusti sacras Dianæ.

69 *Angustasque* [*Augustasque*] *fores assuetaque tecta gravati*] Falluntur hic Domitius et Gevartius; ille quod legat *Angustas*, et intelligat templum Herculis, plane contra mentem Statii: ait enim mox Poëta convivas omnes diffugisse in proximam Herculis ædiculam: alter vero quod intelligat per *Augustas fores*, augustissimum et magnificum templum Dianæ Aricinæ; nam Surrenti, non Ariciæ festum diem Triviæ duxisse dicit Poëta. Sed per *Augustas fores* intelligendum est Surrentinum ipsum, augustum et magnificum opus, ut colligitur ex Surrentino; quod confirmatur ex sequentibus verbis, *assueta tecta*, id est, tecta seu prætoria quæ habitare Pollius consueverat: infra enim dicit: 'Quamvis innumeræ gaudentia rura

Frondibus et patula defendimus arbore soles;
Delituit cœlum, et subitis lux candida cessit
Nubibus, et tenuis graviore Favonius Austro
Immaduit: qualem Libyæ Saturnia nimbum
Attulit, Iliaco dum dives Elissa marito
Donatur, testesque ululant per devia Nymphæ.
Diffugimus, festasque dapes, redimitaque vina

liminis et solitæ domus, et arcemus ramis expassæ arboris æstum solis; cælum obscuratur, et clarus aër locum dedit repentinis nubibus, et tenuis Favonius humectatus est graviore imbre; qualem Juno immisit Africæ, dum opulenta Dido nuptum data est Æneæ Trojano, et consciæ Nymphæ ulularunt per deserta. Diffugimus,

assuetaque tecta gravati.—71 Heinsius l. c. et ad Ovid. Heroid. Epist. v. 16. pro *candida* legit *condita.* Parm. *nox candida.*—72 Eadem editio pro *Austro* exhibet *astro.*—74 'Pro *Attulit* legendum *Detulit* persuasissimum habeo.'

NOTÆ

superne Insedere domus, et multo culmine dives Mons nitet.' Illæ enim 'innumeræ domus,' et 'mons nitens divesque multo culmine,' id est, Surrentinum, sunt *Augustæ fores*, ut patet ex mente Poëtæ. Dicit enim se gravatos fuisse *augustas fores, et assueta tecta*, ut in littore ducerent diem festum, dapesque mensis appositas fuisse sub patula arbore, cujus ramis ac frondibus solem arcebant. *Tecta gravati*] Id est, nobis erat grave sub tectis manere. Suetonius Augusto cap. 72. 'Ampla et operosa prætoria gravabatur.' Seneca Ep. 24. 'Illi contemnunt vitam: hi gravantur.' Ita Græcis τοῦτο βαρύνεσθαι.

70 *Defendimus*] Hic 'defendere' pro arcere. Papinius Theb. I. 'Defendere noctem culminibus.' Et Virgil. 'Solstitium pecori defendite.'

71 *Lux candida*] Quia talis videtur. Nullius enim coloris est lux.

72 *Favonius*] Nomen venti, Zephyri dicti, qui serenus esse solet. *Austro*] Nomen venti qui semper humidior est: hinc ratio Epithetorum *tenuis* et *gravioris*.

73 *Libyæ*] Africæ, quæ Libya Græcis dicitur. *Saturnia*] Juno, sic dicta a Saturno patre. *Nimbum Attulit, Iliaco dum dives Elissa marito Donatur*] Alludit ad tempestatem, quam Juno movit, eo proposito, ut Dido, quæ venatum ierat cum Ænea, occasione hujusce procellæ intraret cum illo speluncam, ac sic ibi matrimonium, quod destinabat Juno, fieret ac consummaretur. Vide Virgil. Æneid. IV. 'Speluncam Dido dux et Trojanus eandem Deveniunt: fulsere ignes et conscius æther Connubii.' *Iliaco*] Trojano; Troja enim etiam Ilium, unde 'Iliacus,' vocabatur. *Elissa*] Dido, alio nomine, Elisa vocabatur. *Dives*] Ob raptos Pygmalionis fratris thesauros.

75 *Testesque ululant per devia Nymphæ*] Ex Virgilio ibidem: 'Summoque ulularent vertice Nymphæ.' *Nymphæ*] Deæ fontium et pratorum, &c.

76 *Festas dapes*] Quia hoc convivium fiebat ad celebrandum festum Dianæ. *Redimitaque vina*] Non solum coronati mensis accumbebant,

Abripiunt famuli: nec quo convivia migrent;
(Quamvis innumeræ gaudentia rura superne
Insedere domus, et multo culmine dives
Mons nitet) instantes sed proxima quærere nimbi
Suadebant, læsique fides reditura sereni.
Stabat dicta sacris tenuis casa, nomine templi,
Et magnum Alciden humili lare parva premebat,
Fluctivagos nautas, scrutatoresque profundi

ac servi cito auferunt lætas epulas et coronata vina, non tamen quo soleant migrare convivia, scilicet in sacellum, etsi innumeræ ædes superne imminerent lætis agris, et mons opulentus fulgeret multis tectis. Sed ingentes imbres et spes indubitata reditus serenitatis hortabantur petere locum proximum. Erat parva domus, quæ nomine templi donabatur, et quæ modico spatio, et humili lare coarctabat ingentem Alcidem,

Markl.—77 Aldd. Colin. Gryph. &c. *ne quo convivia migrent.* Parm. Rom. et vet. Paris. *nec;* et sic legunt Morell. Behot. Salmas. et Gronov. 'Est abruptus, ex more Papinii, sermo, subaudiendumque verbum: *nec quo convivia migrent* disceptabatur, sed petebatur illico casa illa proxima: aut latet obscurius mendum. Non possis melius emendare, quam hoc modo: *nec quo convivia migrent Quærimus:* nisi obsistat idem 'quærendi' verbum mox subditum. Potest tamen et vulgata scriptura defendi.' *Barth.* 'Adversativa particula *sed* in sequenti sententiæ membro, *instantes sed proxima quærere nimbi Suadebant*, necessario denotat aliquam oppositionem inter hanc et priorem sententiæ partem: sic igitur construendus est locus, voce *nec* resoluta in *et non*, ut passim: *et instantes nimbi suadebant quærere non quo convivia migrent, sed proxima:* reliquis parenthesi inclusis; et ita edi curavi.' *Markl.* In Parm. et Rom. deest vox *quo*, elisa a similitudine sequentis *co.*—82 *Stabat dicta sacri* Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. 'Nullus in his sensus: lege: *Stabat dicta sacris*, i. e. rebus sacris dicata: 'dicere' pro-

NOTÆ

sed etiam vina ac pocula coronabant. Notissimus mos. Vide Theb. VIII. 226.

77 *Abripiunt famuli: nec quo*] Explicant Morellus et Behotius: nec tamen occurrebat locus, quo transferrent epulas. Sed non hic est sensus hujus loci: nam et occurrebat satis locorum, ut exponit ipse statim. Proximum verbum *abripiunt* repetendum est: *abripiunt*, nec tamen eo *abripiunt*, quo possint aut soleant convivia migrare, scilicet in sacellum vel ædiculam Herculis. Valerius Flaccus Argon. I. 'Sævit atrox Pelias, inimicaque vertice ab alto Vela videt, nec qua se ardens se effundere possit. Nil animi, nil regna juvant.' Nempe 'vela videt,' sed non ibi aut eo loco ubi possit iram in vectores erumpere. *Gronovius.*

81 *Fides reditura sereni*] Hypallage, pro *redituri sereni.*

82 *Stabat dicta sacris tenuis casa, nomine templi*] Dicit hoc templum Herculis tam humile et indignum tanto numine fuisse, ut potius casa dici mereretur, quam templum.

83 *Alciden*] Herculem.

84 *Fluctivagos nautas, scrutatoresque profundi Vix operire capax*] Supra: 'Tectumque vagis habitabile nautis.'

Vix operire capax: huc omnis turba coimus;
Huc epulæ, ditesque tori, cœtusque ministrum
Stipantur, nitidæque cohors gratissima Pollæ.
Non cepere fores, angustaque deficit ædes.
Erubuit, risitque Deus, dilectaque Pollî
Corda subit, blandisque animum complectitur ulnis:
Tune, inquit, largitor opum, qui mente profusa
Tecta Dicarcheæ pariter, juvenemque replesti
Parthenopen? nostro qui tot fastigia monti,
Tot virides lucos, tot saxa imitantia vultus,
Æraque, tot scripto viventes lumine ceras

et vix poterat tegere nautas et piscatores. Huc omnes convenimus. Huc dapes et opulenti lecti, et multitudo servorum, et turba gratissima nitidæ Pollæ comprimuntur. Limina non potuerunt hæc continere, et casa angusta deficit. Erubuit Deus, et risit, et intravit in cor Pollii, quem diligebat, eumque amplectitur blandis brachiis. Tune es, ait, qui tam largus existimaris, qui liberali animo replevisti simul ædes Dicæarchei, et renovatam Parthenopen, qui imposuisti tot tecta nostro monti, tot viridia nemora, tot statuas, quæ exprimunt vivos vultus, tot imagines æreas, tot

prium consecrationibus verbum.' *Markl.*—89 'Non video quam risus causam hic habuit Hercules; iræ potius et indignationis, quod tanto numini tam angusta esset ædes: conjicio: *Erubuit vidisse Deus*, i. e. visu.' *Idem.*—90 Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *virum complectitur.* 'Quomodo potuit *virum* complecti? non enim in propria specie apparuit Hercules; sed *corda* Pollii subiit, et menti has cogitationes infudit. Patet ex hoc versu 116. 'dixit, mentemque reliquit.' Lege: *Corda subit blandisque animum complectitur ulnis. Corda* et *animum* passim conjuncta reperies.' *Markl.*—91 *Tunc inquit* Rom. et vet. Lindenbrogii.—92 *Tecta Dicarchei* edd. vett. Vide ad II. Sylv. 2. 95. Pro *juvenemque replesti* Markl. conj. *mitemque*

NOTÆ

87 *Cohors*] Comites fœminæ. *Pollæ*] Polla uxor Pollii. Vide Surrentinum sub finem.

89 *Erubuit*] Hercules pudore suffusus est, quod tam vile haberet templum. *Deus*] Hercules.

90 *Animum* [*virum*] Pollium.

91 *Tune*] Hercules alloquitur Pollium.

92 *Tecta Dicarcheæ*] Puteolos designat. Vide Surrentinum Pollii vs. 3.

93 *Parthenopen*] Neapolim intelligit, quæ et Parthenope dicta. Vide Ep. Stellæ vs. 261. *Juvenem* vero dicit alludendo ad nomen Neapolis, seu novæ urbis. Ceterum, ut hic et alibi videmus, variis et magnificis ædificiis has urbes exornaverat Pollius. *Nostro qui tot fastigia monti*] Intelligit Surrentinum, quod hic breviter describit. Herculis Surrentini descriptio conferenda cum Surrentino, ut hæc melius intelligantur; nam mutuas sibi præstant operas Hercules Surrentinus et Surrentinum.

94 *Tot saxa imitantia vultus*] Intelligit imagines ac statuas marmoreas. Virgil. Æneid. VI. 'Et vivos ducent e marmore vultus.'

Fixisti? quid enim ista domus, quid terra, priusquam
Te gauderet, erant? longo tu tramite nudos
Texisti scopulos, fueratque ubi semita tantum,
Nunc ibi distinctis stat porticus alta columnis,
Ne sorderet iter: curvi tu littoris ora
Clausisti calidas gemina testudine nymphas.
Vix opera enumerem: mihi pauper, et indigus uni
Pollius? et tales hilaris tamen intro penates,
Et littus, quod pandis, amo: sed proxima sedem
Despicit, et tacite ridet mea numina Juno.

tabellas spirantes colorum luce? Quid enim hæc domus, quid terra erat, antequam te frueretur domino. Tu duxisti longum tramitem super asperos scopulos; et ubi tantum callis fuerat, nunc ibi erigitur porticus excelsa columnis a se invicem distantibus, ne iter displiceret. Tu inclusisti in margine curvi littoris calidas aquas duplici fornice. Vix opera enumerarem. Pollius inops est, et indigus mihi soli, et tamen lætus subeo talem domum, et frequento littus, quod ornas. Sed propinqua Juno illam contemnit, et irridet occulte meum numen. Da templum et aras dignas

replesti.—97 *Te gauderet erat* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ; *erant* Venet. 1. Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii.—99 *Nunc tibi* Barthius.—101 Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *lymphas;* Parm. et Rom. disertim habent *nymphas,* quod reposuit Gronovius. Vide ad Tiburtin. Vopisci vs. 64.—108

NOTÆ

95 *Æraque*] Id est, imagines æreas. *Lumine ceras*] Id est, luce colorum. 'Ceræ' dicuntur colorum omne genus. 'Scribere' est pingere, ut Equo Domitiani: 'Apellææ cuperent te scribere ceræ.' Lumina colorum nota sunt, unde hodie quoque usitatissimum, 'illuminare,' coloribus depingere. *Barthius.*

97 *Longo tu tramite nudos Texisti scopulos, fueratque ubi semita tantum, Nunc ibi distinctis stat porticus alta columnis*] Hoc ait, propter porticum, quam a littore per dorsum montis ad villam perduxit. Sic Surrentino Pollii: 'Inde per obliquas erepit porticus arces, Qua prius obscuro permixti pulvere soles, Et feritas inamœna viæ, nunc ire voluptas.'

100 *Curvi tu littoris ora Clausisti calidas gemina testudine nymphas*] Surrentino vs. 17. 'Gemina testndine fumant Balnea.' *Calidas nymphas*] Id est, aquas balneorum.

102 *Mihi pauper, et indigus uni*] Hercules expostulat cum Pollio, quod cum ille sit tam liberalis erga Neapolim et Puteolos, exornaveritque littus illud Surrentinum tam magnificis prætoriis, sit erga se tenax et avarus; etsi tam libenter frequentaret ædes Pollii.

104 *Sed proxima sedem Despicit, et tacite ridet mea numina Juno*] Innuit templum Junonis, quod Surrento proximum erat, ut docent Strabo et Plinius lib. III. cap. 5. qui vocat *Junonem Argivam.* Petit igitur Hercules, ut Pollius honestius templum sibi construat, ne despiceretur a noverca, quæ ædem in propinquo habebat.

Da templum, dignasque tuis conatibus aras,
Quas puppes velis nolint transire secundis :
Quo pater æthereus, mensisque accita Deorum
Turba, et ab excelso veniat soror hospita tecto.
Nec te, quod solidus contra riget umbo maligni
Montis, et immenso non unquam excisus ab ævo,
Terreat; ipse adero, et conamina tanta juvabo,
Asperaque invitæ perfringam viscera terræ.
Incipe, et Herculeis fidens hortatibus aude.
Non Amphioniæ steterint velocius arces,
Pergameusve labor: dixit, mentemque reliquit.

tua magnificentia, quas naves, etsi prospero cursu utantur, nolint tamen transire. Quo cælestis pater, et turba Cælitum vocata ad epulas, et soror etiam relinquens sublime fanum veniant. Nec te terreat, quod durum dorsum maligni montis, et nunquam erosum longa temporum serie, rigeat contra. Ipse assistam, et faveam tantis inceptis et perrumpam viscera terræ frustra resistentis. Aggredere, et fretus hortatu Herculis, aude. Arces Thebanæ et muri Trojani non citius steterint.

Heins. ad Claud. Bel. Gild. 172. mavult, *ascita*, seu *adscita*.—109 Edd. vett. omnes: *veniat soror hospita templo*. 'Præcessit, initio sententiæ, *Da templum, &c.* Credat qui vult, Statium ita scripsisse : ego non dubitavi in contextum admittere: *et ab excelso veniat soror hospita tecto*; sensu eodem, voce tantum diversa: ita supra vs. 3.' *Markl.*—110 'Pro *quod* non male legas *qui*. Pro *Nec te* etiam non male *Neu te*. Sed non opus est.' *Idem.*—111 Edd. vett. *exesus ab ævo*: lectio nostra est ex emendatione Marklandi.—115 Rom. et vet. Lindenbrogii: *velocius artis*.—116 In nonnullis vett. *montemque reliquit*;

NOTÆ

107 *Quas puppes velis nolint transire secundis*] Id ex religione, si enim nantis aliquis sacer locus offerreretur, solebant paulisper morari, ac vota nuncupare. Etenim, ut ait Apuleius initio Floridorum : 'Religiosis viantium moris est, cum aliquis lucus, aut aliquis locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, sertum apponere, paulisper assidere : neque enim justius religiosam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata.' Erant et in littoribus aræ et simulacra Deorum, quibus nautæ præternavigantes sacrificabant ac libabant.

108 *Pater æthereus*] Jupiter. *Mensisque*] Mensæ enim ponebantur in templis, et vicem ararum obtinebant, hincque sacræ erant ; quia velut in ararum ac pulvinaris loco erant. Vide Scaligerum ad Festum verbo 'Mensæ.'

109 *Et ab excelso veniat soror hospita tecto*] Intelligit templum Minervæ, seu Athenæum, de quo ad versum 2. Surrentini. *Soror*] Quia ex Jove, ut ipse Hercules, prognata.

115 *Amphioniæ arces*] Thebanæ, ab Amphione conditæ ad cantum lyræ.

116 *Pergameusve labor*] Id est, Muri Trojani ab Apolline et Neptuno constructi mira celeritate. Troja enim 'Pergamum' etiam vocata.

Nec mora, conscripta formantur imagine templa:
Innumeræ coiere manus: his cædere sylvas,
Et levare trabes: illis immergere curæ
Fundamenta solo: coquitur pars uvida terræ
Protectura hyemes, atque exclusura pruinas;
Indomitusque silex curva fornace liquescit.
Præcipuus sed enim labor est exscindere dextra
Oppositas rupes, et saxa negantia ferro.
Hic pater ipse loci, positis Tirynthius armis

Inquit, et mentem reliquit. Nec mora. Designatur ædificium in picta tabula. Innumeri opifices convenerunt. His datur amputare arbores, et dedolare trabes: illi infadiunt terræ fundamenta. Humidior terra coquitur ad efficiendas tegulas, quæ defendant ædem ab injuria hyemis et arceant pruinas, et durus silex dissolvitur in cavo fornace. Sed maxima opera est in exscindendis oppositis scopulis, et saxis, ferrum non admittentibus. Ipse etiam Tirynthius custos loci hic insudat, dimissis armis,



stulte, inquit Barthius.—117 Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. omnes exhibent: *conscripta formatur imagine tela.* Lectionem nostram ex ingenio dedit Marklandus.—119 *Et relevare trabes* Aldd. Colin. Gryph. ceteræ; *Et levare* Parm. et Rom. quod recepit Lindenbrogius.—120 Inemendati codices Domitii *invida;* unde ille *uvida.*—122 Pro *curva* Marklandus malit *vasta* e Virgil. Æn. VIII. 446.—123 Lindenbrog. Cruc. et Stephens, in ed. Cantab. *dextræ Oppositas.*—124 Parm. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Bern. *negantia ferro;* Gevart. Lindenbrog. alii ex Rom. *rigentia ferro.*—125 Gevartius primus edidit, *positis*, pro *positus*, quod est in edd.

NOTÆ

Mentemque reliquit] Homerica imitatio. Odyss. A. Τῷ δ' ἐνὶ θυμῷ Θῆκε μένος καὶ θάρσος. *Immisit menti robur et fiduciam.*

117 *Conscripta f.* [*formatur*] *imagine t.* [*tela*] Id est, imago seu forma futuri templi exprimitur in conscripta seu picta tela. Et innuitur ἰχνογραφία, id est, tenuis et prima delineatio operis seu ædificii exstruendi, in tela vel charta expressa. 'Formam' vocat Plinius lib. IX. Ep. 39. ad Mustium architectum: 'Formam autem secundum rationem loci scribas.' Vocamus Gallice, *Plan.*

118 *Manus*] Id est, turbæ artificum.

120 *Coquitur pars uvida terræ Protectura hyemes*] Ut ex ea fierent tegulæ ad arcendas hyemes. Nam ex 'terra uvida' fiunt, 'inenarrabili terræ benignitate, si quis singula æstimet,' ut ait Plinius.

122 *Liquescit*] Dum nempe coquitur in calcem.

124 *Et saxa negantia ferro*] Id est, non cedentia, inexpugnabilia ferro, et supponitur hic ἔλλειψις τοῦ 'obsequium,' vel talis. Ita plane Lucanus lib. III. 'Cornipedem exhaustum cursu stimulisque negantem Magnus agens incerta viæ vestigia turbat.' Equus 'negans stimulis,' scilicet 'obsequi.'

125 *Tirynthius*] Hercules. *Positis armis*] Id est, clava, pharetra, et arcu.

Insudat, validaque solum deforme bipenni,
Cum grave nocturna cœlum subtexitur umbra,
Ipse fodit: dites Capreæ, viridesque resultant
Taurubulæ, et terris ingens redit æquoris echo.
Non tam grande sonat motis incudibus Ætna,
Cum Brontes Steropesque ferit: nec major ab antris
Lemniacis fragor est, ubi flammeus ægida cælat
Mulciber, et castis exornat Pallada donis.
Decrescunt scopuli, et rosea sub luce reversi

et cavat forti ligone asperam terram, cum cœlum grave obscuratur nocturnis tenebris. Opulentæ Capreæ, et virides Taurubulæ resonant, et ingens echo repercutitur a mari in terram. Ætna non fortius crepat pulsatis incudibus, cum Brontes Steropesque eas percutiunt; nec major fragor a cavernis Lemniacis, ubi igneus Vulcanus sculpit Ægida, et decorat pudicam Minervam suis muneribus. Rupes minuuntur,



vett.—128 Markl. ex Tacito Ann. IV. 67. conj. *mites Capreæ*, et pro *virides*, quid aliud substitui malit.—129 *Taurubulæ* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. 'Non dubium *Thelebræ* genuinam lectionem esse.' *Barth.* Marklandus vero e Barthio citat *Teleboæ*; sed *Theleboæ* malint Lindenbrog. et Morell.—130 *Ætnæ* Parm. et Rom. unde Marklandus conj. *Ætne*, terminatione Græca.—

NOTÆ

127 *Cum grave nocturna cœlum subtexitur umbra*] Dii enim non nisi nocte in terram descendebant.

128 *Dites Capreæ*] Capreæ, insula prope Surrentinum in Campania, secessu Tiberii Imperatoris notissima. *Dites*] Ob ædificia quibus a Tiberio aliisque imperatoribus exornatæ fuerant. *Viridesque resultant Taurubulæ*] Taurubulæ a Cosmographis omissæ. An legendum, *Theleboæ*. Virgilius enim Æneid. VII. de prisco rege Caprearum Œbalo: 'Quem generasse Telon Sebetide Nympha Fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret.' Tacitus Ann. IV. 'Græcos ea tenuisse, Capreasque Thelebois habitatas fama tradit.' Plautus autem populum Thebanum vocat 'Theleboas' in Amphitryone. An forte, *Taurubulæ, νησίδιον* hujus tractus ignobile, ut Nesis et Euplœa, quorum nomina vix alibi extant.

129 *Echo*] Echo sonum reciprocum significat. A Physicis oriri dicitur in locis concavis, et vallium sinubus, qui vocem remittunt. Poëtæ Aëris et Linguæ filiam, Musarum comitem faciunt.

130 *Ætna*] Ætna mons Siciliæ, in cujus antris Vulcanus officinam habere creditur.

131 *Brontes Steropesque*] Steropes et Brontes ministri Vulcani. Vide Equo Domitiani vs. 5. *Nec major ab antris Lemniacis*] In Lemno insula etiam officina Vulcani ponitur.

132 *Ægida*] Alii loricam, alii clypeum Minervæ interpretantur.

133 *Mulciber*] Vulcanus. *Castis donis*] Ut virginem decet.

134 *Rosea sub luce*] Quia locus, ubi oritur sol, solet rubere.

Artifices mirantur opus: vix annus anhelat
Alter, et ingenti dives Tirynthius arce
Despectat fluctus, et junctæ tecta novercæ
Provocat, et dignis invitat Pallada templis.
Jam placidæ dant signa tubæ, jam fortibus ardens
Fumat arena sacris: hos nec Pisæus honores

et operæ redeuntes sub purpuream auroram stupent hesternum opus. Vix altero anno laboratur, et magnificus Tirynthius speculatur ex magno templo undas maris, et lacessit fana vicinæ novercæ, et advocat Minervam in digniorem ædem. Jam benignæ buccinæ sonant, jam flagrans arena fumat sudore fortium athletarum.

135 Parm. *vix annus anhelans.*—136 Parm. *dives Tirynthius arte.* Barthius scribit: *vix annus anhelat, Alter et i. dives, Tirynthius, arce Despectat, &c.* i. e. alius et dives.—137 Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii, *et victæ.*—138 Vet. Lindenbrogii: *invitas Pallada templis.*—139 Justus Lipsius Saturnal. Serm. II. 14. pro *fortibus* legit *sortibus*, assentientibus Bernartio et Emerico Cruceo, improbantibus Barthio et Gronovio. Parmensis habet: *jam frontibus ardens;* unde Markl. legendum conj. *Jam placidæ dant signa tubæ, jam insontibus ardens Fumat arena sacris:* ut supra ‘ insontes juvenum sine cæstibus iræ,’ vel

NOTÆ

135 *Vix annus anhelat*] Designat æstatem secundi anni, quo tempore anhelamus æstu.

136 *Tirynthius*] Hercules.

137 *Despectat fluctus*] Surrentino: ‘ Gaudet gemino sub numine portus.’ Neptunus enim hic etiam templum habebat, ut vidimus in Surrentino. *Junctæ tecta novercæ Provocat*] Intelligit templum Junonis Acrææ, de quo supra. *Provocat*] In certamen scilicet.

138 *Et dignis invitat Pallada templis*] Vide supra vs. 109.

139 *Jam placidæ dant signa tubæ*] Id ex more, quo ludi sive sacri sive scenici non committebantur, nisi prius signo tuba dato. Plinius lib. II. Ep. ‘ Qui nunquam tubarum sonum, nisi in spectaculis audierunt.’ Virgilius: ‘ At tuba commissos medio canit aggere ludos.’ Vide Lipsium Saturn. II.

Placidæ] Ad differentiam trucis classici, quo milites ad pugnam excitantur. *Fortibus ardens Fumat arena sacris*] Lipsius aliique eum secuti legunt, *sortibus;* quia in certaminibus sors usurpata. Male: non enim sortes satis bene sacræ dicerentur. Sed Statius per *fortia sacra*, intelligit certamina hæc palæstrica, quæ in honorem Herculis exercebantur: quod dici potest de omnibus virilibus ludis, ut decursibus equestribus, &c. Contra ‘ mollia sacra ’ sunt thiasi, epulæ, ludi florales, pervigilia Veneris. Et sic ‘ crudelia sacra ’ quæ fiebant Dianæ Tauricæ, Latiari Jovi, Cœlesti Carthaginiensi. Lucanus in Massiliensium luco: ‘ Structæque sacris feralibus aræ.’ Hæc sacra, ‘ fortes palæstras ’ vocat Manilius: ‘ Perque coloratas subtilis Græcia gentes Gymnasium præfert vultu, fortesque palæstras.’ *Fumat arena*] Tollitur enim instar fumi pedibus certantium agitata: vel fumat rivis calidis sudoris in eam fluentibus Theb. I. ‘ Crudisque virum sudoribus ardet Pulvis.’ *Sacris*] Quia hæc sacra partem religionis continebant.

Jupiter, aut Cyrrhæ pater aspernetur opacæ.
Nil his triste locis: cedat lacrymabilis Isthmos,
Cedat atrox Nemee: litat hic felicior infans.
Ipsæ pumiceis virides Nereides antris
Exsiliunt ultro, et scopulis uventibus hærent;
Nec pudet occulte nudas spectare palæstras.
Spectat et Icario nemorosus palmite Gaurus,
Sylvaque, quæ cinctam pelago Nesida coronat;

Jupiter Pisæ, et pater umbrosæ Cyrrhæ non dedignarentur hæc solennia. Nihil mæstum est in his locis. Cedat tristis Isthmos. Cedat dira Nemee: fortunatior puer hic sacrificat. Ipsæ cæruleæ Nereides linquunt pumiceas speluncas, et adhærent humidis cautibus; nec erubescunt clam videre nudos athletas. Et Gaurus, abundans vite Icaria, spectat, et nemus, quod cingit Nesida adhærentem pelago;

'cædibus.'—144 *Ipsa puniceis* Rom. et vet. Lindenbrogii: scriptum erat *pūiceis*.—145 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *et scopulis humentibus hærent;* Venett. Parm. Rom. vet. Lindenbrogii et codex Florentinus, *viventibus;* unde Gronovius Diatr. cap. 23. fecit, *uventibus*, i. e. βρεχομένοις. Significatio utriusque verbi eadem; licet aliquam differentiam statuat Salmasius Epist. 85. Vide Drakenb. ad Sil. Ital. IX. 30.—148 *Sylvaque quæ fixam* edd. vett. 'Non placet vox *fixam;* et Latinitatem desidero; nisi dicas *fixam pelago* esse affixam: quo facto, sensum desidero; insula enim non affigitur

NOTÆ

140 *Pisæus Jupiter*] Id est, Olympicus, cui ludi apud Pisas sacri. *Honores*] Hæc certamina vocat *honores*, quia in honorem alicujus sive Dei sive Herois instituebantur. Theb. VI. 'Primus Pisæa per arva Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem.'

141 *Cyrrhæ pater*] Apollo, cujus apud Cyrrham erat celebre oraculum, cuique ludi Pythici sacri.

142 *Lacrymabilis Isthmos*] Intelligit ludos in Isthmo solitos celebrari in honorem Palæmonis, cuique sacra ibi fiebant cum magnis planctibus ac ejulatibus. Vide Theb. VI. initio.

143 *Atrox Nemee*] Apud Nemeam ludi instituti sunt in honorem Archemori, qui infans periit. *Atrox*] Ob serpentem qui hunc Archemorum occidit. *Felicior infans*] Puer enim erat sacerdos Herculis Surrentini, ut vidimus supra. *Felicior*] Quia hic puer sacris præsidet; illic infanti mortuo seu Palæmoni, seu Archemoro parentatur.

144 *Nereides*] Nymphæ maris, Nerei filiæ. *Pumiceis antris*] Quia Nereides habitant pumiceas speluncas in fundo maris.

146 *Nec pudet occulte nudas spectare palæstras*] Hoc dicit, quia interdictæ erant fœminis palæstræ, ob nuditatem certantium, ut jam alibi diximus. Theb. I. 'Exclusæque expectant præmia matres.'

147 *Gaurus*] Intelligit Gauranos colles Surrentinis proximos in Campania, vitibus nobiles. Vide Notas ad vs. 5. Surrentini. *Icario palmite*] Id est, vite, Icaria dicta ab Icaro Bacchi comite, cui Bacchus demonstrasse dicitur usum vini propter pietatem et justitiam singularem.

Et placidus Limon, omenque Euplœa carinis,
Et Lucrina Venus; Phrygioque e vertice Graias
Asciscis, Misene, tubas: ridetque benigna
Parthenope gentile sacrum, nudosque virorum
Certatus, et parva suæ simulacra coronæ.
Quin age, et ipse libens proprii certaminis actus
Invicta dignare manu: seu nubila disco
Findere, seu volucres Zephyros prævertere telo,

et lenis Limon, Euplœa felix omen navigantibus cernunt; et tu, Phryx Misene, addiscis e tuo jugo buccina canere Græco more. Et bona Parthenope ridet gentilitium sacrum, ac nudorum hominum certamina, et levem imaginem suorum præmiorum. Quin age, et ipse libens honora invicta manu ludos tibi consecratos. Seu tibi gratum est, nubes disco scindere, seu sagitta prævertere celeres ventos, seu

pelago, sed solo. Conjicio: *Sylvaque quæ cinctam pelago, &c.* Haurio hanc conjecturam ex Surrent. Pollii vs. 78. ubi hic locus dicitur 'pelago circumflua Nesis;' i. e. cincta pelago; ut innuatur insulam esse τὴν *Nesida.* Scriptum erat *cictum.*' Markl. *Neseida* Rom. et vet. Lindenbrogii. *Nesida coronæ* Lindenbrog. in Var. Lect. sine dubio, ex errore typographico.—149 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. *numenque Euplea*, vel *Euplæa;* Parm. *Limo numenque;* Rom. *Limen numenque.* Lectio nostra est ex emendatione Marklandi.—151 *Addiscis* edd. vett. *Adscises* Parm. unde lectionem nostram eruit Marklandus, qui etiam conj. *Agnoscis.*—152 Pro *gentile*, Parmensis exhibet *genitale.*—156 *Fingere* Bern. aliique, improbante Barthio; *Fidere* Rom. i. e. *Fidere,*

NOTÆ

148 *Nesida*] Surrentino: 'Pelago circumflua Nesis.'

149 *Limon*] Prædium Pollii. Ibid. vs. 82. *Euplœa*] Ibid. vs. 79.

150 *Lucrina Venus*] Intelligit Lucrinum Lacum in Campania prope Surrentum, prope quem Venus habebat templum: hinc *Lucrina* dicta. *Phrygioque e vertice Graias Asciscis,* [*Addiscis*] *Misene, tubas*] Per *Phrygium verticem* intelligit Promontorium Miseni etiam proximum, vocatum a Miseno Phrygio qui ibi sepultus est. Vide Surrentinum vs. 77. Dicitur *discere Graias tubas*, quia Misenus tubicen erat Æneæ, et Phrygiæ tubæ modos tantum noverat, nunc discit *Graias*, quia hi ludi erant ad instar Neapolitanorum; Neapolis autem urbs Græca.

152 *Parthenope*] Neapolis. *Gentile sacrum*] Quia hi ludi a Pollio instituti Surrenti, et ludi Neapolitani idem nomen habebant, et vocabantur 'Parthenopæa,' ut ait Paschalius de Coronis lib. VI. 'Gentiles' autem dicti, qui eodem nomine insigniuntur, ut docet Festus. *Nudosque virorum Certatus*] Nudi enim certabant.

153 *Coronæ*] Quia victores in ludis coronabantur, ut diximus initio Theb. VI.

154 *Proprii certaminis*] Id est, certaminis in honorem tuum instituti.

155 *Invicta manu*] Non solum, quia a nullo, sive monstro sive homine, superatus est Hercules; sed quia in ejusmodi ludis victor extitit in omni genere certaminum. *Disco*] De disco, vide Theb. VI. 646. et sequentibus, et Æneid. V.

156 *Seu volucres Zephyros prævertere*

Seu tibi dulce manu liquidas nodare palæstras,
Indulge his sacris: et si tibi poma supersunt
Hesperidum, gremio venerabilis ingere Pollæ;
Nam capit, et tantum non degener ambit honorem.
Quod si dulce decus viridesque resumeret annos,

implicare brachia ad luctandum more Libyco, fave his sacris, et si aliqua poma Hesperidum tibi restant, injice ea in sinum reverendæ Pollæ: nam capit, et haud indigna ambit tantam gloriam. Quod si illa resumeret pristinum decorem, et flo-

vel *Findere*, ut in Parm. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Gevart. —157 Certissima emendatio Gronovii pro *nudare* legentis *nodare*, Diatr. cap. 24. et ita postea invenit in Venet. 2. et membranis Salisb. Pro *Libycas*, quod exhibent omnes edd. cum scriptis, Marklandus edidit *liquidas*.—158 *Indulge sacris* Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Indulge in sacris* in nonnullis vett. 'Voculam *in* male intrusam, quantum potes ejice.' *Barth. Indulge his sacris* Rom. ut conj. Lindenbrogius.—160 Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. &c. *non dedignatur honorem*; Politianus Epist. VI. 1. monuit se restituisse verbum *degenerarit* in suum locum, in quem subierat *dedignatur*; proculdubio ex manuscripto, inquit Gronovius, Diatr. cap. 26. Parm. et codex Florent. *degenerabit*. Hinc Gronovius *degener ābit*, vel *ambit*. Vide

NOTÆ

telo] Certabant enim etiam utri longius jacularentur tela, aut melius scopum attingerent. Vide Theb. VI. 925. et seq. et Virgil. Æn. V.

157 *Liquidas* [*Libycas*] *nodare palæstras*] Tangit Fabulam, qua Antæus Africanus lucta dicitur ab Hercule victus et occisus. Vide Theb. VI. 890. et seq. *Nodare*] Nam 'nodare,' et 'nodus' propria luctæ verba. Virgilius: 'Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem Corripit in nodum complexus.' Lucanus lib. IV. 'Herculeosque novo laxavit corpore nodos.' Eadem in re Statius 'catenatas palæstras' dixit Epic. in Glauciam: 'Catenatis curvatus membra palæstris.' Etiam et 'nexus' et 'vincula,' et 'implicare,' et 'ligare' in eadem re dicunt Latini, συμπλοκὰς et συμπλέκειν Græci.

158 *Poma*] Poma enim amoribus dicata. Virgilius: 'Malo me Galatea petit.' Theocritus: Ἦνι δέ τοι δέκα μᾶλα φέρω. *Ecce autem decem poma tibi affero.* Philostratus in amoribus: Μῆλα μὲν ἔρωτες τρυγῶσι. *Amores carpunt mala.* Malum enim Veneri sacrum. Scholiastes Aristophanis: Μηλοβολεῖν ἔλεγον τὸ εἰς ἀφροδίσια δελεάζειν· ἐπεὶ καὶ τὸ μῆλον Ἀφροδίτης ἱερόν ἐστιν. *Malis petere, est ad amoris commercia allicere, malum enim est Veneri sacrum.*

159 *Hesperidum*] Hesperides Atlantis filiæ, ab Hespero fratre sic dictæ, habebant hortum nemore aurifero pretiosum, a serpente pervigili custoditum, quem Hercules interfecit, pomaque aurea ad Eurystheum tulit.

160 *Nam capit, et tantum non degener ambit* [*degenerabit*] *honorem*] Legendum ex Msc. Florentino; *non degener ambit*, hoc modo: *Nam capit, et tantum non degener ambit honorem.* Optimo sensu. Id est, nam capit, et non indigna in votis habet recipere tantum honorem.

(Da veniam, Alcide,) fors huic et pensa tulisses.
Hæc ego nascentes lætum bacchatus ad aras
Libamenta tuli: nunc ipsum in limine cerno
Solventem voces, et talia dicta ferentem:
Macte animis opibusque, meos imitate labores,
Qui rigidas rupes, infœcundæque pudenda
Naturæ deserta domas, et vertis in usum
Lustra habitata feris, fœdeque latentia profers
Numina: quæ tibi nunc meritorum præmia solvam?
Quas referam grates? Parcarum fila tenebo,
Extendamque colus: duram scio vincere mortem:
Avertam luctus, et tristia damna vetabo,

rentes annos, ignosce mihi, Alcide, forsitan in gratiam ejus, gessisses colum. Ego, exultans ad novas aras, lætus obtuli hæc dona. Nunc video ipsum Herculem in foribus emittentem voces, et proferentem hæc verba: Macte animo et opibus, qui æmularis meos labores, qui subigis duros scopulos et infamia deserta sterilis naturæ, et incolenda reddis hominibus loca a bestiis habitata, et profers in lucem Deos turpiter abditos. Quam tibi rependam mercedem benefactorum? Quas habeam gratias? Retinebo stamina Parcarum, et prolongabo fila tuæ vitæ. Scio superare rigidum letum. Detorquebo a te luctus, et prohibebo mæstas clades, et cum inoffensus diu

N. Heins. ad Ovid. Epist. Pont. p. 388.—162 'Alii *sors huic.*' Lindenbrog. —163 Edd. vett. *lætus.* 'Quem non offendit sibilus tot syllabarum in *s* exeuntium, necesse est duras aures habeat. Hoc modo emollias versum: *Hæc ego nascentes lætum,* &c. Jam nihil est de quo queraris.' *Markl.* Sed ita jam correxerat Barthius.—164. 165 Hos versus ita citat N. Heins. ad Sil. Ital. VIII. 266. *nunc ipso in limine cerno Solventem curas, et talia dicta verentem.*—171 Idem vir doctus in Not. ad Eleg. in Mort. Drusi vs. 144. dubitat annon legi debeat, *fila renebo,* pro *tenebo.* 'Non opus est.' *Markl.* —172 *Extendamque colos* Ald. 2. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. &c.

NOTÆ

162 *Alcide*] Hercules. *Fors huic et pensa tulisses*] *Huic,* id est, in gratiam hujus, ut fecisti in gratiam Omphales Lydiæ reginæ.

163 *Nascentes aras*] Ut 'nascentia templa' supra.

164 *Ipsum*] Herculem.

166 *Meos labores*] Labores Herculis omnibus noti. *Meos imitate labores*] Hoc dicit in gratiam Pollii, ob structa ab illo tot ædificia. Sic supra: 'Da templum, dignasque tuis conatibus aras.'

167 *Pudenda*] Pudori enim est Naturæ, cum terra deserta et infœcunda est.

169 *Fœdeque latentia numina*] Id est, qui latebant in pauperibus et indignis templis, nec audebant se ostendere, ut antea ego.

172 *Extendamque colus*] Id est, vitam tuam extendam. *Duram scio vincere mortem*] Ut fecit, cum Alcestin restituit in vitam, et reddidit Admeto conjugi.

Teque nihil læsum viridi renovabo senecta;
Concedamque diu juvenes spectare nepotes:
Donec et hic sponsæ maturus, et illa marito;
Rursus et ex illis soboles nova, grexque protervus
Nunc humeris irreptet avi, nunc agmine blando
Certatim placidæ concurrat ad oscula Pollæ.
Nam templis nunquam statuetur terminus ævi,
Dum me flammigeri portabit machina cœli.
Nec mihi plus Nemee, priscumve habitabitur Argos,
Nec Tiburna domus, solisve cubilia Gades.
Sic ait, et tangens surgentem altaribus ignem,
Populeaque movens albentia tempora sylva,
Et Styga et ætherei juravit fulmina patris.

vixeris, te vegeta senectute renovabo, et tibi indulgebo diu videre juvenes tuos nepotes, donec ille capiat uxorem, et hæc virum, et ex illis nova progenies rursus tibi nascatur, et turba puerorum nunc procaciter irrepat collo avi, nunc blando agmine prosiliat certatim ad oscula lenis Pollæ. Hoc enim templum semper durabit, dum stellatum cœlum me feret. Nec Nemee, aut vetus Argos, aut ædes Tyburis, et Gades, ubi sol occidit, magis a me incolentur. Sic, inquit, et contrectans flammam in aris surgentem, et quatiens sua tempora candida fronde populi, juravit per Styga et per fulmina cœlestis Jovis.

Extendamque colus Parm. Rom. Ald. 1. et Roth. an. 1613.—182 Edd. vett. *priscumque habitabitur Argos;* vet. Lindenbrogii, *agros*, pro *Argos*. Marklandus correxit *priscumve*.—183 Parm. *solisve cunabula Gades*.—184 Tres ultimi versus hujus Carminis editioni Romanæ desunt, incuria forsan typothetæ; nam in commentario eos agnoscit Domitius.

NOTÆ

174 *Nihil læsum*] Nec annis, nec fortuna scilicet.

176 *Hic*] Nepos scilicet Pollii, quem avus constituerat sacerdotem hujusce templi Herculis, ut vidimus supra. *Illa*] Neptis ejusdem Pollii ex filia Pollia, nupta Julio Menecrati.

180 *Templis*] Quæ mihi erexisti.

182 *Plus Nemee*] Nam in Nemea religiosissime Hercules colebatur, in eaque leonem Nemæum occiderat. *Argos*] Argis enim nutritus, vel etiam natus erat Hercules.

183 *Tiburna domus*] Hercules enim habebat Tibure templum magnificum. Vide Tiburtinum Manlii. *Solisve cubilia Gades*] Gades, duæ insulæ in freto Gaditano, ut jam diximus, in quarum una templum Herculi Tyrii condidere. Vocantur autem Gades *solis cubilia*, cum illic occidere, ac lucem terminare veteribus creditum sit.

185 *Populea sylva*] Populus enim alba Herculi sacra erat, et olim ea coronati sacra ejus celebrabant. *Albentia tempora*] Lib. I. 'Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis.'

186 *Et Styga et ætherei juravit fulmina patris*] Nihil enim sanctius habebat, per quod juraret Hercules, quam Styga, et fulmen Jovis.

II. PROPEMPTICON † METIO ‡ CELERI.

Metium Celerem jucundissimum amicum in Syriam ad regendam legionem proficiscentem precibus et votis prosequitur.

Di, quibus audaces amor est servare carinas,
Sævaque ventosi mulcere pericula ponti,
Sternite molle fretum, placidumque advertite votis
Concilium, et lenis non obstrepat unda precanti.
Grande tuo rarumque damus, Neptune, profundo
Depositum: juvenis dubiæ committitur alno
Metius, atque animæ partem super æquora nostræ
Majorem transferre parat: proferte benigna

Numina, quibus curæ est, tueri temerarias naves, et pacare crudelia discrimina ventosi pelagi, complanate fluidum mare, et vester cœtus applicet benignas aures votis meis, ac placida aqua non infremat, dum vos rogo. Tradimus, Neptune, magnum, ac rarum depositum tuo mari. Juvenis Metius committitur incerto ponto, et statuit transvehere secum super maria meliorem partem nostræ animæ. Œbulii



Propempticon Metio Celeri Rhod. et Salisb. et ita editio Parm. nisi quod pro *Celeri* habet *Celere.* Ceteræ edd. exhibent: *Propempticon Metii Celeris.* Pro *Metio* nonnulli malint *Mettio.*—6 Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *dubio committitur alto ;* Joan. Isacius Pontanus legit *alveo ;* alii *alno.* Lectio nostra

NOTÆ

† *Propempticon*] Quasi carmen comitatorium si licet dicere. Προπέμπειν enim Græcis *comitari* dicitur.

‡ *Metio*] Legimus apud historicos nomina Metii Tusculanorum ducis, et Metii Curtii Sabinorum ducis, et Metii Suffetii Albanorum ducis, unde apparet gentem Metiam fuisse et vetustissimam, et nobilissimam. Fuit et Metius Carus delator insignis tempore Plinii junioris nostrique Poëtæ, ut patet ex Ep. Plinii ad Voconium.

1 *Amor est servare*] Atticismus, pro servandi. *Audaces carinas*] Quia multa pericula in mari subeunda sunt.

3 *Votis*] Subintellige meis.

4 *Et lenis non obstrepat unda precanti*] Εὐφημίαν postulat Poëta, petitque, ut aqua non obstrepat illi vota nuncupanti pro amico navigaturo, avertitque hoc modo omen: summa enim cura adhibebatur, ut ne quid, aut ne mala vox obstreperet orantibus.

5 *Neptune*] Neptunus Deus maris.

6 *Depositum*] Sic D. Joannes Hist. Eccl. lib. III. cap. 23. repetens ab episcopo adolescentem quendam, quem ejus fidei commiserat hæc ait: Ἄγε δὴ, ὦ ἐπίσκοπε, τὴν παρακαταθήκην ἀπόδος ἡμῖν. *Eia, episcope, redde nobis depositum.*

7 *Animæ partem*] Quia magis vivimus in amicis nostris, quam in nobismet ipsis, et Pythagoricum hoc *σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία, corpora quidem duo, animus autem unus.*

Sidera, et antennæ gemino considite cornu,
Œbalii fratres: vobis pontusque polusque
Luceat: Iliacæ longe nimbosa sororis
Astra fugate, precor, totoque excludite cœlo.
Vos quoque cœruleum, divæ Nereides, agmen,
Quis honor, et regni cessit fortuna secundi,
(Dicere quas magni fas sit mihi sidera ponti,)
Surgite de vitreis spumosæ Doridos antris,

fratres faventes producite stellas vestras, et insidite duobus cornibus antennæ: mare ac cœlum per vos splendeant. Procul, oro, repellite pluviosum sidus germanæ Iliacæ vestræ, et arcete illud a toto cœlo. Vos quoque, divæ Nereides, cærulea cohors, quibus gloria, et fortuna secundi imperii obtigit (quas liceat mihi appellare astra ingentis pelagi), emergite ex pellucidis specubus spumosæ Doridos; et cir-

debetur Marklando.—9 Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *gemino consistite cornu;* Parm. *considite;* Rom. *consite.*—10 Parm. et Rom. *pontusque polusque serenus;* vet. Lindenbrogii, *fiat pontusque serenus;* Venet. 1. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. *vobis pontusque polusque.*—15 *Dicere quæ* edd. vett.

NOTÆ

9 *Antennæ gemino considite cornu, Œbalii fratres*] Vide quæ diximus ad Theb. v. 792. de duabus stellis, quæ quandoque apparent in magna tempestate versantibus, ac velis insidunt; has enim veteres credebant esse Pollucem et Castorem, (quos hic Poëta vocat *Œbalios fratres*, quia Lacones erant, et *Œbalii* dicebantur ab Œbalia regione Laconiæ,) numina navigantium, et adjuvari se tunc periclitantes existimabant eorum numine, ac tempestatem mox sedandam; sed cum una tantum videbatur, tunc sibi pereundum esse credebant, hæcque 'Helena' dicebatur, ut Noster dicit Theb. VII. 791. 'Non aliter cæco nocturni turbine Cori Stat peritura ratis, cum jam damnata sororis Igne, Therapnæi fugerunt carbasa fratres.' Igitur Papinius invocat Castorem ac Pollucem, stellas salutares Metio navigaturo, et orat, ut longe arceant Helenen stellam infaustissimam. Porro antenna lignum est per transversum in malo positum, in quo velum alligatur: quod invenisse, ut et malum, Dædalum Plinius tradit.

10 *Vobis pontusque polusque Luceat*] Hoc dicit, quia Pollux et Castor habebant stellas in capitibus: unde supra dixit 'proferte benigna Sidera.'

11 *Iliacæ sororis*] Helenæ, quæ *Iliaca* dicitur, vel quod causa fuit Ilii seu Trojæ excidii, vel quod nupserit Paridi Iliaco, seu Trojano.

12 *Astra fugate*] Vide supra vs. 9.

13 *Nereides*] Nymphæ maris, Nerei et Doridos filiæ. *Cæruleum agmen*] Quia cœruleus color proprius aquæ.

14 *Regni secundi*] Id est, maris. Nam in divisione orbis facta inter Jovem, Neptunum, et Plutonem filios Saturni, imperium maris, quæ erat successionis paternæ pars secunda, obtigit Neptuno, Diisque marinis.

15 *Sidera ponti*] Ut enim cœlum diversis stellis conspergitur, sic mare diversis Nereidibus, tanquam stellis et astris.

Baianosque sinus, et fœta tepentibus undis
Littora tranquillo certatim ambite natatu,
Quærentes ubi celsa ratis, quam scandere gaudet
Nobilis Ausoniæ Celer armipotentis alumnus.
Nec quærenda diu: modo nam trans æquora terris
Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum:
Prima salutavit Capreas, et margine dextro

cumdate, cum æmulatione, placido natatu sinum Baianum, et ripas plenas calidis aquis, scrutantes, ubi alta navis est, quam illustris alumnus bellicosæ Italiæ exultat conscendere. Nec diu indaganda est: prima enim nuper invexit trans maria annonam Ægyptiam, qua erat onerata, in terras Dicæarchæas: prima salutavit

mutavit Marklandus.—19 In iisdem *qua scandere gaudet.* 'Lege: *quam scandere gaudet.* Miror quomodo doctissimis illud vulgatum placere potuerit, quod omnes, quæ apud nos sunt, editiones occupat, etiam Aldinam.' *Barth.*—24

NOTÆ

16 *Doridos antris*] Doris uxor Nerei, et mater Nereidum. *Antris*] Nereides enim profundum maris tenent, in speluncis habitantes apud patrem Nereum, et matrem Dorida. Homerus Il. Σ. Αἳ κατὰ βένθος ἁλὸς Νηρηΐδες ἦσαν. *Quæ erant in profundo maris.* Dicitur *spumosa*, quia mare, ventis agitatum, spumas emittit.

17 *Baianosque sinus, et fœta tepentibus undis Littora*] Designat Baianum sinum, aquasque calidas intra Misenum, et Puteolos, in Campania.

20 *Ausoniæ*] Id est, Italiæ, quæ antiquitus 'Ausonia' vocata. *Armipotentis*] Dicitur 'armipotens' Italia ob rationem omnibus notam. *Celer*] Metius Celer.

21 *Trans æquora*] Ab Ægypto usque. *Terris Dicarcheis*] Id est, Puteolanis. Vide Surrentinum Pollii vs. 3. Solitas autem naves Alexandrinas uti Puteolano portu, testis est Cicero pro Rabirio Posthumo, Philo contra Flaccum, et Lucas in Actis cap. 28. Prærogativa vero illius classis erat, ut sola portum intraret cum supparo: aliæ naves cum intraverant Capreas, ac Minervæ Promontorium, velo jubebantur esse contentæ. Supparum Alexandrinarum erat insigne.

22 *Prima*] Hæc est classis Alexandrina, cujus tot locis fit mentio, dicta Martiali cataplus. *Pharium*] Id est, Ægyptium, a Pharo quondam insula prope Alexandriam, nunc terræ juncta. *Annum*] Annus hic pro annona sumitur. Papinius Thebaid. v. 710. 'Magnumque inducat messibus annum.' Claud. de Bello Gildonico: 'Pensabam Pharium Getulis messibus annum.' *Pharius* ergo *annus* est annona ex Ægypto advecta. Ægyptus enim certum numerum frumenti quotannis pendere tenebatur, idque tributi nomine, egenæ plebi Romanæ dividendum, ex quo in formam provinciæ redacta fuit ab Augusto. Vocabatur et commeatus Alexandrinus, Græcis πορευτικὸς στόλος. Unde in Codice 'Stolus Alexandrinus.' Vide Plinium in Panegyrico, et Lipsium Elect. lib. I. ubi etiam adducit hunc versum Papinii.

23 *Capreas*] Vide supra Hercule Surrentino vs. 128. Erat insula prope Neapolim. *Et margine dextro*] Bene

Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.
Hujus utrumque latus molli præcingite gyro;
Partitæque vices, vos stupea tendite mali
Vincula, vos summis annectite suppara velis,

Capreas, et ad oram dextram fudit Mareotica vina in honorem Minervæ Tyrrhenæ. Circumdate tenero orbe utraque hujus navis latera, et dividite munia. Vos extendite stupeos nexus mali, vos alligate suppara supremis velis: vos pandite vela Fa-



Dici non potest quanta vecordia ex *Minerva* hic *Murenam* fecerint quidam, parum curiosi inspiciendorum auctorum, modo aliena fide eorum scripta citare possint. Vide, si risui commodus es, Ludovici de la Cerda Advers. cap. 109.' *Idem.*—25 Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *percingite;* Gevart. et recentt. *præcingite.*—26 *Et partite vices* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Partitæque vices* Gronovius et Barth. pro quo Parm. habet *Partiteque vices.*—27 Alii legunt *sipara.* Vide Barth. ad h. l. et Jos. Scal. ad

NOTÆ

dextro. Italia enim ad dextram est venientibus ex Ægypto.

24 *Sparsit*] Innuit morem, quo nautæ libabant Diis, quorum simulacra ac templa passim erant in littoribus posita, ob felicem cursum. Vide Herculem Surrentinum vs. 107. *Tyrrhenæ Minervæ*] Cujus templum erat ad Surrentinum, ut diximus Surrentino Pollii, et Hercule Surrentino. *Tyrrhenæ*] Quia hanc Campaniæ oram Tyrrheni olim tenuerunt. *Mareotica vina*] De vini Mareotici bonitate consule Strabonem: ad multam vetustatem perdurabat; nomen sumsit a Mareotide, seu Mareæ lacu, juxta Alexandriam, quam a meridie alluit, quem multis fossis auget Nilus. Portus, qui in eo, erat longe aliis nobilior ob mercium copiam, quæ illac importabantur, et exportabantur ex Alexandria. Est et Mareotis regio Libyæ inter Cyrenaicam, et Ægyptum, quæ alio nomine 'Marmarica' Ptolemæo dicitur. Vide Plinium lib. v. cap. 6. Est præterea Mareotis regio Epiri, in qua vinum optimum nascebatur: unde et 'Mareotides uvæ,' et 'Mareoticæ vites.'

26 *Stupea Vincula*] Stupea vincula sunt rudentes, funesque, qui circa malum tenduntur, et quibus firmus tenetur, ex stupa confecti.

27 *Suppara*] Turnebus scribit Advers. lib. XXI. cap. 4. suppara non tam vela esse, quam velorum supplementa, et summæ partes, quæ supra ipsa vela, et antennam expandebantur, quod, ut credit, sursum parentur. Lucanus lib. v. 'Summaque pandens Suppara velorum perituras colligit auras.' Et hic Turnebus hunc Papinii locum citat. Apud Festum Supparum appellant dolonem, quod est velum minus in navi, ut Acation majus. Erat veli genus, ut docet Isidorus, unum pedem habens, quo juvari solent navigia in navigatione, quoties vis venti languescit, de quo Lucanus supra. Fallitur Casaubonus, cum dicit supparum non ad usum, sed ad indicium gaudii rebus secundis nautas sustulisse. Nam ex Seneca Ep. 77. colligimus omnes naves in alto supparum habuisse. Unde natum proverbium de iis, qui desperatis rebus, tunc faciunt, quæ ante facere debuissent, βυθιζομένου τοῦ πλοίου ἐπαίρει τοὺς σιφάρους, *demergente navigio attollit suppara.* Suppa-

Vos Zephyris aperite sinus: pars transtra reponat,
Pars demittat aquis curvæ moderamina puppis.
Sint, quibus exploret rupes gravis arte molybdis,

voniis: pars reponat transtra, pars immergat in aquas gubernaculum curvæ puppis: sint, quæ explorent fundum molybdi lino ponderosa, aliæ revinciant post tergum

Varronem et Festum.—30 *Sint quibus exploret primo graris arte molorchos* codex Florent. *Sint quibus explorēt prīos gravis arte molucros* Parm. *Sint quibus exploret rupes gravis arte molorchus* Rom. et sic Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Gronov. Barth. Veen. et Delph. nisi quod pro *molorchus* exhibent *Molochus.* 'Salmasius putabat: *Sint quibus exploret plumbo gravis alta molybdis,* quod videtur nimium recedere. Sed per *Molorchum* nauticam bolidem hic existimo intelligendam, quod magistri veteres volunt.' *Scheffer.* Vide Syllog. Epist. Tom. v. p. 114. item Tom. II. p. 535. Gronovius conj. *Sint quibus exploret lino gravis alta molybdis.* Salmasius etiam in Plinian. Exercit. p. 712. hunc versum ita citat: *Sint quibus exploret rupes gravitate molybdus.* 'Pro *Molorchus* minime dubium scribi oportere *molubdis,* seu *molybdis:* μολυβδὶς, plumbeum instrumentum ad hunc usum, (sc. ad latentia saxa indaganda;) quod et βολὶς et καταπειρητὴρ, seu καταπειρητηρία vocabatur: de ceteris tacendum puto, donec ex codice aliquo aut felici conjectura liquidius aliquid effulgeat.' *Markl.* Calepinus in Lex. ed. Facciolat. sub voce

NOTÆ

rus etiam erat genus levis ac angustæ subuculæ lineæ, quo induebantur puellæ. Festus: 'Supparus, vestimentum puellarum lineum, quod et subucula vel camisia etiam dicitur.'

29 *Curvæ moderamina puppis*] Gubernaculum intelligit, quo regitur navis, et quoquoversus circumvertitur.

30 *Sint, quibus exploret rupes gravis arte molybdis* [*Molochus*] Sunt interpretes, qui per *Molochum* commenti sunt urinatorem, vel navarchum hujusce nominis peritissimum; sed hæc explicatio parum cum mente Statii convenit. Alii igitur legerunt *Molorchum:* alii *molortum,* quæ vox rectum plumbum significat, id est, plumbeum instrumentum, quo altitudo maris exploratur: Græci βολίδα vocant, qua id faciunt, linea nempe, cui plumbum in extremitate appensum: vocatur et καταπειρητὴς, aut καταπειρητὴρ, Herodoto καταπειρητηρία. Lucilius vocem Græcam usurpavit his versibus: 'Et catapirateras eodem deferat, uncum Plumbi pauxillum rodus, linique metaxam.' Instrumentum illud autem plumbeum ima parte latius est, et longissimis funibus appenditur: eoque utuntur nautæ, cum vada maris nullius auxilio instrumenti reperiri possunt, et fortiores sunt venti, aut malacia est. Cum igitur naves sistere volunt, imam partem plumbi sebo vel adipe illinunt, et demittunt plumbum funibus alligatum quo usque fundum attigerit, cujus tactum facile sentiunt: si arena adhæserit sebo vel adipi, non dubitant anchoras jacere, si nihil adhæserit, conjiciunt illic limum subesse, aut rupes, quæ anchoræ morsum non admittunt, proinde ulterius pergunt. *Rupes*] Hæc vox suspecta Salmasio in Epistola, quam scripsit ad Gronovium, ut adhunc locum refert ipse Gronovius, non enim, ut ait Salmasius, explorantur rupes, sed fundus maris, et ipsius altitudo. At cum subsunt rupes, magno in discrimine versatur navis, et serum est tunc ex-

Quæque secuturam religent post terga phaselon,
Uncaque submersæ penitus retinacula vellant.
Temperet hæc æstus, pelagusque inclinet ad ortus:
Officio careat glaucarum nulla sororum.
Huic multo Proteus, geminoque huic corpore Triton

cymbam comitaturam, et avellant uncas anchoras, ubi navis incipiet prorsus sidere. Hæc moderetur nimios fluctus, et inclinet mare ad ortum. Nulla cærulearum sororum cesset ab opere. Hinc Proteus vario, et hinc Triton duplici corpore natent

Molorthus, legit: *Sint, quibus exploret rupes gravis ante molorthus.*—32 Pro *vellant* multæ edd. habent *velent.*—33 Parm. *inclinat adortus.*—35 *Hic multo P. geminoque hic corpore* Parm. *Huic m. P. g. hinc et, &c.* Aldd. Colin. Gryph.

NOTÆ

plorare, quanta sit maris profunditas, et bene se monuisse Gronovium in Florentino legi *primo* pro *rupes.* Dicit etiam olim hoc instrumentum explorando mari μολυβδίδα appellasse veteres, quia plumbum habebat affixum in extremo. Sic igitur emendat Salmasius: *Sint, quibus exploret plumbo gravis alta Molybdis. Sint*, pergit *quibus molybdis plumbo gravis exploret alta*, id est, profunda maris. Vult *arta* pro *alta*, deinde *arte* correctum fuisse: sic et *plumo* ab initio scriptum fuisse ac in *primo* degenerasse. Sic in veteribus glossis πλοῦμος pro πλοῦμβος. *Moluptis* autem pro *Molybdis* videri scriptum fuisse, quod facile fuit in *Molorchus* mutari. Nam *P* et *R* invicem mutantur in libris, et *T* et *C*, ut *D* et *T:* sic Salmasius. Gronovius autem mutat illud *primo*, quod reperitur in Ms. codice in *lino:* quo scilicet molybdis in mare demittitur: conjicit enim *L* et *N* coaluisse in *M*, hoc modo: *lmo*, et ineptum librarium τὸ *L* pro nota vel compendio numeri Latini sumsisse, et *primo* reddidisse, et sic contendit Gronovius Papinium scripsisse: *Sint, quibus exploret lino gravis alta molybdis.* Pro *arte molochus* legit Joannes Piraredus *ære molybdis.* Gronovii explicationem secutus sum in interpretatione mea, mihi enim melior visa est. Quidam hunc versum sic intelligunt. Sint etiam Nymphæ, quæ conto sive perpendiculo maris explorent altitudinem, ita scopulos caventes, ut navis evadat, nec detrimenta patiatur.

31 *Phaselon*] Intelligit parvam cymbam, quam navi fune alligant, ut si contingat navem mergi, ii, qui sunt in navi, possint in eam saltare, et sic periculum evadere.

32 *Uncaque submersæ penitus retinacula vellant*] Per *unca retinacula* intelligit anchoras, ne pondere suo celerius deprimant navem, habeantque tempus navigantes saltandi in cymbam.

33 *Pelagus inclinet ad ortus*] Ad Orientem enim, ubi Syria est, navigabat Metius. Rogat igitur Nereidas, ut aliqua ex ipsis faciat, ut mare, et venti secundi convertantur ad Orientem.

34 *Glaucarum sororum*] Nereidum, quæ sorores erant, et 'Glaucæ' dicuntur, quia glaucus ut et cæruleus color proprius aquarum.

35 *Multo*] Quia Proteus varias formas, et quas volebat, induebat. *Gemino Triton*] Geminum enim corpus habebant Tritones, et humanum

Prænatet; et subitis qui perdidit inguina monstris
Glaucus, adhuc quoties patriis allabitur oris
Littoream blanda feriens Anthedona cauda.
Tu tamen ante omnes, Diva cum matre Palæmon,
Annue, si vestras amor est mihi pandere Thebas,
Nec cano degeneri Phœbeum Amphiona plectro.
Et pater, Æolio frangit qui carcere ventos,
Cui varii flatus, omnisque per æquora ponti
Spiritus, atque hyemes nimbosaque nubila parent,
Arctius objecto Borean, Eurumque, Notumque

ante navem, et etiam Glaucus, cujus extremæ corporis partes subito in pisces mutatæ fuerunt, et qui percutit adhuc blanda cauda ripas Anthedonis, quoties venit ad patrias plagas. Sed tu, præ aliis, Palæmon, fave, cum diva genitrice tua, si mihi sit studium memorandi vestras Thebas, nec celebro indigno carmine Phœbeum Amphiona. Et pater, qui retundit ventos Æolio claustro, cui diversi turbines, omnes halitus maris, ac procellæ, et pluviosæ nubes obtemperant, coërceat angustius

Basil. &c. Lectionem nostram dedit Gronovius.—40 Unus codex: *mihi pangere Thebas.* Sed vide Gronov. in Obss. IV. 12.—43 Edd. vett. *per æquora mundi.* N. Heinsius ad Val. Flac. I. 501. pro *mundi* legit *ponti.*—44 Venett. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. &c. *ac hyemes.* Mutavit Marklandus.—46

NOTÆ

et piscis: superiori parte homines erant, inferiori pisces.

36 *Et subitis qui perdidit inguina monstris Glaucus*] Glaucus piscator Anthedonius, cum ex herba quadam gustasset, in mare se conjecit, et misericordia Deorum marinorum, Deus et ipse marinus factus est. Dicitur perdidisse inguina subitis monstris, quia posterior corporis pars, ab inguinibus et infra, in caudam piscis conversa est. Vide Theb. VII. 335.

37 *Patriis oris*] Id est, Bœotiæ. Nam Glaucus erat Bœotus ex Anthedone urbe Bœotiæ.

38 *Blanda Anthedona cauda*] Anthedon urbs Bœotiæ. *Blanda*] Quia patria cuique carissima. *Cauda*] Quia Deus marinus Glaucus et Dii marini habebant caudas Piscium.

39 *Diva cum matre*] Leucothea, seu Matre Matuta, quæ et Ino, dum inter homines erat. *Palæmon*] Qui et Melicerta inter Deos. Vide Theb. I. 14.

40 *Si vestras amor est mihi pandere Thebas*] Id est, si celebro carmine Epico seu Thebaide vestram patriam; Thebani enim Ino, et Palæmon.

41 *Amphiona*] Vide Theb. I. 10. *Phœbeum*] Quia Amphion citharam optime pulsabat: Phœbus autem musicæ præest.

42 *Et pater*] Æolus est, rex ventorum, qui ideo rex ventorum dictus, quod primus velis usus sit, vel quod incolæ Strongyles insulæ, quæ domus Æoli dicitur, ex ejus fumo potissimum præsentiscunt, quinam flatus in triduo portendantur: quo factum, ut Æolus rex ventorum crederetur, ut ait Solinus cap. 12. Vide Virgil. Æneid. I. de Æolo ejusque claustro, ac Homerum in Odyssea.

45 *Borean, Eurumque, Notumque*] Hi enim omnes venti tempestates ac

Monte premat: soli Zephyro sit copia cœli,
Solus agat puppes, summasque supernatet undas
Assiduus pelago; donec tua, turbine nullo,
Læta Paretoniis assignet carbasa ripis.
Audimur: vocat ipse ratem, nautasque morantes
Increpat: inde meum timido jam frigore pectus
Labitur, et nequeo, quamvis movet ominis horror,
Claudere suspensos oculorum in margine fletus.
Jamque ratem terris divisit fune soluto
Navita, et angustum dejecit in æquora pontem:

opposito monte Boream, Eurumque, ac Notum: et solus Favonius regnet in aëre: solus pellat puppem, et perpetuo feratur super summas aquas maris, donec sine procella applicet tua vela læta oris Paretoniis. Audimur: ciet ipse Zephyrus navem, et objurgat nautas cunctantes. Ecce jam meum pectus deficit timido frigore, nec possum retinere lacrymas fluentes ex oculis, quamvis horror hujus præsagii me turbet. Et jam nauta separavit ab humo navem laxato rudente, et dimisit in mare

‘ Ex Ovid. Amor. II. 11. ‘ Ipsa roges Zephyri veniant in lintea soli:’ ita Puteanus et quatuor alii codd. non *pleni;* quod licet probum sit, Statium tamen legisse *soli* vel ex hac imitatione patet.’ *Markl.*—51 Pro *ecce meum,* quod exhibent Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *inde meum* præbent codex Sen. Venett. 1. 2. Rom. Vicent. et vet. Lindenbrogii; *unde meum* codex Florent.—52 Parm. pro *movet* dat

NOTÆ

procellas excitare solent. De iis vide Theb. I. 350. et sequentibus.

46 *Zephyro*] Favonio, vento leni.

49 *Paretoniis*] Ægyptiis, a Paretonio oppido Ægypti. Vide Theb. v. 12.

50 *Vocat ipse*] Zephyrus.

51 *Timido frigore*] Hoc fit, quando quod timebamus accedit; tunc enim frigore, quod est signum timoris, cor percuti sentimus, ac paulatim deficimus. *Inde* [*ecce*] *meum*] Ms. Senensis, Romanus et Venetus codex habent *inde meum.* Florentinus habet *unde.*

52 *Quamvis movet ominis horror*] Quidam legunt, *monet.* Et certe ‘ monere,’ ‘ monitus ’ proprie de auguriis, oraculis, prodigiis, ominibus, somniis. Vide quæ diximus ad Theb. VII. 440.

53 *Claudere suspensos oculorum in margine fletus*] In malum omen accipiebant veteres, si discedentibus amicis flerent, et maxime, si lacrymæ effluerent invitis, et spargere nolentibus. Virgilius Æneid. XII. ‘ Ne me lacrymis, neve omine tanto Prosequere.’ Apud Silium Annibal ad uxorem lib. I. ‘ Ominibus parce, et lacrymis fidissima conjux.’ Seneca in Thyeste: ‘ Quid flere jubes nulla surgens dolor ex causa?’

54 *Fune soluto*] Naves enim funibus in portu religantur.

55 *Angustum pontem*] Id est, asserem, ut qui sunt in navi, quique navigare non debent, exeant in terram.

Sævus et e puppi longo clamore magister
Dissipat amplexus, atque oscula fida revellit,
Nec longum cara licet in cervice morari.
Attamen in terras e plebe novissimus omni
Ibo, nec egrediar nisi jam cedente carina.
Quis rude, et abscissum miseris animantibus æquor
Fecit iter? solidæque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus, pelagoque immisit hiantes?
Audax ingenii; nec enim temeraria virtus
Illa magis, summæ gelidum quæ Pelion Ossæ
Junxit, anhelantemque jugis bis pressit Olympum.

arctam tabulam: cum crudelis gubernator clamans e puppe disjicit amplexus, ac dirimit amicorum oscula, nec datur multum hærere in dilecto collo. Attamen ultimus revertar ex tota turba ad tellurem, nec discedam, nisi jam profecta nave. Quis stravit viam infortunatis hominibus per ignotum, et præclusum mare? et impulit in fluctus pios alumnos solidæ telluris, et eos mari commisit opibus inhiantes? Audacis fuit ille animi, nec temeritas fuit major, quæ imposuit frigidum Pelion supremæ Ossæ, et gravavit fatiscentem Olympum pondere duorum montium. Usque

monet; vet. Lindenbrogii *et nequeo, quamvis omnis movet horror.*—56 *Serius e puppi* Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii; *Sævus ubi e puppi* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Sævus et e puppi* est conjectura Marklandi, qui pro *longo clamore* legi jussit *magno clamore.*—58 Pro *licet* Parm. habet *valet.*—61 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. ceteræ *abscissum;* Heinsius vero ad Val. Flac. I. 827. citat *abscisum*, absque ulla diversitatis nota. Vide Drakenb. ad Sil. Ital. xv. 473.—66 'Corruptus est locus,

NOTÆ

56 *Sævus*] Quia 'dissipat amplexus atque oscula fida revellit.'

61 *Quis rude, &c.*] Invehitur in illum, qui primus ausus est se mari committere, tam infido elemento. Similis querela apud Horatium I. Od. 4. et Senecam in Medea. *Abscissum*] Desumtum ab Horatio loco notato: 'Nequicquam Deus abscidit Prudens oceano dissociabili Terras, si tamen impiæ Non tangenda rates transiliunt vada.' 'Disseptum mundum' vocat æquor Seneca in Medea.

62 *Solidæ*] Id est, quæ non movetur, et stabilis est. *Pios*] Id est, non avaros, contentos bonis, quæ terra præbet. Seneca Medea: 'Parvo dives, nisi quas tulerat Natale solum, non norat opes.'

63 *Hiantes*] Cupidos et nimium avaros. Sic Propertius: 'Natura insidians pontum substravit avaris.' Vide et Persium Sat. 5.

64 *Audax ingenii*] Loquendi modus familiaris Papinio, ut 'miseri morum,' et Silio Italico, ut 'felix voti,' 'felix ausi.' *Nec enim temeraria virtus Illa magis, &c.*] Comparat temeritatem illius, qui primus tentavit mare, cum illa Gigantum, ubi impositis montibus supra montes ascendere in cœlum, et Superis bellum inferre tentaverunt. Nota fabula Gigantum.

65 *Pelion*] Montem Thessaliæ. *Ossæ*] Ossa mons ejusdem Thessaliæ.

66 *Olympum*] Quatuor montes sunt

Usque adeone parum lentas transire paludes,
Stagnaque et angustos summittere pontibus amnes?
Imus in abruptum, gentilesque undique terras
Fugimus, exigua clausi trabe, et aëre nudo.
Inde furor ventis, indignatæque procellæ,
Et cœli fremitus, et fulmina plura Tonanti.
Ante rates, pigro torpebant æquora somno;
Nec spumare Thetis, nec spargere nubila fluctus
Audebant: visis tumuerunt puppibus undæ,

adeone modicum erat trajecisse immobiles lacus, et paludes? Et imposuisse pontes arctis fluviis. Ruimus sponte in perniciem nostram, et fugimus undique patrias terras, septi modico ligno, ac expositi aperto aëri. Inde indignati sunt venti, et excanduerunt tempestates, et fremuerunt cœli, et frequentiora Jovi fulmina. Ante navigationem maria languebant inerti quiete, nec Thetis audebat spumare, nec nubes audebant aquas spargere. Undæ inflatæ sunt aspectis navibus, ac procellæ insur-

sic restituendus: *anhelantemque jugis impressit Olympum.* Ex Ovid. Am. II. 1. optime legeres, *ingessit Olympum.* Vide Burm. ad Ovid. Met. v. 346. Sed mihi magis placet *impressit*, tum quia vulgatæ lectioni propius est, tum etiam quia Statius alibi hac voce utitur eodem sensu, Theb. XI. 8.' *Markl.* Parm. exhibet, *bis presit.*—71 Pro *indignatæque* Markl. malit *indignantesque* ex Virg. Æn. I. 55. de ventis 'Illi indignantes, &c.'—75 *Gaudebat* legi jubet

NOTÆ

ejusce nominis. Hic, de quo loquitur Poëta, est in Thessalia: duo vero in Asia minori, unus in Phrygia prope Antandrum, alter in Mysia juxta Olympenam civitatem: quartus in Lesbo insula. *Bis*] Quia duo montes, nempe Pelion et Ossa, impositi Olympo.

69 *Gentiles*] Id est, in quibus nascimur, et cum quibus affinitatem habemus.

70 *Exigua clausi trabe*] Seneca Medea: 'Potuit tenui fidere ligno Inter mortis vitæque vias Nimium gracili limite ducto.' Anacharsis ubi didicit navis crassitudinem esse quatuor digitorum, ait: Τοσοῦτον τοῦ θανάτου οἱ πλέοντες ἀπέχουσι. *Tantum a morte navigantes absunt.* *Aëre nudo*] In navibus enim solum aërem pro tecto habent.

71 *Inde furor ventis, &c.*] Dicit Poëta, quod ante navigationem maria summa quiete fruebantur, sed postquam ad id audaciæ homo venit, ut 'jura freti et majestatem repostam maris,' ac 'dissepti fœdera mundi' navigando violare tentaret, tunc mare insurrexit in hominem, &c.

72 *Et fulmina plura Tonanti*] Non hic *plura* ea ratione intelligenda sunt, quod plura fulmina attribuantur Jovi, quam ceteris Diis; nam novem sunt, qui singuli fulmina jaciunt, sunt enim undecim generum. Sed hic *plura* hoc sensu intelligendum est, quod ante navigationem terras tantum fulmine impetebat, nunc vero etiam maria, ad puniendos homines, qui ea navigant.

74 *Thetis*] Thetis sumitur pro mari, ut jam diximus sæpius.

Inque hominem surrexit hyems: tunc nubila Pleias,
Oleniumque pecus: solito tunc pejor Orion.
Justa queror: fugit ecce vagas ratis acta per undas
Paulatim minor, et longe servantia vincit
Lumina, tot gracili ligno complexa timores,
Teque super reliquos, te, nostri pignus amoris
Portatura, Celer: quos nunc ego pectore somnos,
Quosve queam perferre dies? quis cuncta paventi
Nuntius, an facili te prætermiserit unda
Lucani rabida ora maris? num torva Charybdis

rexerunt in hominem. Tunc Pleias, hædique Olenii excitarunt tempestates. Tunc Orion solito fuit malignior. Merito queror. Ecce navis volat pulsa per vagas aquas, paulatim decrescens visu, ac longe effugiens lassat spectantes oculos, tot continens metus in tenui ligno, et præter ceteros vectura te, Celer, pignus nostræ amicitiæ. Quem nunc ego somnum animo capere possim, quos dies tolerare? Me omnia timente, quis nuntiabit, an furiosa ora Lucani maris te prætervexerit placida

Marklandus pro *Audebat.*—80 Heinsius ad Ovid. Pont. I. 10. 39. post citatum hunc locum, 'Præstiterit,' inquit, 'fortasse *fragili* quam *gracili,* quod nunc circumfertur: cum hæ duæ voces promiscue in vetustis codd. confundantur: quanquam et scriptura vulgata satis commode se habet.' Cf. Hor. I. Od. 3. 10.—81 *Quaque super reliquos te, &c.* Parm. *Quamque super reliquos et* in suis codd. invenit Domitius Calderinus; unde ille: *Quæque super reliquos te, &c.* 'Quem secutus merito Aldus; secutæ sunt et ceteræ editiones nunc veteres et novæ. Possis faciliori sermone legere: *super reliquas,* præ ceteris navibus.' *Barth. Teque super reliquos* est correctio Marklandi.—84 *Nunciet* Aldd. Colin. Gryph. &c. *Nuncius* Florent. Rom. et Venet. 2. quod reposuit Gronovius. Pro *facili* Parm. *facilis.*—85 Pro *torva Charybdis* Heins. ad Ovid.

NOTÆ

76 *Pleias*] Pleias, seu Pleiades, stellæ in Tauro, sidus tempestuosum. Vide Theb. I. 26.

77 *Oleniumque pecus*] Capellam innuit, sidus tempestuosum. *Olenium* dicitur, quia capra Amalthæa, quæ Jovem uberibus aluisse dicitur prope Olenum Achaiæ oppidum, in hoc sidus conversa est. Vide Theb. III. 25. *Orion*] Sidus etiam tempestuosum. Vide Theb. VII.

79 *Paulatim minor*] Ea enim, quæ recedunt a nostro visu, pàulatim minora apparent, quia sub minoribus ac minoribus semper angulis videntur.

80 *Tot timores*] Ob varia pericula quibus navigantes exponuntur.

81 *Teque* [*Quæque*] Corrige, *Teque*: una enim et sola navis est, non plures.

82 *Quos nunc ego pectore somnos, Quosve queam perferre dies*] Effectus hi anxietatis summæ, ac timoris.

84 *Nuntius*] Bene. *Nuntiet* habent priores editiones.

85 *Lucani rabida ora maris*] Mare enim ad oram Lucaniæ regionis Italiæ tempestuosum est. *Charybdis*] Poëtæ finxerunt esse Charybdim monstrum quoddam in freto Mamertino, quod ter absorberet terque post eructaret fluctus maris. Vide Virgil. Æneid.

Fluctuet, aut Siculi populatrix virgo profundi?
Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores?

unda? an truculenta agitetur Charybdis, aut virgo prædatrix Siculi æquoris? Quam legem Adria passa sit, te navigante? Quæ fuerit tranquillitas Carpathio

Amor. II. 16. 26. legit, *torta Charybdis*; et ita in Parm.—87 Parm. et Rom.

NOTÆ

III. et Homer. Odyss. M. Sed revera Charybdis nihil aliud est quam mare vorticosum, et quasi in hiatum descendens. Plinius lib. III. cap. 8. hæc scribit: 'In eo freto, Siculo, est scopulus Sylla, item Charybdis, mare vorticosum, ambo clara sævitia.' Didymus Homeri Scholiastes: Χάρυβδις θαλάσσης βάθος ἀναποτικόν. *Charybdis, gurges, quo mare absorbetur.* Ceterum discimus ex Epistola 79. Senecæ, quicquid illo freti turbine abreptum erat, per multa millia trahi conditum, et circa Taurominitanum littus emergere. Hujusce vero rationem vide apud Cluverium. Fretum hoc a Siculis hodie vocari *Calopharum* testatur Fazellus, quod Latine bonum sive pulchrum est lumen; ob id quod in proximo littore sit specula, quæ cautum præternavigaturis, contra vicinæ Charybdis minas, lumen præbet.

86 *Aut Siculi populatrix virgo profundi*] Per virginem populatricem Siculi profundi designat Poëta Scyllam, quam monstrum esse etiam finxerunt sub altissimo scopulo habitans, habensque duodecim fœdissimos pedes, et sex longissima capita, quibus nimirum vel remotissimas ad se naves attrahebat. Unde Papinio dicitur, *Siculi populatrix profundi.* Ita Homerus. Vide et Virgil. Æneid. III. Alii aliter eam depingunt. Ovid. Met. XIV. vult Scyllam Phorci filiam in monstrum, canibus succinctum inguina, mutatam fuisse a Circe in odium Glauci, qui, ea spreta, Scyllam ardebat, et tandem conversam fuisse in scopulum humana forma, cavernosum, ad quod maris æstuosi fluctus refracti latratum canum exprimunt. Revera enim Scylla Plinio scopulus in freto Mamertino, inter Siciliam et Italiam. Scyllam et Scyllæum appellat Strabo. Hodie *Scyllo* dicitur, teste Fazello. Isaacius scribit Scyllam esse promontorium juxta Rhegium Italiæ in mare promineus, in quo sunt saxa multa, et ingentia, quæ habent interius cava, ac speluncas, in quibus habitant monstra marina: ubi navigia fuerint ab aqua Charybdis illisa et eversa, tunc homines ab illis monstris devorari. Idem extat apud Apollonii Rhodii interpretem, qui est in hunc locum consulendus. Vide etiam Strabonem lib. I. ubi vult Homerum, cum tradit Scyllam venari solitam pisces ingentes, forte respexisse ad venationem Galeotarum apud Scyllæum, quæ ibidem a Strabone describitur.

87 *Adria*] Per Adriam intelligit Adriaticum, seu superum mare, hoc nomen sortitum ab Adria urbe Græca, Illyrico mari proxima, ut volunt Polybius lib. II. Livius V. Strabo V. Plinius lib. III. Justinus lib. XX. et Eustathius in Dionys. Alii, ut Aurelius Victor in Adriano, ab Adria Marucinorum agri Piceni oppido. *Ferre mores*] Gevartius *mores Adriæ* explicat naturam et affectiones ejus maris, ut Græcis ἤθη dicuntur. Ita Tibullus 'morem Charybdis,' Virgi-

Quæ pax Carpathio? quali te subvehat aura
Doris Agenorei furtis blandita juvenci?
Sed merui questus: quid enim, te castra petente,
Non vel ad ignotos ibam comes impiger Indos
Cimmeriumque Chaos? starem prope bellica regis

mari, quali flatu te prætermittat Doris, quæ adulata est virginem Agenoris filiam, raptam a tauro. Sed merui hos timores; quid enim, cum tu tenderes ad castra, non sedulus te comitabar vel ad incognitos Indos? ac Cimmerias tenebras? starem

NOTÆ

lius 'varium cœli morem,' Plinius 'cœli mores, solique ingenia,' Lucretius 'ventorum mores.' Ita quidem Gevartius. Sed exquisitius Poëta noster *ferre mores* dixit, pro in ordinem redigi, legem pati, tranquillitatem assumere. Ita Plinius 'pati mores:' 'Quid lapidis rigore pigrius? ecce sensus, manusque illi tribuit natura. Quid ferri duritia pugnacius? sed cedit, et patitur mores.' Idem Papinius 'accipere mores' in Achilleid. 'Ut Leo, materno cum raptus ab ubere, mores Accepit.' Atque ita Lucanus lib. x. 'Hic montes natura vagis circumdedit undis, Qui Libyæ te, Nile, negant: quos inter in alta It convalle tacens jam moribus unda receptis.' Ex certissima Ms. et Grotii restitutione, pro *maribus.* Gronovius. Heinsius cum hanc lectionem, *ferat mores,* ferre non poterat, corrigebat: *Quod tibi currenti præceps furat Adria morum.* 'Præceps morum,' ut Theb. lib. IV. 'Ah miseri morum.' *Tibi currenti*] Id est, in tui currentis gratiam. *Currenti* vero dixit eleganter pro naviganti. Ita Virgil. Æneid. III. 'Vastumque cava trabe currimus æquor.' Unde currum navis dixi pro navi. Æschylus in Prometheo: *Θαλασσόπλαγκτα δ' οὔτις ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ Λινάπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα. Neque alius præ me fluctivagos reperit alis volantes lineis currus maris.*

88 *Pax Carpathio*] Hæc omnia sibi eleganter respondent: *Facilis unda, fluctuare, ferre mores, pax Carpathio,* et *qualis aura. Carpathio*] Carpathium mare interjacet Rhodum insulam et Ægyptum, sic dictum a parva insula Carpatho dicta.

89 *Doris*] Intelligit mare, quod alluit Doricas regiones, ut Peloponnesum, prope quam est insula Creta, in quam a tauro advecta Europa; Doris enim pro mari sumi notum est. *Furtis*] Europæ, quam rapuit Jupiter in taurum mutatus. *Agenorei juvenci*] Id est, juvenci seu tauri, qui ferebat dorso Europam Agenoris filiam.

91 *Indos*] Indi, populi Indiæ, quæ regio tota fere spectat orientem: finitur a Septemtrione Paropamiso monte, ab Oriente regnum Sinarum attingit, a Meridie, suo, id est, Indico, mari alluitur, ab Occidente, Indo flumine, a quo nomen traxit, terminatur. Hodie nomen retinet, et vocatur, *Indostan.* Quidam in sacra scriptura designari volunt nomine, *Hevila.* Dicuntur hic ignoti, quia Romanis Indi solum fama, non commercio, aut navigatione cogniti. Nam patefactam fuisse Alexandri Magni armis historici testantur, licet et prius ab Hercule, et Baccho tentatam tradant Poëtæ.

92 *Cimmeriumque Chaos*] Cimmerii olim populi Italiæ inter Baianum sinum et Avernum, in subterraneis locis habitabant, in quibus totis diebus delitescebant, noctu tantum ad

Signa mei, seu tela manu, seu fræna teneres,
Armatis seu jura dares; operumque tuorum
Et si non socius, certe mirator adessem.

prope martia vexilla mei domini, seu teneres tela manu, seu habenas, seu præesses militibus; et hic assisterem, si non particeps, saltem admirator tuorum factorum.

NOTÆ

latrocinia egrediebantur, victumque ex metallorum effossione, divinationum mercede, et proventibus a rege designatis quærebant. Apud eos enim fiebant sacra Plutonia, dabanturque ab eis oracula. Advenientes autem consulturi ducebantur in loca subterranea: quæ neque oriente sole neque occidente illuminarentur, ut scribit Homerus. Hi tandem a rege quodam deleti sunt, cum oraculi fides parum successisset. Hæc ex Ephoro de iis tradit Strabo. Hinc 'Cimmeriæ tenebræ,' pro densissima caligine. Homerus videtur collocare eos juxta Baias. Festus inter Cumas et Baias, ubi dicuntur incolere terras frigoribus occupatas in convalli, satis eminenti jugo circumdata, quæ neque matutino neque vespertino sole contegitur. Vide Hom. Od. Λ. Sed hi Cimmerii, de quibus agitur hic, pro remotissimis populis accipiendi. Herodotus lib. IV. hos collocat ad Bosphorum, Cimmerium ab iis dictum, quem sic vocatum a Cimbris Posidonius apud Strabonem conjicit, (Græcis Cimbros Cimmeriorum nomine designantibus,) hominibus vagis ac prædonibus, armisque ad Mæotin usque lacum progressis. Cimmerii etiam montes ac populi collocantur supra Albaniam apud Ptolemæum tabula Asiæ secunda. Antonius vero Armenus, vulgo Haithonus, Historiæ Orientalis cap. 10. Georgis contermininos facit juxta mare Caspium, ibique refert, esse provinciam quandam, Hamsem vocatam, quæ quantum extenditur, tenebricosa caligine ita repletur, ut nullus sit, qui aspicere possit quicquam. Sed ipsius Haithoni verba ascribenda sunt: 'In isto,' ait, 'regno Georgiæ apparet quoddam stupendum miraculum et monstrosum, quod dicere non auderem, nisi propriis oculis perspexissem. Sed quia personaliter ibi fui, et vidi, dico, quod in illis partibus est quædam provincia, quæ vocatur Hamsem, quæ in circuitu bene habet tres diætas, et quantum extenditur illa provincia tota, quadam tenebricosa caligine locus ille taliter offuscatur, quod nullus est, qui aspicere possit quicquam: nec est aliquis, qui audeat ingredi terram illam, quoniam ad redeundum tramitem ignorat. Habitatores harum partium asserunt, se sæpius audivisse voces hominum vociferantium, cantum galli, hinnitus equorum in sylva; et per meatum cujusdam fluminis, quod de loco illo egreditur, apparent signa certa, quod sit gentium habitatio in eodem.' Unde conjici potest, non fabulam forsan esse, quicquid veteres de Cimmeriis tenebris tradiderunt, licet Strabo lib. I. id poëticis figmentis ascribat. *Chaos*] Ob densas tenebras, quibus regio Cimmeriorum repletur. *Regis*] Pauperiores reges vocabant divites ac potentes, quos colebant. Unde jocus Martialis in quendam, qui se regem appellari volebat, cum tamen regem haberet.

94 *Operumque tuorum Et si non socius, certe mirator adessem*] Horatius ad Mæcenatem in bellum Actiacum proficiscentem: 'Roges, tuum labore quid juvem meo Imbellis, ac firmus parum: Comes minore sum futurus

Si quondam magno Phœnix reverendus Achilli
Littus ad Iliacum, Thymbræaque Pergama venit
Imbellis, tumidoque nihil juratus Atridæ,
Cur nobis ignavus amor? sed pectore fido
Nusquam abero, longisque sequar tua carbasa votis.
Isi, Phoroneis quondam stabulata sub antris,

Sic quondam Phœnix, quem ingens Achilles venerabatur, profectus est ad Iliacam ripam, et Pergama Thymbræa, non bellator, nec sacramento obligatus irato Atridæ. Cur nostra amicitia ignava est? Sed semper adero fido corde, et persequar tua vela longis votis. Isi, quæ quondam incoluisti stabula cavernarum Phoronæarum, nunc

gerat Adria mores.—96 *Sic quondam* Aldd. Colin. Gryph. &c. *Si quondam* Parm. et Rom. quod revocavit Markl.—98 Ante Marklandum plena στιγμὴ posita erat post vocem *Atridæ;* quo pacto sententia nova abrupte ordiebatur ab illis, *Cur nobis, &c.*—100 *Nunquam abero* Venet. 1. et Parm.—101 Inemendati codd. Calderini modo *Ipsa* modo *Ipsi* proferunt; ille emendavit *Isi;* Bernartius dedit *Ipsi;* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Grasser. Gevart. &c. *Isi.*

NOTÆ

in metu: Qui major absentes habet.'

96 *Phœnix*] Magister morum, ac educator Achillis. Vide Epiced. in Glauciam vs. 91.

97 *Iliacum*] Trojanum. *Pergama*] Trojam. *Thymbræa*] Sic dicta a templo Apollinis Thymbræi prope Trojam.

98 *Imbellis*] Id est, qui non tractaret bellum, immunis a bello. *Nihil juratus*] Solus enim Phœnix non juraverat, ut ceteri principes Græciæ, quos Thucydides ait secutos esse Agamemnonem non tam jurejurando addictos, quo obligati erant Tyndaro patri Helenæ, quam Agamemnonis potentia ac opibus motos. Juraverant enim omnes, se vindicaturos, si contingeret Helenam rapi. *Atridæ*] Agamemnoni Atrei, seu, ut alii volunt, Plisthenis filio, sed ab Atreo educato, hincque Atrida vocato. *Tumido*] Id est, vel superbo; talis enim depingitur ab Homero, cum rapuit Achilli Briseida; vel irato, ob injuriam fratri Menelao factam.

101 *Isi, &c.*] Isidi commendat Poëta proficiscentem ac navigantem Metium. Isis prius Io dicta, Inachi filia, a Jove adamata est, quod cum Juno deprehendisset, ille Io mutavit in vaccam; eam petiit a Jove Juno, quam cum negare non auderet, ei, ne suspicaretur amorem, dono dedit: Juno vero Argo tradidit custodiendam. Illo autem a Mercurio occiso, Juno furorem immittit Io, quæ, post varios casus, et diversos errores per totum fere orbem, tandem pervenit in Ægyptum, ubi resumta priori forma Osiridi nupsit, tantaque cum justitia administravit Ægyptum, tantisque beneficiis Ægyptios affecit, ut post mortem ejus, illam ut Deam coluerint, sacerdotesque ei instituerint, quos 'Isiacos' de nomine ejus vocarunt. Vide Plutarchum in peculiari opere quod de Iside composuit, et Apuleium Milesiorum lib. XI. *Phoroneis stabulata sub antris*] Quia in vaccam mutata fuit Io. *Phoroneis*] Id est, Argolicis; Phoroneus enim, post mortem patris Inachi, regnum Argorum tenuit.

Nunc regina Phari, numenque Orientis anheli,
Excipe multisono puppem Mareotida sistro:
Ac juvenem egregium, Latius cui ductor Eoa
Signa, Palæstinasque dedit frænare cohortes,
Ipsa manu placida per limina festa, sacrosque
Duc portus, urbesque tuas: te præside, noscat
Unde paludosi fœcunda licentia Nili:
Cur vada desidant, et ripa coërceat undas

quæ domina Ægypti es, Deaque calidi orientis, excipe navem Ægyptiam tinniente sistro: et ipsa deduc leni manu per templa tibi dicata et sacros tibi portus, et tuas urbes, inclytum juvenem, cui princeps Romanus commisit vexilla Orientalia, ac regendos exercitus Palæstinæ. Discat, te favente, unde procedit fertilis exundatio stagnantis Nili, cur decrescant aquæ, ac littus munitum hirundinum cœno evagantem

—103 Venet. 1. et Parm. *mulcisono.*—110 *Cecropio stagnata luto* Aldd. Colin.

NOTÆ

102 *Regina Phari*] Quia culta in Ægypto; Pharus enim sumitur pro Ægypto, ut sæpius observavimus. *Numenque Orientis anheli*] Quia Ægyptus ab antiquis Geographis attribuitur Asiæ seu Orienti. Dicitur *Oriens anhelus*, id est, calidus, vel quia, ut Virgilius ait, 'orientales populos primus equis efflavit anhelis,' ἀνατέλλων ἥλιος. Vide et Theb. vi. 295. ubi Poëta hoc etiam narrat.

103 *Multisono sistro*] Sistrum erat instrumentum musicum, quo utebantur in sacris Isidis, quod sic describit Apuleius Milesior. lib. xi. 'Dextra ferebat æreum crepitaculum: cujus per angustam laminam in modo baltei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem.' *Puppem Mareotida*] Id est, navem Ægyptiam, in qua vehitur Metius. Vide vs. 24. supra.

104 *Latius ductor*] Romanus Imperator. *Eoa*] Id est, Orientalia.

105 *Palæstinas*] A Palæstina, quæ pars Syriæ ad mare Mediterraneum sita est, et sic dicta a priscis populis Philistinis.

106 *Limina festa*] Id est, templa. *Sacrosque*] Quia Isidi consecrati erant.

107 *Urbesque tuas*] Nam per totum Ægyptum colebatur Isis.

108 *Fœcunda licentia*] Quia, ut omnibus notum est, Nilus exundatione aquarum fœcundat agros Ægypti, sed causa hujus exundationis non huc usque cognita. *Paludosi Nili*] Quia Nilus in modum paludis turbidus est et stagnat.

109 *Et ripa coërceat undas Cecropio signata* [*stagnata*] *luto*] Per *Cecropium lutum* innuit hic auctor murum hirundinum, ita dictum, quod hirundines eum exundanti Nilo opponunt. Plinius hoc explicat l. x. c. 33. 'Alterum est genus hirundinum rusticarum et agrestium, quæ in Ægypti Heracleotico ostio molem continuatione nidorum evaganti Nilo inexpugnabilem opponunt, stadii fere unius spatio; quod humano opere perfici non posset. In eadem Ægypto juxta oppidum Copton insula sacra est Isidi, quam ne laceret amnis, eodem muni-

Cecropio signata luto: cur invida Memphis,
Curve Therapnæi lasciviat ora Canopi:

amnem: cur invida Memphis, et cur plaga Canopi Therapnæi tam luxui indulgeat:

Gryph. Basil. Plant. Grasser. Gevart. &c. *signata* legi jussit Marklandus in

NOTÆ

unt opere, incipientibus vernis diebus, palea et stramento rostrum ejus firmantes, continuatis per triduum noctibus tanto labore, ut multis in opere emori constet. Eaque militia illis cum anno redit semper.' Eadem Plutarchus refert lib. de Fluviis, ubi de Nilo agit. Porro dicit, *Cecropium lutum*, quia omnibus notum est, Procnen, Pandionis regis Atheniensium filiam, in hirundinem mutatam fuisse, et Cecropem primum conditorem ac regem Athenarum. *Stagnata*] Stagnata vero non est, in qua perpetuus latex subjicitur, irremisso fonte profluens, ut putat Barthius Adv. lib. XXXVII. cap. 7. nec limosa aqua inundata, ut Gronovius. Sed *stagnata* simpliciter munita, firmata. 'Stagnare' enim est munire. Justinus lib. XXXVII. cap. 3. loquens de Mithridate, quod venena metueret, hæc ait: 'Antidota sæpius bibit, et ita se adversus insidias exquisitis tutioribus remediis stagnavit,' id est, se munivit adversus venena, quibus appetebatur. Idem Justinus lib. XXXVI. cap. 3. 'Nam neque ventis,' loquitur de lacu Asphaltite, 'movetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur,' id est, munitur, firmatur, densatur, solidatur. Quæ significatio confirmatur ex Plinio loco hic laudato; dicit enim hirundines 'molem continuatione nidorum evaganti Nilo inexpugnabilem opponere.'

110 *Invida Memphis*] Memphis urbs quondam primaria Ægypti, sed post Alexandriam conditam, secunda; sita est in Delta Ægypti, Pyramidibus, regum tumulis celeberrima: ejus ambitus dicitur fuisse centum et quinquaginta stadiorum: Judæis Misraim, Arabibus Mesre dicta, et Monf, prope ipsam Alfostat seu Alcahira, ab Arabibus condita fuit, et Memphis nunc partem ejus facit. *Invida*] Beroaldus vult Memphim *invidam* dici, quod sacerdotes Ægyptii, seu Memphitici, quasi invidia ducti, arcana suæ doctrinæ nemini detegebant, 'et literis ignorabilibus,' ut loquitur Apuleius in Milesiis, 'ea adumbrabant.' Gevartius vero *invidam* dici propter summum odium, ac simultates, quas inter se Ægypti exercebant, ob diversitatem Deorum, quos unaquæque urbs colebat. Refert enim Diodorus Siculus, regem quendam Ægypti, cum videret Ægyptios leves, ac novarum rerum cupidos, frequenterque in principes rebellare, procurasse astutia ac calliditate, ut diversos Deos colerent, hocque modo, concordia, quæ inter populos erat, sublata, ac conflatis sensim odiis, ob diversitatem cultus, cum una gens sperneret numina, quæ alia colebat, non possent unanimes concordesque in principes suos conspirare. Hanc eandem causam Juvenalis elegantissimis versibus expressit, ubi loquitur de Ægyptiorum inter se odiis ac inimicitiis, Sat. XV. 'Inter finitimos dira atque antiqua simultas, Immortale odium, et nunquam sanabile vulnus. Ardet adhuc Combos et Tentyra: summus utrimque Inde furor vulgo, quod numina vicinorum Odit uterque locus, cum solos credit habendos Esse Deos, quos ipse colit.'

Cur servet Pharias Lethæus janitor aras;
Vilia cur magnos æquent animalia Divos:

cur janitor Inferorum servet altaria Ægypti; cur vilia animalia adorentur sicut

curis secundis; et hæc est lectio Venet. 1.—113 Vet. Lindenbrogii *Vibia*

NOTÆ

111 *Curve Therapnæi lasciviat ora Canopi*] Canopus, ut diximus ad Genethliacon Lucani, urbs Ægypti, quæ nomen traxit a Canopo navis Menelai magistro. *Therapnæi*] Quia Canopus ille Laco, seu Lacedæmonius, erat ex urbe Therapne oppido Laconiæ. *Lasciviat ora*] Quia Canobitæ omnibus voluptatum generibus immersi erant, et omni luxu diffluebant. Canopi enim erat Serapidis templum, ad quod navigabatur per fossam, quæ die ac nocte plena erat naviculis mulierum et virorum impudenter canentium ac saltantium cum omni lascivia. Hinc 'Canopismus,' pro petulantia et immodica neqnitia, cujus rei et meminit Ovidius primo Tristium: 'Non ut Alexandri claram delatus ad urbem Delicias videam, Nile jocose, tuas.' Et Juvenalis: 'Horrida sane Ægyptus, sed luxuria, quantum ipse notavi Barbara famoso non cedit ripa Canopo.' Vide et Strabonem lib. VII. ubi de Canopo agit, et Senecam Ep. 81. et Eustathium ad Dionysium.

112 *Lethæus janitor*] Cum sciret Papinius Cerberum canem apud Romanos Græcosque coli, ac videret Anubin, canino capite repræsentatum, etiam coli apud Ægyptios, sibi persuasit ex ignorantia, vel dixit ex irrisu et calumnia, unum eundemque esse Deum Anubin et Cerberum, eumque 'Lethæum janitorem' vocat, quia Cerberus Græcis ac Romanis creditus servare fores Inferorum. Sed Anubis nihil commune habebat cum Cerbero. Plutarchus libello de Iside refert, Anubin esse filium Osiridis ex incestu cum Nephty sorore, Nephtynque matrem, metu Typhonis, abscondisse illum, ac Isidem amitam eum 'odora canum vi' reperisse ac aluisse: adultum vero fuisse Osiridis custodem, ac bellorum socium, et dictum fuisse 'custodem Deorum,' ut canis hominum: hinc *Pharias* dicitur *aras servare*, quia Deorum simulacris quasi custos adhibebatur. Proprius usus verbi 'servare' de custode, qui assidet et intentus observat. Seneca Hippolyto: 'Canisque Stygias dirus observat fores.' Tullius pro Roscio: 'Nihil mali est, canes ibi quam plurimos esse, ubi permulti observandi, multaque servanda sunt.' De Anubide sic Apul. Miles. lib. XI. 'Hic horrendum, nunc atra, nunc aurea facie sublimis attollens canis cervices arduas; ille superum commeator et inferum, læva caduceum gerens: dextra palmam virentem quatiens: cujus vestigium sequebatur bos in erectum levata statum.' Hinc Virgilio 'Latrator Anubis,' et Propertius: 'Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin.'

113 *Vilia cur magnos æquent animalia Divos*] Plerique enim Ægyptiorum animalia colebant vice numinum, alii feles, alii crocodilos, alii hircos, omnes Apim bovem. Juvenalis Sat. XV. 'Quis nescit qualia demens Ægyptus portenta colat.' Et Virgilius Æneid. VIII. 'Omnigenumque Deum monstra.' Vide Herodotum lib. II.

Quæ sibi præsternat vivax altaria Phœnix:
Quos dignetur agros, aut quo se gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.
Duc et ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfusus nectare durat:

ingentes Dii. Quas aras longævus Phœnix præstruat sibi ante mortem. Quos campos Apis, adoratus a trepidis pastoribus, dignetur, aut in quem Nili locum se mergat. Deduc illum ad tumulum regis Æmathii, ubi corpus martii conditoris Alexandriæ conservatur perfusum melle Hyblæo; et ad Necropolim serpentiferam,

NOTÆ

114 *Quæ sibi præsternat vivax altaria Phœnix*] Vide quæ diximus ad versum ultimum Psittaci Melioris. *Vivax*] Quia Phœnix multos annos vivere creditur.

115 *Aut quo se gurgite Nili Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis*] Plinius lib. VIII. cap. 46. narrat bovem Apim in Ægypto ut Deum coli, nec fas esse eum certos vitæ excedere annos, mersumque in sacerdotum fonte enecari. Dicit Noster in Nilum se mergere Apim, quia Poëtæ non tam accurate res perpendent. *Adoratus trepidis pastoribus*] Quia cum Apis in agris se prodebat, primi pastores ac rustici inveniebant eum, inventumque adorabant: cultus autem religiosus aliquid tremoris semper admixtum habet.

117 *Æmathios manes*] Sic Poëta vocat corpus Alexandri Macedonis, quod Alexandriæ erat in urbe media, loco sepulturæ regum destinato, quem Strabo vocari ait σῆμα. Leo Africanus, auctor non spernendus, in descriptione Alexandriæ refert inter ruinas Alexandriæ, ædiculam instar sacelli constructam adhuc superesse, in qua est sepulcrum insigne, quod invisunt Mahometani magna cum veneratione, quo cadaver Alexandri Magni, quem summum prophetam ac regem fuisse ex Alcorano dicunt, contineri affirmant. *Æmathios*] Quia Macedones prius Æmathii, ac Macedonia Æmathia dicta est. *Urbis Conditor*] Alexander enim Alexandriam condidit, suoque nomine appellavit. *Belliger*] Ob rationem omnibus notam.

118 *Hyblæo nectare*] Periphrasis mellis ob dulcedinem. *Hyblæo* vero, ab Hybla monte Siciliæ, thymi copia et salicum, ac apibus abundante, ubi optimum mel. Melle autem condiebantur cadavera, ut diutius incorrupta manerent, quia mellis talis est natura, ut putrescere corpora non sinat, inquit Plinius lib. XXII. cap. 24. Id præcepisse Democritum Varro testatur apud Nonium. Corippus lib. III. 'Flagrantia mella locatis Infundunt pateris, et odoro balsama succo, Tempus in æternum sacrum servantia corpus.' Ita Xenophon de Reb. Græc. lib. V. cadaver Agesipolidis regis in melle conditum domum reportatum, cum non longe ab urbe Olyntho mortuus esset, memoriæ prodidit. Posset et per *Hyblæum nectar* cera intelligi. Cicero Tuscul. lib. I. 'Condiunt Ægyptii mortuos, et eos domi servant. Persæ etiam cera circumlitos condiunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora.' Sic Cornelius Nepos in Agesilao, cui et Plutarchus astipulatur, scribit, amicos Agesilai, ejus corpus, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non habebant, cera circumfudisse, atque ita domum retulisse. Diodorus tamen Agesilai cor-

Anguiferamque domum, blando qua mersa veneno
Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.
Usque et in Assyrias sedes, mandataque castra

ubi Cleopatra post Actiacum prælium, dulci veneno se extinxit, et vitavit Ausonia vincula. Comitare illum usque ad plagas Assyriæ, et castra, quæ ipsi commissa

pro *Vilia.*—119 Pro *qua mersa*, Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. habent *quæ mersa;* Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. &c. ex Parmensi receperunt *qua*. Marklandus conjecerat: *qua mersa veterno.*—121 Pro *Usque et in Assyrias sedes*, quod exhibent Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. Delph. &c. Domitii Calderini codd. habebant *Usque ad Masurias sedes;* unde ille fecit: *Usque in Assyrias sedes;* Parm. habet quod propius est: *Usque ad Massyrias sedes.* Ex præpositione

NOTÆ

pus in melle Spartam deportatum refert. Præter mel et ceram veteres condiebant corpora mortuorum sale, nitro, calce, cedro, bitumine, myrrha, balsamo, gypso. Vide Kirchmannum de Funeribus Romanorum, lib. I. cap. 8. Alexandrum Neapolitanum, et Tiraquellum.

119 *Anguiferamque domum*] Sic Mausoleum vocat Papinius, in quod se recepit Cleopatra desperatis rebus: 'ubi,' ut ait Florus lib. IV. cap. 11. 'maximos ut solebat induta cultus, in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium: admotisque ad venas serpentibus, quasi somno soluta est.' Strabo tamen 'Necropolim' appellat locum, ubi aspidis morsu, ut Plutarchus refert, vel delibutorio veneno, ut idem Strabo scribit ex quorundam sententia, se necavit Cleopatra. Locus ille distabat ab Alexandria 30. stadiis. *Blando veneno*] Quia hoc Cleopatra effugit vincula, ac triumphum, cui reservabatur ab Octavio Cæsare, id quod supra modum perhorrescebat.

120 *Actias*] Id est, navali prælio ad Actium victa, satis audacter. *Ausonias*] Romanas. *Cleopatra*] Cleopatra regina Ægypti, ultima regum familiæ Ptolemæorum, Julii Cæsaris ac M. Antonii Triumviri amoribus notissima. *Catenas*] Quia regum vincula erant catenæ e collo pendentes, cum ducebantur in triumphum. *Domitius.*

121 *Assyrias*] Assyria, Plinio Adiabene dicta, Ptolemæo vero Assyria, habebat ab Ortu Mediæ partem, ab Occasu terminabatur Mesopotamia, a Septemtrione parte Minoris Armeniæ juxta Niphatem montem, a Meridie Susiana. Strabo vero eo nomine complectitur Babyloniam, et maximam vicinarum regionum partem. Nomen habet ab Assur filio Sem, cui hæ provinciæ obvenerant. Scriptores tamen, tam Græci quam Latini fere omnes, ut Herodotus, Justinus, Eratosthenes apud Stephanum, aliique, quicquid a mari Sidonio ad Imperii Assyrii sedem extendebatur Assyriam dixere, et incolas Assyrios et Assures, deinde Syriam, Syrios, et Syros extulerunt. Sic Ciceroni Sardanapalus dicitur rex Syriæ, qui rex Assyriæ erat. Maroni Georg. lib. III. purpura vocatur 'Assyrium venenum,' quod Tyrium seu Syrium dicendum erat. *Mandataque castra*] Hinc Metium castrorum metatorem fuisse quidam volunt. His enim ponenda castra committebantur.

Prosequere, et Marti juvenem, Dea, trade Latino.
Nec novus hospes erit: puer his sudavit in arvis
Notus adhuc tantum majoris munere clavi:
Jam tamen et turmas facili prævertere gyro
Fortis, et Eoas jaculo damnare sagittas.
Ergo erit illa dies, qua te majora daturus
Cæsar ab emerito jubeat discedere bello?

sunt, et Dea trade juvenem exercitui Latino. Nec novus erit advena: nam his in locis adolescens meruit, tantum adhuc conspicuus dono lati clavi; et tamen ea ætate superabat facili gyro omnes equites, et vincebat jaculo sagittarios Orientales. Ergo illud tempus veniet, quo Cæsar revocabit te emeritum a bello, collaturus tibi ampli-

in fecerunt *M.*—125 Parm. *pervertere;* ceteræ omnes *prevertere* vel *prævertere.* —127 Vet. Lindenbrogii, *majora daturas.*—129 *Hoc nos* in eadem et Rom.

NOTÆ

122 *Et Marti trade Latino*] Eo loquendi modo, innuit Papinius Metium missum fuisse, ut præficeretur tanquam tribunus laticlavius legioni Romanæ, quæ hæc loca servabat.

123 *Nec novus hospes erit*] In his enim locis militaverat ac meruerat Metius. *His* [*hic*] In his locis.

124 *Majoris clavi*] Tunicarum duo genera erant, cum clavis unum, simplex alterum: hæcque tunica 'asema' vocatur Lampridio in Alexandro Severo. Clavi autem vel lati vel angusti erant: latum ferebant omnes, qui vel patre senatore vel equite nati erant, idque ab anno ætatis 17. quo virilis toga sumebatur, curiæque interesse poterant ex Augusti instituto, qui liberis senatorum, ut refert Suetonius Augusto cap. 38. 'Quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus virilem togam latum clavum induere et curiæ interesse permisit.' A qua consuetudine Ovidius: 'Liberior fratri sumta mihique toga est. Induiturque humeris cum lato purpura clavo.' Hunc ferebant usque ad ætatem Senatoriam. Iidem ergo 'Laticlavii,' iidem 'capescendis honoribus destinati.' Tacitus: 'Fabianus capescendis honoribus destinatus.' Sin autem Senatoriam dignitatem non adipiscerentur, vel quia nollent, otium honoribus præferentes, aut quia non possent, favore destituti, lato clavo deposito, angustum sumebant. Instituit tandem Alexander Severus, ut Senatorum propria esset tunica laticlavia: Equitum angusticlavia. Antea enim sumsisse equites latum clavum certum est ex hoc Ovidii loco. Erant et tribuni militum, alii laticlavii, alii angusticlavii, hique minoris dignitatis, alii majoris, et ex hoc loco constat Metium Tribunum legionis fuisse.

126 *Et Eoas jaculo damnare sagittas*] Id est, jaculo prævertere *sagittas Eoas*, seu Orientales. Et hoc erat signum summæ dexteritatis, ac ingentis roboris in brachio, vincere jaculo, quod manu emittebatur, *sagittas*, quæ arcu emittebantur a populis sagittandi peritissimis, ut erant Orientales.

128 *Emerito*] Emeriti dicebantur milites, qui tempore legibus præstituto arma tulerant.

At nos hoc iterum stantes in littore vastos
Cernemus fluctus, aliasque rogabimus auras.
O tum quantus ego! aut quanta votiva movebo
Plectra lyra! cum me magna cervice ligatum
Attolles humeris, atque in mea pectora primum
Incumbes e puppe novus, servataque reddes
Colloquia, inque vicem medios narrabimus annos:
Tu, rapidum Euphraten, et regia Bactra, sacrasque

ora munera? At nos denuo stantes in hoc littore spectabimus vastum mare, et rogabimus alios ventos. Quanto gaudio tunc perfundar, et quanto carmine celebrabo optatissimum reditum tuum, cum me attolles pendentem collo tuo, et injicies te in pectus meum, vix navi egressus, et narrabis mihi, quæ mihi dicenda reservaveras, ac referemus nobis invicem, quid nobis contigerit medio tempore. Tu memorabis rapidum Euphratem, et regia Bactra, et sanctas divitias veteris Baby-

Ac nos Parm. *Hac nos* Venet. 1. Omnes edd. testantur *vastos;* Marklandus tamen ita scribit: 'Ineptissimum huic loco epitheton; quippe vasti fluctus tempestatem efficiunt: et si non effecerint tempestatem, tamen tam contra Metium in Italiam navigantem, quam pro illo esse possunt. Dixisse debuit: Cernimus fluctus 'in Italiam qui bene vela ferant,' ut Propertius IV. 3. (40.). Nimirum cum in Syriam navigaturus esset Metius, oravit Nereidas Statius ut 'inclinarent fluctus in Ortus,' vs. 33. jam in Italiam redeunti optat alios fluctus, et alias auras diversas a prioribus. Scripsit Statius: *Hoc nos hoc iterum stantes in littore, versos Cernemus fluctus, aliasque rogabimus auras?* nihil certius. Et hoc quoque in contextum ex ima pagina admittas velim, lector.' In hoc vero Marklando, quamvis in ceteris, non obtemperaverunt editores Bipontini.—135. 136 Hi duo versus ad unum redacti sunt in ed. vet. Lindenbrogii et Rom. hoc modo: *Colloquia, inq; vicem Euphraten, Bactra sacrasque;* et in Parm. ita: *Colloquia inque vicem Euphraten et bactra sacraque.* Nostram

NOTÆ

130 *Aliasque rogabimus auras*] Ut enim proficiscenti amico in orientem optaverat auras quæ illum veherent in Orientem, sic pro redeunte in patriam alias auras est rogaturus; non enim eædem esse poterant.

131 *Quantus ego*] Id est, quanto gaudio afficiar. *Aut quanta votiva movebo Plectra lyra*] Id est, quot versus faciam; voveram enim Diis pro felici tuo reditu.

133 *Attolles humeris*] Tuis scilicet. Ex quo constat Metium Papinio proceriorem fuisse, si Papinium collum suum amplexantem suis humeris erigeret.

134 *Novus*] Potest explicari etiam, mihi a longo tempore non visus.

135 *Inque vicem medios narrabimus annos*] Id est, narrabimus invicem, quæ intermedio tempore fecerimus, aut quæ nobis contigerunt.

136 *Euphraten*] Euphrates fluvius Mesopotamiæ, vide Theb. VII.

Regia Bactra] *Bactra, Bactrorum,* urbs, caput Bactrianæ Asiæ majoris regionis, cujus incolas Bactrios vocant Pomponius et Stephanus, Bactros Dionysius. His locis imperasse Zoroastrem magicæ artis inventorem produnt. Urbs nomen sumsit a Bactro fluvio, cum antea Ariaspe voca-

Antiquæ Babylonis opes, et Zeugma, Latinæ
Pacis iter: qua dulce nemus florentis Idumes;
Quo pretiosa Tyros rubeat, quo purpura fuco

lonis, et Zeugma, qua arma Romana liberum iter reddunt. Referes, ubi sit sylva amœna divitis Idumeæ: quo succo pretiosa Tyros rubeat, quo purpura repetita in

lectionem testantur Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. 1. 2. Basil. 1. 2. &c.—137 Parm. *et Zeuma;* Rom. *et Zuugma.*—139 *Qua preciosa Tyros rubeat, qua purpura succo* Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Quo pretiosa Tyros rubeat, quo purpura succo* Gronov. Diatr. cap. 34. postea vero edidit *fuco.*

NOTÆ

retur. Hodie, *Bochara* dicitur. Mille urbium regnum Bactrianam tradit Trogus lib. XLI. Unde *regia Bactra* dicuntur, vel quia sedes erat regum. Bactrianam autem cum Margiana, Sogdiana, ac Sacarum regione hodie vocari Tartariam Zagathæam scribit Niger. *Sacras opes*] Ob Chaldæos Magosque, qui primi, ut referunt Græci, Orientalesque scriptores, Deorum cultum instituerunt, hominesque docuerunt res ad sacra, ritusque religionis spectantes, primique de natura et origine Deorum disseruerunt, motusque cœlestes observarunt, et, ut ait auctor Arabicus Gregorius Abulfaragius Dynastia IV. pag. 74. primi sacella, ut utar verbis Latini interpretis, construxerunt ad eliciendas siderum virtutes, et manifestandas ipsorum proprietates, et projectionem radiorum eorum in ea, inventis sacrificiorum, quæ illis congruunt, generibus, ac rituum illis peculiarium speciebus: atque ab iis prodierunt opera miranda, et conclusiones celebres ad conficienda telesmata, et id genus alia. Vide et Diogenem Laërtium, aliosque scriptores Græcos et Latinos.

137 *Antiquæ Babylonis*] Babylon urbs quondam ad Euphratem sita, nunc omnino diruta ac eversa. *Antiqua* autem dicitur, quia a Gigantibus condita, ut tradit Eupolemus: vel potius quia prima post diluvium a Nemrodo condita fuit, ut patet ex Scriptura. *Et Zeugma, Latinæ Pacis iter*] Zeugma urbs Syriæ ad Euphratem sita, ubi Alexander ponte catenis juncto trajecit exercitum. *Iter Latinæ* seu Romanæ *pacis.* Quia arma Romana hæc loca pacata reddiderant.

138 *Dulce nemus florentis Idumes*] Palmas intelligit, quas fert Idumæa. De Idumæa vide Kal. Saturn. Decembres vs. 13. *Florens* dicitur ob palmas.

139 *Quo pretiosa Tyros rubeat*] Tyros urbs Phœniciæ. Vide Theb. I. 5.10. *Pretiosa*] Ob purpuras, quas in mari Phœnicio piscabantur; unde florem illum pretiosum tingendis vestibus expetitum petebant. *Rubeat*] Quia pretiosus ille liquor nigrantis rosæ colore sublucebat. Vide Plinium lib. IX. cap. 36. 37. 38. et 39. *Quo purpura fuco Sidoniis iterata cadis*] Per *purpuram iteratam,* dibapham intelligit, id est, bis tinctam veluti, ut idem ait Plinius cap. 39. 'Magnifico impendio, qualiter nunc omnes pæne commodiores purpuræ tinguntur.'

Fuco] Fucum vocat secundam tincturam, a qua 'Dibapha' vocata. Hæc tempore Plinii in libras dena-

Sidoniis iterata cadis; quo germine primum
Candida felices sudent opobalsama virgæ:
Ast ego, devictis dederim quæ justa Pelasgis,
Quæque laboratas claudat mihi pagina Thebas.

ahenis Sidoniis; ubi primum fortunatæ plantæ stillent ex germine opobalsamum. Ast ego tibi referam, quos rogos exstruxerim superatis Pelasgis, quemve finem imposuerim Thebaidi, cui multum laboris impendi.

Ita etiam Heius. ad Claud. Rufin. I. 208.—140 *Sydoniis iterata vadis* plurimæ edd. etiam Bern. et Gevart. *cadis* habent Amstel. Gronov. et recentt. *quo germine* est ex emend. Marklandi; edd. ante illum omnes exhibent, *ubi germine.*—141 Heinsius pro *Candida* malebat *Condita.* Vide Burm. ad Ovid. Fast. I. 186. Pro *sudent* Parm. et Rom. *sudant.*—142 N. Heinsius ad Ovid. Trist. IV. 10. 80. 'matri proxima justa tuli,' pro *busta Pelasgis,* quod exhibent omnes edd. legit: *justa Pelasgis,* quod primus in textum recepit Marklandus. —143 *Quæve* Venett. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Quæque* Parm. et Rom. quod revocavit Markl. *claudet* ed. vet. Lindenbrogii et Rom. *claudit* Parm.

NOTÆ

riis mille non poterat emi: hac P. Lentulus Spinther Ædilis curulis primus in prætexta usus, improbatus est. *Sidoniis cadis*] 'Tyrium ahenum' vocat Poëta Epith. Stellæ. Et *cadis* dicit abusive pro ahenis seu quibuslibet vasis. *Cadus* enim erat fictilis.

141 *Candida felices sudent opobalsama virgæ*] Per *felices virgas* intelligit Balsamum. De quo Plinius lib. XII. cap. 25. 'Sed omnibus,' ait, 'odoribus præfertur balsamum, uni terrarum Judææ concessum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, altero jugerum 20. non amplius, altero pauciorum. Ostendere arbusculam hanc urbi Imperatores Vespasiani: clarumque dictu, a Pompeio Magno in triumpho arbores quoque duximus. Servit nunc hæc, et tributa pendit cum sua gente ... Sæviere in eandem Judæi, sicut in vitam quoque suam: contra defendere Romani, et dimicatum pro frutice est. Seritque nunc eam fiscus: nec unquam fuit numerosior, aut procerior ... Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis: ferro lædi vitalia odit, emoritur protinus; eadem amputari supervacua patiens... Succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiæ, sed tenui gutta ploratu, lanis parva colligitur in cornua: ex iis novo fictili conditur, crassiori similis oleo, et in musto candida: rubescit deinde, simulque durescit e translucido. Alexandro magno res ibi gerente, toto die æstivo unam concham impleri justum erat.' Hæc Plinius, quem vide.

142 *Ast ego, devictis dederim quæ justa* [*busta*] *Pelasgis*] Proficiscente Metio nondum absolverat Thebaidem Papinius: dicit ergo se dicturum amico, ubi redierit, quomodo tandem Pelasgi devicti ad Thebas sepulcra obtinuerant, ope et armis Thesei. Vide Theb. XII. sub finem.

143 *Laboratas Thebas*] Id est, Thebaidem, seu carmen Epicum de bello Thebano.

III. LACRYMÆ CLAUDII ETRUSCI.†

Hetrusci pietatem celebrat, qui patrem mortuum veris lacrymis deflevit.

Summa Deum Pietas, cujus gratissima cœlo
Rara profanatas inspectant numina terras,
Huc vittata comam, niveoque insignis amictu,
Qualis adhuc præsens, nullaque expulsa nocentum
Fraude, rudes populos atque aurea regna colebas,
Mitibus exequiis ades; et lugentis Etrusci

Suprema Pietas Deorum, cujus gratissimum numen raro contemplatur de cœlo sceleratas terras, huc veni capillo vittis ornato, et conspicua candida veste, qualis eras aureo sæculo, cum nondum fugata malorum flagitiis, habitabas adhuc inter simplices populos, ut adsis huic placido funeri, et vide pias lacrymas flentis Etrusci,

Notat Gronovius in codd. Rhod. et Salisb. titulum hujus Eclogæ concipi: *Consolatio ad Claudium Etruscum:* et ita Parm. Vide Præf. *Lachrymæ Hetrusci* edd. vett. 'Utcumque sit certe vox *Claudii* addenda est titulo Eclogæ: et ita edidi: *Lacrimæ Claudii Etrusci.*' Markl.—3 *Nunc vittata comas* Parm. *Nunc vittata coma* Rom. et vet. Lindenbrogii; *Huc vittata comam* Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c.—4 Ed. vet. Lindenbrogii et Rom. *nocentem.* —6 *Hetrusci* in edd. vett.—15 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent.

NOTÆ

† *Lacrymæ Etrusci*] Bini scripti habent: *Consolatio ad Claudium Hetruscum.*

1 *Summa Deum Pietas*] Pietas proprie obsequium in parentes et horum vicissim in liberos caritas, omneque officium, quod sanguinis propinquitas exigit. Hanc Deam esse finxerunt veteres, primisque sæculis in terris esse moratam, tandemque fugatam impietate hominum, in cœlum se recepisse. Hanc cum Justitia confundere videtur Theognis hoc disticho aureo: Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποις πατρὸς καὶ μητρὸς ἄμεινον, Ἔπλεθ' ὅσοις ὁσίης, Κύρνε, μέμηλε Δικῆς. *Inter mortales nihil melius est patre ac matre, his quibus cura est sanctæ Justitiæ.*

Gratissima cœlo numina] Ea enim, docente Hesiodo. Κυδνή τ' αἰδοίη τε θεοῖς οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι. *Veneranda caraque Diis, qui Olympum habitant.*

2 *Rara*] Pro raro. Sic Virgilio: 'Æneas se matutinus agebat,' id est, mane. Et hoc dicit, quia raro liberi grati in parentes inveniuntur.

3 *Huc vittata comam, niveoque insignis amictu*] Non hic conciliandus Papinius cum se ipso, quod pluribus in locis dicat depositas in luctu vittas, indutamque pullam vestem. Nec hic quærendum an fœminæ in luctu vestem nigram, aut albam gestaverint. Hoc enim nihil facit ad propositum. Quia Poëta non habuit hic oculos ad luctum, ut optime observat Bernartius ad hunc locum, sed ad solennem Deæ cultum, quam non tam invitat ad funus, quam ad spectandam Etrusci pietatem, quæ sola in terram revocare illam potest: ideo Deam vult eo cultu venire, quo aureo sæculo uti solebat, ut hic dicitur.

Cerne pios fletus, laudataque lumina terge.
Nam quis inexpleto rumpentem pectora questu,
Complexumque rogos, incumbentemque favillis
Aspiciens, non aut primævæ funera plangi
Conjugis, aut nati modo pubescentia credat
Ora rapi flammis? pater est, qui fletur: adeste
Dique hominesque sacris: procul hinc, procul ite nocentes;
Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus
Longa patris; si quis pulsatæ conscius umbram
Matris, et inferna rigidum timet Æacon urna.
Insontes, castosque voco: tenet ecce seniles

et terge laudatos oculos. Nam quis est qui videns illum tundentem pectus inexhausto luctu, et tenentem pyrum, et incumbentem flammis, non putet vel lugeri mortem teneræ uxoris, aut filium modo pubescentem ignibus cremari? Genitor est, qui ploratur. Assistite numina mortalesque his sacris. Longe hinc, profani, longe hinc recedite: si cui occultum scelus est in animo, et si cui senectus longævi genitoris sui nimium videtur longa, si quis sibi conscius est verberatæ matris, et metuit infernam urnam severi Æaci. Appello innocentes et sceleris puros. Ecce Etruscus

Aldd. Colin. Gryph. Basil. ceteræ: *unquam.* 'Supra ad Herc. Surrent. notavi vocem *unquam* sæpe otiosam esse, et παρέλκειν· removeamus igitur eam parumper; et constructio erit: *Si quis conscius pulsatæ matris et timet Æacon rigidum inferna urna.* Quare 'et timet?' oportuit: *Si quis conscius pulsatæ matris timet Æacon,* non *et timet;* nisi dicas verbum substantivum intelligi in priori membro: *Si quis conscius est pulsatæ matris, et timet Æacon.* Sed omnino frigidum est illud *unquam.* Scripsit Statius: *si quis pulsatæ conscius umbram, &c.*' Markl.—16 Pro *rigidum* Parmensis habet *regidum;* vet. Linden-

NOTÆ

7 *Laudata*] Ob pias lacrymas, quas fundebat Etruscus in funere patris.

8 *Rumpentem pectora questu*] Ut fit singultibus crebris ac frequentibus concutientibus, ac velut rumpentibus pectus.

13 *Sacris*] Funeribus scilicet. *Procul hinc, procul ite nocentes*] Suetonius scribit in Eleusiniis sacris impios sceleratosque voce præconis summoveri solitos, et Lampridius, proclamari solitum, ut nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem novit: hinc translatæ illæ formulæ, 'procul, o procul profani,' ἑκὰς, ἑκὰς ἔστε βέβαλοι, et ἑκὰς, ἑκὰς ὅστις ἀλιρός.

15 *Si quis pulsatæ conscius umbram matris*] Virgilius Æneid. VI. 'Pulsatusve parens.' Vide Phædonem Platonis, ubi describitur pœna, qua afficiebantur ii qui pulsaverant, occiderantve parentes.

16 *Æacon*] Æacus judex Inferorum, cui assessores dantur Minos et Rhadamanthus. *Urna*] Judicum enim erat urna. Vide Theb. IV. 530.

17 *Insontes, castosque voco*] Vide supra vs. 13. Cicero de Legibus lib. II. 'Caste jubet adire ad Deos, animo videlicet in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis: sed hoc

Leniter applicitos vultus, sanctamque parentis
Canitiem spargit lacrymis, animæque supremum
Frigus amat: celeres genitoris filius annos,
(Mira fides) pigrasque putat properasse sorores.
Exultent placidi Lethæa ad flumina manes,
Elysiæ gaudete domus: date serta per aras,
Festaque pallentes hilarent altaria lucos.
Felix, heu nimium felix, plorataque nato
Umbra venit: longe Furiarum sibila, longe
Tergeminus custos: penitus via longa patescat

leniter amplectitur faciem senis, et perfundit lacrymis sacram canitiem patris, et diligit exanimatum et frigidum corpus. Filius credit ætatem patris velociter effluxisse (mirum) et atras sorores festinasse. Lenes umbræ lætentur in fluviis Lethes. Ædes Elysiæ exultate. Spargite flores super aras, et ornata altaria recreent pallidos manes. Fortunati, heu nimium fortunati manes, et defleti a filio adveniunt. Procul sibila furiarum, procul triceps janitor. Latum iter pateat egregiæ umbræ: vadat

brogii et Rom. *regimen.*—18 *Leniter implicitos* Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Leniter implicitus* legendum jubet Barthius; *Leniter adplicitus* Markl.—21 N. Heins. ad Sil. Ital. III. 96. et Ovid. Met. IV. 470. pro *nigras* legit *pigras;* ut sensus sit: Quamvis *pigræ* fuerint Parcæ, tamen ea est filii pietas ut eas *properasse* putet. Pro *putat* Venet. 1. habet *ferat.* —24 'Pro *et nimium felix*, lege: *heu nimium felix.* Scriptum erat *eu* pro *heu*, ut *ei* pro *hei* passim in codd. unde nihil proclivius quam ex *eu* facere *et*.' Markl. Sed ita longe antea ediderat Lindenbrogius ex ed. vet. eumque secutus est Cruceus, quorum editiones ante oculos habuerat Marklandus.—

NOTÆ

oportet intelligi, cum multum animus corpori præstet, observeturque, ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis.'

21 *Pigras sorores*] Parcas.

23 *Date serta per aras*] Aræ enim coronabantur ex recepto more in publica privataque lætitia. Apuleius Florid. I. 'Aut ara frondibus redimita.' Tertullianus de Corona Militis: 'Ipsæ hostiæ, et aræ, ipsi ministri coronantur.' Et hinc confirmatur conjectura Bernartii supra, velle Papinium non lugere, sed gaudere tam inferos quam superos; et velut Pietatem alba veste invitarat, ita hic aras vult coronari Poëta.

24 *Pallentes*] Tam propter pallorem manium, quam per se. In Epiced. Glauciæ: 'Steriles ramos, ... et obtuso pallentes germine flores.'

25 *Plorataque nato Umbra venit*] Carorum enim gratissimas lacrymas habebant manes, felicesque se existimabant, si fusis lacrymis propinqui suas exequias prosecuti essent.

26 *Furiarum sibila*] Ob serpentes, quibus vice capillorum Furiæ cincta habebant capita, et quibus impios ac nocentes vexare solebant.

27 *Tergeminus custos*] Cerberus triceps qui servare dicitur fores Inferorum.

Manibus egregiis: eat, horrendumque silentis
Accedat domini solium, gratesque supremas
Perferat, et totidem juveni roget anxius annos.
Macte pio gemitu! dabimus solatia dignis
Luctibus, Aoniasque tuo sacrabimus ultro
Inferias, Etrusce, seni: tu largus Eoa
Germina, tu messes Ciliciumque Arabumque superbis
Merge rogis: ferat ignis opes hæredis, et alto
Aggere missuri nitido pia nubila cœlo
Stipentur cineres: nos non arsura feremus

et appropinquet terribili solio taciti regis et perferat supremas gratias, et solicitus pater ab illo petat juveni parem numerum annorum. Macte gemitu pio, solabimur digne tuum dolorem, et libenter, Etrusce, celebrabimus funebri carmine tuum patrem. Tu prodiga manu injice magnificæ pyræ orientalia aromata, et divites segetes Arabiæ ac Ciliciæ. Flamma rapiat divitias hæredis: cineres densentur celso cumulo, exhalaturi pium vaporem in lucidum aërem. Nos non apportabimus cremanda dona,

30 Vet. Lindenbrogii, Parm. et Rom. habent, *Præferat.*—31 Pro *dignis* Marklandus mallet *magnis;* ut Sylv. v. 3. 'Da vocem magno, pater, ingeniumque dolori.' Vide Heins. ad Ovid. Fast. III. 9.—32. 33 Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *æternasque ultro sacrabimus umbris Inferias Hetrusce senis.* 'Licet hoc augurari Poëtis. Sed satis, post paulo dici: hic libri veteres aliud requirunt. Venet. 2. *autaoniasque tuo s. ultro Inferias Etrusce seni.* Rhod. *animasque;* sed, *tuo s. ultro Inferias Etrusce seni*, et ipse et Excerpta Lindenbrogii. Salisb. integre: *Luctibus, Aoniasque tuo sacrabimus ultro Inferias, Etrusce, seni.* Quæ vera et elegantissima scriptura est. *Aoniæ inferiæ*, carmen funebre.' *Gronov.* Rom. et Parm. exhibent: *æternasque ultro sacrabimus umbras Inferias, Hetrusce seni.*—34 Alii: *tu messes Ciliciumque Arabumque superbas;* alii *supremis*, sed vide Bentl. ad Hor. II. Od. 14.—35 'Heinsius ad Ovid. Pontic. I. 9. 52. legit *Verge rogis:* et ita ego dudum conjeceram; sed monere insuper habui, propter locum Theb. VI. 225. 'seu fræna libet, seu cingula flammis Mergere.' et Epiced. Puer. 19. 'Immersit cineri juvenem.' Nihil igitur muto.' *Markl.*—37 Jortinus Nostras pro *Stipentur cineres* legeret,

NOTÆ

28 *Horrendumque silentis domini*] Plutonis, cujus silentium multum horroris admixtum habet.

29 *Gratesque supremas Perferat*] Ob exequias a filio sibi factas; nihil enim amplius manes optare possunt.

30 *Juveni*] Etrusco filio ob pietatem suam erga patrem. *Anxius*] Quia ægre a Plutone quid impetratur.

32 *Aonias Inferias*] Carmen funebre.

33 *Seni*] Patri seni. *Eoa Germina*] Costum intelligit.

34 *Messes Cilicum*] Innuit crocum Coricium e monte Coricio Ciliciæ, cui prima nobilitas erat, ut ait Plinius. *Arabumque*] Designat thus, ac myrrham. Nam cariora aromata, pretiosioraque unguenta injiciebantur rogis, ut sæpius observavimus. *Superbis*] Ob tam pretiosa munera.

36 *Pia*] Id est, pietatem filii in patrem testantia.

Munera; venturosque tuus durabit in annos,
Me monstrante, dolor: neque enim mihi flere parentem
Ignotum, et similes gemui projectus ad ignes.
Ille mihi tua damna dies compescere cantu
Suadet; et ipse tuli, quos nunc tibi confero, questus.
Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis
Linea, nec proavis demissum stemma: sed ingens
Supplevit fortuna genus, culpamque parentum
Occuluit: neque enim dominos de plebe tulisti;

tuusque luctus permanebit usque in futura sæcula, me hunc celebrante. Neque enim mihi ignotum est plorare genitorem: dolui prostratus eodem modo ad parem rogum. Ille lugubris dies docet me lenire versibus tuum dolorem, et ipse feci querimonias, quas nunc tibi confero. Non quidem, senex lenissime, illustris est series tui generis, nec a majoribus deducta nobilitas: sed magna fortuna vicem tenuit natalium, et texit humilitatem parentum. Neque enim habuisti plebeios heros; sed hos quibus Oriens



Ditentur cineres; quod improbat Burmannus.—40 'Clara res est scribendum: *similem gemui projectus ad ignem.* Post Epicedion ergo Patris, scriptum hoc Carmen, ut alia libri quinti priora ordine præcedentibus.' *Barth.* Pro *gemui* Rom. *geminumque;* Parm. et vet. Lindenbrogii, *geminum.* Pro *similes* multi *similis.*—44 Parm. *demissum stegma.*—49. 50 Edd. vett. *vice cuncta geruntur;*

NOTÆ

37 *Nos non arsura feremus Munera*] 'Vatum non irrita currunt Auguria,' et omina, inquit noster Protreptico ad Crispinum; nam illo celebrante, *venturos durabit in annos* pietas Etrusci filii, lausque Etrusci patris. Moris autem, erat, ut propinqui amicique injicerent rogis munera. Theb. VI. 126. 'Portant inferias arsuraque fercula primi Graiorum.'

40 *Similes* [*similis*] Id est, simili dolore affectus ac tu. Quidam legunt *similem,* id est, ad parem ignem.

41 *Ille dies*] Exequiarum scilicet patris mei.

42 *Et ipse tuli, quos nunc tibi confero, questus*] Felicitas, ait Gronovius, Papinii perpetua in quavis re propria ac sua phrasi exprimenda. Tales, 'ferre,' 'conferre' de muneribus functo vel rogo donatis. Hic supra: 'Nos non arsura feremus munera.' In Epicedio in Patrem: 'Quæ lamenta tuli.' Sic infra: 'Collatæque pyram struxere pharetræ.' Ut legit idem Gronovius. Epiced. in Glauciam: 'Egomet cantus et verba medentia sævus Confero.' Non ut vulgo habetur, 'consero.' Ita Petronio 'rogus inimicis manibus collatus.' Tertullianus Apolog. 'Quid omnino ad adorandos eos [Deos] facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis?'

44 *Demissum stemma*] Stemma proprie de iis familiis dicebatur, quæ jus imaginum habebant, id est, quæ erant nobiles ac patriciæ.

45 *Culpamque parentum*] Culpa non hic crimen significat, sed humilitatem generis.

Sed quibus occasus pariter famulantur et ortus.
Nec pudor iste tibi: quid enim terrisque poloque
Parendi sine lege manet? vice cuncta reguntur,
Alternisque regunt: propriis sub regibus omnis
Terra: premit felix regum diademata Roma;
Hanc ducibus frænare datum: mox crescit in illos
Imperium Superis: sed habent et numina legem:
Servit et astrorum velox chorus, et vaga servit
Luna, nec injussi toties redit orbita solis.
Et (modo si fas est æquare jacentia summis)
Pertulit et sævi Tirynthius horrida regis

et Occidens æque serviunt; nec hoc tibi dedecori est: quid enim in cælo est et in terra, cui non imposita sit parendi necessitas? Omnia gubernantur alternis, et vicissim regunt. Omnis tellus suos reges habet. Beata Roma calcat coronas regum; concessum est imperatoribus hanc regere: mox in ipsos est imperium Deorum. Sed et ipsi Dii legibus tenentur. Et turba siderum famulatur, et errabunda luna famulatur, nec currus solis toties revertitur, nisi ex imperato. Et modo (si licet comparare altis humilia) et Tirynthius sustinuit dura imperia crudelis tyranni,

ceteræ: *vice cuncta reguntur Alternisque premunt.* 'Quis non statim videt Papinium scripsisse: *Alternisque regunt?* Librarius conjecerat oculos in versum proxime sequentem: *premit felix, &c.* unde hanc vocem repetivit.' Ita Marklandus: sed antea Barthius: 'Puer videat legendum: *reguntur.* Et sic recte editum Gevartio. Turpiter aliæ editiones illud (*geruntur*) præferunt. Placet quod doctissimi homines emendandum censuerunt: *Alternisque regunt,* cum vox illa mox sequatur. Visum id Joanni Levineio ad Panegyricum Plinii, et nescio cui alteri. Vide et Hug. Grotii Commentaria de Jure Belli.'—51 'Virg. Æn. I. (57.) 'Tempestatesque sonoras Imperio premit, et vinclis ac carcere frænat.' Non ergo mutandum in *tremit,* quod voluit Joannes Isacius (Pontanus) Analect. II. 13.' *Barth.*—52 Joannes Meursius in Notis ad Arnob. lib. II. cap. 2. corrigendum putavit: *mox cessit.*—55 Parm. *nec invissæ toties redit orbita lucis;* Venett. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *nec injussæ toties redit orbita lucis.* Lectio nostra est ex emendatione Marklandi.—57 'Depravatio latet sub *τοῖς et sævi:* forte scripsit:

NOTÆ

47 *Sed quibus occasus pariter famulantur et ortus*] Id est, Imperatores, quibus oriens et occidens pariter servit.

50 *Propriis sub regibus omnis Terra, &c.*] Imitatio Horatiana III. Od. 1. 'Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Jovis.'

53 *Sed habent et numina legem*] Id est, fata supra se, quibus obstringebantur ipsi Dii, ut credebant veteres.

54 *Servit et astrorum, &c.*] Serviunt enim luna, sol, astraque. Motu enim eorum mundus regitur iste inferior, et alimenta subministrantur animalibus.

57 *Tirynthius*] Hercules. *Regis*] Eurysthei, cui parere jussus ab ora-

Pacta, nec erubuit famulantis fistula Phœbi.
Sed neque barbaricis Latio transmissus ab oris:
Smyrna tibi gentile solum, potusque verendo
Fonte Meles, Hermique vadum; quo Lydius intrat
Bacchus et aurato reficit sua cornua limo.

nec fistula Phœbi erubuit servire. Verum non tu transvectus es Romam a Barbaris plagis. Smyrna tibi patria est, et bibisti venerandas aquas Meletis, et Hermi, quo Lydius Bacchus ingreditur, et restaurat sua cornua in aureo ejus limo. Deinde



Pertulit Eurysthei Tirynthius horrida regis, ex Virgil. VIII. 291. 'ut duros mille labores Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ, Pertulerit.' Placet hoc, et verum puto; est enim manifesta allusio ad locum Virgilii. Posses etiam legere et facile defendere *Argivi* pro *et sævi*; sed mihi alterum multo impensius placet, propter locum Virgilii. Scio Gronovium Diatr. cap. 20. defendere repetitionem conjunctionis in hoc loco. Sed si hoc admittatur, quomodo defendetur ambiguum istud *sævi regis?* nisi probari possit τὸ *sævi regis* necessario designare *Eurysthea:* quod quis dixerit? Sed falsum videtur quod sequitur, *horrida regis Pacta;* non enim Eurystheus ad *Pacta* descendebat; non tam bene cum Hercule actum fuit: sed merus rex fuit et jubebat. Val. Flac. I. 113. Senec. Herc. Fur. 40. 78. 479. Justin. II. 4. Claud. Bell. Get. 377. Martial. IX. 66. Ex his locis non *Pacta* sed *Jussa* Eurystheos agnoscis. Totum igitur locum sic lege: *Et* (*modo . . . summis*) *Pertulit Eurysthei Tirynthius horrida regis Jussa.* Nihil tamen in contextu muto propter istud initio Thebaidos: 'Sidonios raptus, et inexorabile pactum Legis Agenoreæ.' *Markl.*—61 Heinsius in scriptis codd. invenit: *Fonte Melas.* Vide Adv. I. 8. p. 79. Idem in curis secundis ad Ovid. Met. II. 247. citat: *quod Lydius intrat*, ut se conjecisse ait Marklandus. *Heremique vadum, quo Lydius intrat*

NOTÆ

culo Hercules. Labores autem Herculis omnibus notissimi.

58 *Nec erubuit famulantis fistula Phœbi*] Phœbus enim seu Apollo pavit armenta regis Admeti. *Fistula*] Fistula propria pastorum. Alias ipse Apollo musices inventor.

59 *Barbaricis ab oris*] Quia Smyrna, ut versu sequenti dicitur, erat patria Etrusci, et colonia Græcorum. Romani autem Græcos, barbaros non vocabant.

60 *Smyrna*] Smyrna, urbs Ioniæ Melete amne irrigata, Homeri, ut vulgo creditur, patria. Variant de conditore: quod patet ex Tacito Ann. IV. 'At Smyrnæi,' ait, 'repetita vetustate, seu Tantalus Jove ortus illos, sive Theseus et ipse divina stirpe, sive Amazonum una condidisset.' Velleius lib. I. ait ab Æolis conditam. *Potusque verendo Fonte Meles*] Meles fluvius prope Smyrnam. *Verendo*] Propter Homerum, quem ad hujus fluvii ripam natum esse perhibent; vel quia fontes sacri.

61 *Hermique*] Hermus fluvius Lydiæ. Vide Epith. Stella, vs. 127. *Quo Lydius intrat Bacchus*] Bacchus *Lydius* dicitur, quia in Lydia religiose colebatur.

62 *Et aurato limo*] Hermus enim aureas arenas volvere traditur. *Reficit sua cornua*] Diodorus Siculus hæc de Baccho refert. Sunt qui dicant Hammonem parva habuisse cornua natura in utroque tempore: ideo filium ejus, Dionysium seu Bacchum eadem fuis-

Læta dehinc series, variisque ex ordine curis
Auctus honos; semperque gradus prope numina, semper
Cæsareum coluisse latus, sacrisque Deorum
Arcanis hærere datum: Tibereia primum
Aula tibi, vix dum ora nova mutante juventa,
Panditur: hic, annis multa super indole victis,
Libertas oblata venit: nec proximus hæres,
Immitis quanquam et furiis agitatus, abegit.
Hunc et in Arctoas tenuis comes usque pruinas
Terribilem affatu passus visuque tyrannum

florens vitæ tuæ cursus fuit, et fortuna gradatim crevit diversis muneribus, ac concessum est tibi hærere Diis, et stipare latus Cæsarum, et interesse sacris arcanis numinum. Regia Tiberii primum tibi patuit, cum vix juventus lanugine mutaret genas tuas. Hic, egregia indole annos superante, tibi obtigit libertas. Nec propinquus ejus successor, quanquam asper et furiosus, te ablegavit. Hunc tenuis comes usque ad Septemtrionem gelidum, tulisti tyrannum terribilem alloquio et

Parm.—64 Parm. et Rom. *semperque gradu;* J. Meursius *semperque gradi* legendum censet.—68 Marklandus conj. *magna super indole;* vel, *pulchra super indole.* ‘Vocula *super* otiosa hic quodammodo est, si non mendosa.’ *Burth.*—71 *Hinc et in Arctoas* Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii, quod ille receperat. —72 *Terribilem effatu* Rom.—75 Lindenbrogius conjecerat: *multa vivere*

NOTÆ

se forma: posterisque transmissum hunc parva cornua habere.

64 *Semperque gradus*] *Gradus,* βαθμὸς Græce, dignitas, supple fuit. *Numina*] Imperatores, qui post mortem in album Deorum inscribebantur.

65 *Sacrisque*] Sic Tiberii et Imperatorum ‘sacræ occupationes.’ *Deorum*] Imperatorum, ob rationem supra allatam.

66 *Tibereia Aula*] Id est, aula Tiberii Cæsaris, qui Augusto successit.

67 *Mutante*] Lanugine scilicet genis irrepente, ac mutante faciem ejus.

69 *Libertas oblata venit*] Id est, manumissus fuit a Tiberio Etruscus. *Nec proximus hæres*] Caligula.

70 *Quanquam et furiis agitatus*] Suetonius Caligula cap. 50. ‘Creditur (Caligula) potionatus a Cæsonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verteret.’

71 *In Arctoas pruinas*] Tangit expeditionem Germanicam, quam Caligula suscepit de improviso, neque distulit, sed illo contendit, dilectibus acerbissime ubique actis. Vide Suetonium in Caligula.

72 *Terribilem affatu passus*] Ut cui semper eadem factorum dictorumque sævitia aderat: nam illud tragicum subinde jactabat: ‘oderint, dum metuant.’ *Tyrannum*] Suetonius Caligula: ‘Vultum vero natura horridum ac tetrum etiam ex industria efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem.’

Immanemque suis, ut qui metuenda ferarum
Corda domant, mersasque jubent jam sanguine tacto
Reddere ab ore manus, et nulla vivere præda.
Præcipuos sed enim merito subvexit in actus
Nondum stelligerum senior dimissus in axem
Claudius, et longo transmisit habere Neroni.

aspectu, ac crudelem erga suos, ut qui subigunt formidabiles feras, et illis imperant dimittere manus insertas faucibus, jam gustato cruore, et vivere nulla rapina. Deinde longævus Claudius nondum emissus in astriferum cœlum, jure te evexit ad præcipua munera, et te reliquit diu habendum suo nepoti. Quis minister Superorum, dicitur



præda.—76 Parm. Venett. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *surrexit in actus;* Rom. *surrexit in arcus;* vet. Lindenbrogii: *surrexit in arctus;* Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. &c. *subrexit in actus;* quam lectionem defendit Gronovius Diatr. cap. 38. Heinsius vero ad Claud. Epithal. Pall. et Celer. 83. legit: *subvexit in actus;* quod in textum recepit Marklandus.—77 Edd. vett. *demissus;* Gronovius Elench. Antidiatr. p. 105. *dimissus;* postea vero in Reliq. ad Sylv. p. 371. suspicabatur *emissus.*—78 Edd. vett. *et longo transmittit habere nepoti.* Gevartius conj. *longum transmisit;* Cruc. *largo.* 'Successores Claudii videtur *nepotes* appellare: alioquin neque *Nero* nepos Claudii, sed privignus.' *Burth.* 'Pro *transmittit* primo legendum est *transmisit,* sumtum nempe ex Virgil. Æn. III. 329. Sed quis est *longus nepos* Claudii, cui transmittebatur Etruscus? nullos enim, quos scio, *nepotes* habuit Claudius; nisi si filia Antonia quæ Cn. Pompeio, deinde Fausto Syllæ nupta erat, aliquos tulerit: Octavia enim, quam Nero in matrimonio habuit, ab eodem ut sterilis dimittebatur, de quo vide Sueton. Ner. cap. 35. et Tacit. An. XIV. 60. Lege: *Et longo transmisit habere Neroni:* et de *Nerone* quidem

NOTÆ

73 *Immanemque suis*] Fratrem enim plurimosque propinquorum interfecit, sororesque exilio mulctavit.

74 *Jam sanguine tacto*] Quod difficilius. Ut enim semel feræ hominum degustaverint sanguinem, difficilius mansuescunt, ut canit etiam Lucanus lib. IV. 'Sic ubi desuetæ sylvis in carcere clauso Mansuevere feræ, et vultus posuere minaces, Atque hominem didicere pati: si torrida parvus Venit in ora cruor, redeuntque rabiesque furorque, Admonitæque tument gustato sanguine fauces: Fervet, et a trepido vix abstinet ira magistro.'

76 *Subvexit* [*surrexit*] A surrigo, pro extulit.

77 *Senior dimissus in axem*] Notum illud: 'in cœlum descendere jussit,' quodque huic geminum ex Seneca affertur. Sed Satira multum aliena ab ingenio Papinii: non enim decenter jocaretur de Claudio, qui Etruscum dignitate auxerat; nam quod de feritate Caligulæ dixerat, in eo maxime commendatur Etrusci prudentia. Posset et legi *emissus.* Epicedio in patrem: 'Seu membris emissus in ardua tendens.' Nec ratio versus repugnat. Virgilius: 'Ubique pavor et plurima mortis imago.' Rursumque: 'Et furiis agitatus amor, et conscia virtus.'

78 *Claudius*] Claudius Germanici frater, successor Caligulæ in imperio. *Longo*] Gevartius correxit *longum,* supple tempus, et junxit cum habere.

Quis Superos metuens pariter tot templa, tot aras
Promeruisse datur? summi Jovis aliger Arcas
Nuntius: imbrifera potitur Thaumantide Juno:
Stat celer obsequio jussa ad Neptunia Triton:
Tu toties mutata ducum juga rite tulisti
Integer, inque omni felix tua cymba profundo.
Jamque piam lux alta domum, præcelsaque toto
Intravit Fortuna gradu: jam creditur uni

tot Diis operam præstitisse? Arcas alatus nuntius est supremi Jovis. Pluviosa Thaumantis filia Junoni famulatur. Triton promtus est ad obsequendum jussis Neptuni. Tu vero rite tulisti imperium tot diversorum dominorum illæsus, et tua phaselus feliciter enatavit in omni mari. Jamque ingens splendor et sublimis fortuna subiit toto gradu pias ædes tuas. Jam uni committitur dispositio sacrarum divi-

certi sumus ex sensu et ordine narrationis: primum, inquit, Tiberii aula tibi patuit; nec abegit Caligula proximus hæres; sed in actus præcipuos subvexit Claudius, et transmisit te successori Neroni. Nihil certius: et eodem ordine eos recenset Tacitus An. I. initio, Sidon. Apoll. v. 322. et VII. 104. Sed minime epitheton *longo* convenit *Neroni,* quæ vera est Statii scriptura. Latet aliquod Neroni proprium, et quod mores ejus exprimit; *torvo,* vel tale quidpiam: de quo tacendum usque dum exemplaria aliquid subministrent. 'fero Neroni' Protrep. Crisp. 33.' *Markl.*—79 'Conjicio: *Quis Superom famulus pariter,* &c. antiqua scribendi ratione: inde istud *Superos.* Potes etiam: *Quis Superis famulans,* &c. sed hoc, nescio qui, minus Statianum videtur. Omnino optime hoc modo scripsisset: *Cui Superum famulo,* &c.'

NOTÆ

Sed nihil mutandum. Græcismus enim est. 'Nepos habet longus' idem est, quod nepos habet longum. Virgilius: 'Æneas se matutinus agebat,' id est, mane. Propertius: 'Æternusque tuam pascat Aselle famem.' Pro æternum. *Nepoti*] Neroni. Nam Agrippina, mater Neronis, neptis erat Claudii. Porro Nero successit Claudio, et quatuordecim annis imperavit.

79 *Quis Superos metuens*] Quis est, ait, minister Deorum, qui tot Diis operam unquam præstiterit, et pariter satisfecerit, quot tu imperatoribus? nam Deorum ministri singuli singulis serviunt: tu de multis imperatoribus bene meritus es.

80 *Datur*] Id est, dicitur. 'Dare' pro dicere, ut alibi monuimus. *Aliger Arcas Nuntius*] Mercurium intelligit, in Arcadia natum, et alas habentem.

81 *Imbrifera Thaumantide*] Id est, Iride Thaumantis filia, quæ *imbrifera* dicitur, quia Iris seu arcus cœlestis denotat pluviam.

82 *Triton*] Minister Neptuni. Vide Theb. v. 707.

83 *Ducum*] Imperatorum. *Mutata juga*] Quia pluribus Imperatoribus servierat.

84 *Omni profundo*] Homines enim dum vivunt comparantur cum navigantibus; vita enim exponitur variis periculis, ut navigantes in mari.

85 *Lux alta*] Id est, dignitates, quæ illustrant familias. *Toto gradu*] Hoc denotat fortunam favisse Etrusco tantum quantum poterat.

Sanctarum digestus opum, sparsæque per omnes
Divitiæ populos, magnique impendia mundi.
Quicquid ab auriferis ejectat Iberia fossis,
Dalmatico quod monte nitet, quod messibus Afris
Verritur, æstiferi quicquid terit area Nili,

tiarum, collectæque opes per universas gentes et tributa vasti orbis. Quicquid Iberia emittit ex aurifodinis, quod splendet in montibus Dalmatiæ, quod verritur segetibus Africæ, quicquid area æstiferi Nili triturat, quodque urinator maris



Idem.—87 Idem pro *partæque*, quod omnes codd. cum Venett. 2. 3. 4. Parm. Rom. Aldd. &c. habent, ex conjectura edidit *sparsæque*. Venet. 1. præfert,

NOTÆ

86 *Jam creditur uni Sanctarum digestus opum*] *Uni*, Etrusco scilicet. Totum hunc locum imitatus est Claudianus in Panegyrico Manlii Theodori: 'Huic sacræ mandantur opes, orbisque tributa: Possessi quicquid fluviis evolvitur auri: Quicquid luce procul venas rimata sequaces Abdita pallentis fodit solertia Bessi; Unius fit cura viri, quodcumque rubescit Occasu, quodcumque dies devexior ambit.' Hic, describi præfecturam Ærarii putant. Sed huic opinioni repugnat solum epithetum, *sanctarum*, id est, sacrarum. Illud enim proprie ad Imperatorem spectat, cujus res omnes familiares solenni ac proprio vocabulo 'sacræ' vocabantur. Hinc 'sacram domum,' 'sacrum latus,' 'sacros vultus,' alibi dicit Papinius. Hoc vero potius designatur munus dispensatoris. Sic enim in constitutionibus Imperatorum vocantur, qui principum pecunias curabant, et thesaurorum administrationem habebant. Huic muneri præfecti servi libertique. Tacitus: 'Galbæ corpus, diu neglectum, et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, dispensator Argius e primoribus servis humili sepultura in privatis ejus hortis contexit.' Tempore posteriorum Imperatorum, qui ejusmodi munera exercebant, vocati sunt 'comites sacrarum largitionum,' sub quibus erant 'præfecti thesaurorum,' 'comites metallorum,' aliique. Erat et 'comes rerum privatarum' dictus; de quibus omnibus consule notitiam imperii, et Cassiodorum.

88 *Magnique impendia mundi*] Id est, tributa quæ totus orbis pendet.

89 *Iberia*] Nunc Hispania, sic dicta est ab Ibero fluvio, hodie *Ebro*. Est et altera Iberia in Asia prope pontum Euxinum et Colchidem, quæ hodie vocatur *Iveria*. *Auriferis fossis*] Aurifodinæ enim erant in Hispania, ut testatur Plinius lib. XXXIII. cap. 4. 'Ceterum,' ait, 'montes Hispaniæ aridi sterilesque, et in quibus nihil aliud gignatur, huic bono, auro, coguntur fertiles esse.' Vide eundem ibidem.

90 *Dalmatico quod monte nitet*] Idem Plinius ibidem: 'In Dalmatia repertæ sunt aurifodinæ principatu Neronis.' *Quod messibus Afris Verritur*] Feracissima enim ac fertilissima frugum Africa. Quod ostendit Plinius lib. XV. cap. 2. 'Oleum et vinum invidit tantum Africæ, satisque gloriæ in messibus fecit.'

91 *Æstiferi quicquid terit area Nili*] Per *aream Nili* intelligit frumentum quod singulis annis Ægyptus Romæ

Quodque legit mersus pelagi scrutator Eoi,
Et Lacedæmonii pecuaria culta Galesi,
Perspicuæque nives, Massylaque robora, et Indi
Dentis honos: uni parent commissa ministro,
Quæ Boreas, quæque Eurus atrox, quæ nubilus Auster

orientalis piscatur, et lanæ fœcundorum gregum Galesi Lacedæmonii, et pellucida crystalla, mensæ citreæ ex Massylia adductæ, ac pretiosi dentes Indi elephanti. Uni creduntur ministro, quæ Aquilo, quæ horridus Eurus, et quæ caliginosus Aus-

parceque.—95 Vet. Lindenbrogii, *unique patent.*—98. 99 Venet. 1. *vigil ite*

NOTÆ

pendebat. *Æstiferi*] Quia Nilus exundare incipit circiter solstitium æstivum, quo æstus maximus.

92 *Quodque legit mersus pelagi scrutator Eoi*] Designat uniones et margaritas, colligi solitas ab urinatoribus in Eoo seu Indico mari. Celeberrima adhuc est hodie margaritarum piscatio in hoc mari.

93 *Et Lacedæmonii pecuaria culta Galesi*] Notat lanas Tarentinas. Galesus enim fluvius Calabriæ, haud procul Tarento, pascua habebat, in quibus pecora pasta lanas ferebant pretiosissimas. *Lacedæmonii*] Quia Lacedæmonii duce Phalanto eam Calabriæ oram occupaverunt, Tarentumque auxerunt.

94 *Perspicuæque nives*] Intelligit vasa crystallina, de quibus hæc Plinius: 'Contra huic causa crystallum facit gelu vehementiore concreto: nec alibi certe reperitur, quam ubi maxime hybernæ nives rigent, glaciemque esse certum est: unde et nomen Græci dedere.' Idcirco Papinius dicit *perspicuas nives*, id est, vasa crystallina perspicua et perlucida, quæ e nivibus constant et glacie. Vide Plinium lib. XXXVII. cap. 2. *Massylaque robora*] Robur, pro qualibet arbore. Intelligit autem mensas citreas, quæ ex citro fiebant magno impendio. *Massyla*] Quia apud Massylos populos Mauritaniæ plurima arbor citri. De mensarum citrearum insania ac luxu consule Plinium lib. XIII. cap. 15. *Et Indi Dentis honos*] Intelligit ebur, cujus frequens usus erat in lectorum et mensarum ornatu. Unde Pliniana illa indignatio, quod eodem ebore, et vultus Deorum formentur, et spectentur mensarum pedes. *Indi Dentis*] Ebur enim nihil aliud est, quam dens Elephanti. Plinius lib. VIII. cap. 3. 'Prædam ipsi in se expetendam, sciunt solam esse in armis suis, quæ Juba cornua appellat, Herodotus tanto antiquior, et consuetudo melius, dentes: quam ob rem deciduos casu aliquo vel senecta defodiunt. Hoc solum ebur est, cetero et in his quoque, qua corpus intexit, vilitas ossea: quanquam nuper ossa etiam in laminas secari cœpere penuria. Etenim rara amplitudo jam dentium, præterquam ex India, reperitur: cetera in nostro orbe cessere luxuriæ.' *Indi*] Quia India elephantis abundat.

96 *Quæ Boreas, quæque Eurus atrox, quæ nubilus Auster Invehit*] Intelligit opes mercesque, quæ ex iis partibus mundi, unde hi venti flant, navigatione Romam advehebantur. *Eurus atrox*] Quia tempestates excitat frequenter. *Nubilus Auster*] Quia nubes et pluvias procreat.

Invehit: hybernos citius numeraveris imbres,
Sylvarumque comas: vigil iste animique sagacis
Exitus evolvit, quantum Romana sub omni
Pila die, quantumque Tribus: quid templa, quid alti

ter navigatione invehunt. Enumerares potius pluvias hyemis, et folia nemorum. Sagax animus vigilia sua excogitat, quos sumtus expetant exercitus Romani singulis diebus: quos tribus, quos resarcienda templa, quos purgandi alvei Tiberis, et fluvi-



animique sagacis Excitus evolvit; Parm. *vigil iste animique sagacis Exitus evolvit;* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. &c. *vigilis te animique sagacis Exitus, &c.* Salmasius Epistola LXXXVI. quæ est ad Gronovium, hunc locum ita legit: *Sylvarumque comas, vel aquas quot in amne sequaces Exitus evolvit;* vel *fugaces.* Postea vero in Epistola quæ præfigitur Gronovianæ Elencho Antidiatr. p. 27. legit: *vigil usque, animique sagacis Et citus evolvis quantum, &c.* Vide Syllog. Epist. Tom. II. p. 533. Denique Marklandus in textum admisit: *vigil iste animique sagacis Exitus, &c.* ut in Parm. sed in Addendis scribit: 'Tandem in conjecturam incidi, quam pro manu Statii pæne ausim venditare. Ea est: *vigil ipse, animoque sagaci Excitus, evolvis quantum, &c.* Cf. Senec. Hippol. 1082. qui locus mihi hanc correctionem primus firmavit, licet dudum ita conjecissem. Stat. Theb. III. 598. et Ovid. Met. II. 779. ex quo versu sensum suum Noster videtur sumsisse. Potes etiam, *vigilans;* vel, *vigilax animoque sagaci Excitus;* sed magis placet prior conjectura.'—100 *Pilade* in ed. vet. Tillenbrogii.

NOTÆ

97 *Hybernos imbres, &c.*] Id est, citius enumeraveris hybernos imbres, &c. quam opes commissas fidei Etrusci.

98 *Vigil iste* [*vigilis te*] *animique sagacis Exitus evolvit*] Hic locus prætermissus pæne ab omnibus interpretibus, tanquam facillimus, qui tamen, si verba ejus exacte expendantur, valde difficilis et obscurus videbitur. Nullus enim bonus sensus ex hoc elici potest. Quid enim significat et sibi vult illud *vigilis te animique sagacis Exitus evolvit?* Salmasius, in commentariis ad Historiam Augustam, hunc locum corruptum judicat, et eum restituisse ac illustrasse putat, sic corrigendo et conjungendo cum superiori versu: *Hybernos citius numeraveris imbres, Sylvarumque comas, vel aquas quot in amne sequaces Exitus evolvit. Exitus,* inquit, amnium, dicuntur ostia eorum, quibus in mare se exonerant. *Evolvi* etiam dicuntur, cum in mare exeunt per illa ostia. Sed Salmasii correctio non facit sensum hujus loci planiorem: non enim explicat ad quid referatur illud *quantum* sequens. Domitius sic illum locum interpretatur. Hactenus de reditibus Papinius locutus est: jam laborem et prudentiam, curamque Etrusci laudat in his distribuendis pro ratione expensarum. *Exitus*] Scilicet impensæ faciendæ. *Evolvit*] Versat, angit cum cura, quicquid militiæ vel in urbanis ædificiis restaurandis impendendum erat. Putarim dicere, ait Gronovius, exitum ostendere, et liquido probare, quam fuerit animo vigili ac sagaci, cum sequentia omnia rite curaverit.

100 *Pila*] Per *pila*, quæ erant tela propria Romanis, intelligit exercitus Romanos. *Tribus*] Id est, populus in plures tribus divisus. Et per *tri-*

Undarum cursus, quid propugnacula poscant
Æquoris, aut longe series porrecta viarum:
Quod domini celsis niteat laquearibus aurum,
Quæ Divum in vultus igni formanda liquescat
Massa; quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ.
Hinc tibi rara quies, animoque exclusa voluptas,
Exiguæque dapes, et nunquam læsa profundo

orum, quos portus faciendi et restaurandi, quos sternendæ longæ viæ, quantum auri fulgeat in altis laquearibus domini, quæ moles dissolvatur igne effingendis Deorum vultibus, quæ metalla crepent flammis, percutiendæ ac signandæ monetæ Romanæ. Hinc tibi parum otii, nullæque animo voluptates, modicus cibus, et tuæ curæ nun-

—103 *Quodque bonum celsis nitet* Parm. *Quod domuum celsis* Rom. Ald. 1. Grasser. Bern. Lindenbrog. et Cruc. *Quod domum* Ald. 2. ex errore typothetæ, qui error fluxit etiam in Colin. et Gryph. *Quod Domini* Gevart. Amstel. Gronov. Barth. Veen. Delph. &c.—104. 105 Heinsius ad Claudian. Rapt. Pros. III. 386. ita citat: *Quæ Divum . . . formata liquescat Machina.* Pro *crepet igne monetæ*, Marklandus opinabatur esse legendum: *crepet ore Monetæ.*—106 Vet. Lindenbrogii: *animosque excussa voluptas.*—107 Mark-

NOTÆ

bus intelligit impensas, quæ tam distribuendo gratis tenuioribus ac pauperioribus civibus frumento, quam tot edendis spectaculis ac faciendis ab Imperatore largitionibus, fiebant. *Templa*] Restauranda scilicet. *Quid alti Undarum cursus*] Intelligit vel impensas faciendas alendis classibus, navigatio enim quandoque *cursus* dicitur, ut notavimus ad Achilleidem; vel purgandis alveis Tiberis, et aliorum fluviorum.

101 *Quid propugnacula poscant Æquoris*] Id est, quid poscant reparandi portus.

102 *Aut longe series porrecta viarum*] Notat curandas vias publicas. Stravit autem Domitianus tam viam Domitianam suo nomine dictam, quæ a latere Appiæ in Campanum littus ducebat, quam Appiam præfecto Macro.

103 *Quod Domini celsis niteat laquearibus aurum*] Laquearia enim auro tegebantur, ut docet Papinius pluribus locis. Hic innuit fortasse cœnationem illam quam 'Micam auream' appellarunt. *Domini*] Domitiani, qui se dominum ac etiam Deum vocari volebat.

104 *Quæ Divum in vultus igni formanda liquescat Massa*] Id est, quantum auri, argenti, ac æris, ex his enim metallis conflabantur imagines, impendendum sit in conflandis Deorum, vel etiam imperatorum statuis et imaginibus. *Igni liquescat*] Metalla enim igne liquefieri debent, ut ex iis conflentur imagines, fiantque alia opera.

105 *Quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ*] 'Scribi' de moneta dicitur, cum ipsi imago ac tituli principum imprimuntur. Sic 'aurum scriptum' Juvenalis Sat. VI. Nomina Imperatorum inscribi solita cum ipsorum imagine in nummis videmus. *Ausoniæ*] Romanæ. *Crepet igne*] Dum conflatur a fabro.

106 *Hinc tibi rara quies*] Supra vigilis te animique sagacis.

Cura mero: sed jura tamen genialia cordi,
Et mentem vincire toris, et jungere festa
Connubia, et fidos domino genuisse clientes.
Quis sublime decus formamque insignis Etruscæ
Nesciat? haud unquam proprio mihi cognita visu,
Sed decus eximium formæ par reddit imago
Vultibus, et similis natorum gratia monstrat.
Nec vulgare genus: fasces, summamque curulem
Frater, et Ausonios enses, mandataque fidus

quam vino profundo immersæ. Sed tamen fœdus nuptiale tibi gratum fuit, et placuit animum matrimonio alligare, et contrahere lætum conjugium, et procreare domino fidos clientes. Quis ignoret splendidos natales et pulchritudinem illustris Etruscæ? Nunquam mihi cognita fuit propriis oculis: similitudo tamen ejus ac par venustas elucens in ore filiorum, repræsentat egregiam ejus speciem. Non illi origo erat plebeia: frater ejus obtinuit fasces, et consulatum, ejusque fidei commissa

landus conj. et *nunquam læta;* ut ap. Petron. Carm. de Bel. Civ. 156. et mox: *jura tamen genitalia.*—109 Idem pro *vincire toris,* quod omnes habent edd. legendum putabat, *mulcere toris.*—111 *Quis sublime genus* edd. vett. 'Hic *formam* Etruscæ prædicaturus est Statius; sed quid ad hanc facit *genus?* præsertim cum de genere sigillatim dicturus est mox vs. 115. In sedem igitur non suam irrepsit hæc vox. Conjicio: *Quis sublime decus, &c.* Pro *formamque* potes etiam *famamque;* et hoc verius puto, propter sequens *formæ.* Vide ad Val. Flac. II. 148. ubi eadem diversitas.' *Markl.*—112 Venet. 1. *aut unquam;* Parm. *haudquamquam,* quod in textum receperat Marklandus; Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. et Gevart. *haud quaquam;* Rom. *haud nunquam;* in quibusdam aliis, *haud usquam;* Markl. in curis secundis, *haud unquam,* quod primi receperunt editores Bipontini.—113 *Sed Deus*

NOTÆ

107 *Profundo mero*] Id est, exhausto ex profundo capacique poculo.

108 *Genialia*] Id est, nuptialia, quia in nuptiis lectus sternebatur in honorem Genii.

109 *Festa Connubia*] Quia nuptiis sacra adhibita.

110 *Domino*] Domitiano.

111 *Etruscæ*] Etruscam vocari a marito Etrusco credibile est.

112 *Haud unquam* [*quaquam*] Scribendum: *haud quanquam.* Romanus codex: *haud nunquam.*

113 *Sed*] Τὸ *sed,* non vulgari usu, pro 'tamen' ponitur, ut in Hercule Surrent. 'Quamvis innumeræ gaudentia rura superne Insedere domus, et multo culmine dives Mors nitet: instantes sed proxima quærere nimbi Suadebant.'

114 *Vultibus*] Supple suis.

115 *Fasces, summamque curulem*] Fasces proprie Consulum et Prætorum erant: nam ante Consulem duodecim fasces ferebantur, ante Prætorem tantum sex. Et hinc designatur fratrem Etruscæ, uxoris Etrusci, fuisse consulem, jungendo *summam curulem.* Nam et consules curuli sella sedebant, quæ *summa* hic ob summum magistratum, nempe consulatum.

116 *Ausonios enses*] Intelligo simpliciter ducatum exercituum Roma-

Signa tulit, cum prima truces amentia Dacos
Impulit, et magno gens est damnata triumpho.
Sic quicquid patrio cessatum a sanguine, mater
Reddidit; obscurumque latus clarescere vidit
Connubio gavisa domus: nec pignora longe:
Quippe bis ad partus venit Lucina, manuque
Ipsa levi gravidos tetigit fœcunda labores.
Felix ah! si longa dies, si cernere vultus
Natorum viridesque genas tibi justa dedissent
Stamina! sed media cecidere abrupta juventa
Gaudia, florentesque manu scidit Atropos annos:
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesve rosæ primos moriuntur ad Austros,

sunt signa et arma Romana, cum prima vecordia excitavit feroces Dacos, et natio hæc damnata est ingenti triumpho. Sic quicquid deerat a patre, mater supplevit, et læta domus vidit obscurum latus illustrari conjugio. Et cito nati liberi: quippe Lucina bis venit ad puerperia, et ipsa fœcunda, manu levi, parturienti opem tulit. Ah fortunata, si diu vixisset: si pensa æqua Parcarum tibi concessissent videre ora et pubescentes genas natorum. Sed tua lætitia abscissa corruit in media juventute, et Atropos crudeli manu amputavit tuos virides annos. Ut lilia deprimunt pallentes thyrsos suos, et rosæ crescentes marcescunt ad primos Austri flatus, aut ut violæ veris

vet. Lindenbrogii et Rom. *Sed decus exiguum famæ* Venet. 1.—119 Venet. 1. et Parm. *cessatum a sanguine;* Rom. cum ceteris: *cessatum est sanguine.*—122 Rom. et vet. Lindenbrogii, *manusque.*—129 *Pubentesque* Venett. Parm. Aldd. &c. *Rubentesque* Rom. et vet. Lindenbrogii; *Rumpentesque* M. Ant.

NOTÆ

norum. *Mandataque Signa*] *Mandata signa* eleganter dicuntur, quæ feruntur alienis auspiciis, et pro ultione alterius. Sic Papinius Theb. vi. dicit Eurydicem 'mandare ubera,' quæ nutricis opera in lactando infante utitur. Sic Hippomedon. Theb. ix. 'Miserum sociis opus, et sua mandat prælia.' Susceperat enim defendendum corpus Tydei Hippomedon, sed vocatus ab Adrasto reliquerat hoc opus, mandaverat sociis sua prælia. Seneca de Ira lib. iii. 'Nec mandat ultionem suam, sed ipse ejus exactor, animo simul et manu sævit.'

117 *Truces Dacos*] Daci gens transdanubiana, quam vicit per legatos Domitianus. *Truces*] Quia difficulter victi.

118 *Triumpho*] Triumphum enim egit de Dacis Domitianus, ut jam diximus.

122 *Lucina*] Lucina, Græcis Εἰλείθυια, Dea quæ præerat partui.

123 *Gravidos labores*] Labor, pro partu sumitur, ut Theb. iii. 'Mihi quippe malorum causa labor.' Id est, partus. *Gravidos*] Hypallage pro *labores gravidæ*. *Fœcunda*] Quia juvat parturientes.

127 *Atropos*] Nomen Parcæ, quæ pensum vitæ secare dicitur.

129 *Austros*] Austri enim floribus contrarii, ut jam diximus in Epicedio

Aut uti verna novis expirat purpura pratis.
Illa sagittiferi circumvolitastis, Amores,
Funera, maternoque rogos unxistis amomo:
Nec modus aut pennis laceris aut crinibus ignem
Spargere, collatæque pyram struxere pharetræ.
Quas tunc inferias, aut quæ lamenta dedisses
Maternis, Etrusce, rogis, qui funera patris
Haud matura putas, atque hos pius ingemis annos?
Illum et, qui nutu superas nunc temperat arces,
Progeniem claram terris partitus et astris,
Lætus Idumæi donavit honore triumphi:

moriuntur in novis pratis. Pharetrati Cupidines volitastis circa has exequias, et illevistis pyram amomo materno, nec cessastis flammis injicere, aut dilaniatas alas aut comas, et contulistis vestras pharetras struendæ ejus pyræ. Quæ tunc justa, aut quas lacrymas obtulisses rogo materno, qui credis acceleratam mortem patris, et pius defles nonagenarium senem? Ille qui nunc regit suo nutu cœlestes domos, et qui divisit inter cœlum et terram filios, lætus affecit hunc muneribus triumphalibus,

Sabellicus. *Pubentesve* correxit Marklandus.—130 *Aut ubi verna* Wakefield. in Append. ad Sylv. Crit. Part. 3.—132 Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii, *maternosque*.—134 'Olim emendaveram *collatæque;* jam video Gronovium occupasse, Diatr. cap. 32.' *Markl. collectæque* exhibent edd. vett. omnes.—

NOTÆ

in Glauciam, ubi similis comparatio.

130 *Verna purpura*] Viola, violæ enim purpurei sunt coloris.

131 *Sagittiferi amores*] Amores enim seu Cupidines cum arcu et pharetra sagittis plena in humeris repræsentabantur.

132 *Amomo*] Amomum, unguentum pretiosissimum ex amomo factum, quod injici solebat rogis mortuorum. *Materno*] Id est, Veneris.

133 *Nec modus aut pennis laceris aut crinibus*] Vult Poëta Cupidines tanto dolore affectos ob mortem Etruscæ, ut nec parcerent crinibus suis, nec pennis, lacerarentque eas. Et morem tangit, quo crines rumpebantur in luctu, et rogis injiciebantur mortuorum. Amores pennas etiam lacerare poterant; alati enim erant.

134 *Collatæque* [*collectæque*] Legit Gronovius *collatæ*. Vide supra vs. 42.

137 *Hos annos*] Id est, patrem, qui tam senex mortuus est; nonaginta enim annos excessisse dicitur Etruscus pater.

138 *Qui nutu superas nunc temperat arces*] Vespasianum patrem intelligit, qui in numerum Deorum relatus fuerat.

139 *Progeniem claram terris partitus et astris*] Intelligit filios Vespasiani, quorum Titus etiam post mortem Deus factus, alter vero Domitianus in terris relictus erat.

140 *Honore triumphi*] Id est, donavit honore, quo donari solent milites triumphantium. *Idumæi*] Quia Vespasianus, mox Titus domuerant Judæos, Titusque etiam expugnaverat Hierosolyma caput gentis; de Ju-

Dignatusque loco victricis et ordine pompæ
Non vetuit, tenuesque nihil minuere parentes.
Atque idem in cuneos populum cum duxit equestres,
Mutavitque genus, lævæque ignobile ferrum
Exuit, et celse natorum æquavit honori.

et dignum judicarit tenere locum et ordinem in victrici pompa, nihilque humilitas parentum ei nocuit. Atque idem Imperator, cum allegit plebem in ordinem equestrem, mutarit genus ejus, et ei ademit servilem annulum et equitis Romani dignitate

143 Omnes edd. vett. habent etiam *populos*, præter Parmensem, in qua est *populus;* Gevart. Amstel. Gronov. Barth. et recentt. *populum.* 'Verum est *populum;* et ita edidit Gronovius, qui tamen nullam diversæ scripturæ mentionem facit. Alia res esset si scripsisset *populos;* hoc enim *gentes, nationes,* denotasset: quod fieri non potest.' Ita Marklandus, qui in Addendis hæc habet: 'Mira pertinacia vetustæ Venet. 1. Parm. et Domitii codd. habent *deduxit* pro *cum duxit*, quod Domitii est. Latet aliquid. Forte: *Utque idem . . . . . deduxit*, idem quod: *Cumque idem deduxit;* nisi sic potius legendum. Potest etiam servari vetustarum lectio, et per *populum* intelligi *Etruscus: deduxit populum*, pro Etruscum qui ante erat e populo: ut apud Horatium: 'Plebs eris' pro 'e plebe:' et multa hujusmodi sunt exempla. Sed nihil affirmo.'—145 Parm. *Exivit.* Edd. vett. *et celso natorum æquavit honore.* Correxit Salmasius, ejusque correctionem primus recepit

NOTÆ

dæis autem triumphavit simul cum Vespasiano patre. Judæi autem *Idumæi* Papinio, quia Idumæi Judæis finitimi, et tunc etiam Idumæa Judæis parebat.

141 *Victricis pompæ*] Id est, triumphalis. Milites enim duces triumphantes sequebantur.

143 *Atque idem in cuneos populum cum duxit equestres*] Suetonius Vespasiano cap. 9. 'Amplissimos ordines exhaustos cæde varia, et contaminatos veteri negligentia purgavit, supplevitque recenso senatu et equite, submotis indignissimis, et honestissimo quoque Italicorum ac provincialium allecto.'

144 *Mutavitque genus*] Cum equestrem dignitatem contulit Etrusco, et ex servili conditione in ordinem equestrem allegit. *Lævæque ignobile ferrum Exuit*] Id est, fecit ut exueret ferreum annulum, quem servi et libertini gestabant. Nam aureos annulos habere tunc solum concessum senatoribus et equitibus, in quo ratio temporum habenda est, morisque, qui multum variavit. Vide Plinium lib. XXXIII. cap. 1. et 12.

145 *Et celse natorum æquavit honori*] Id est, annulis aureis donavit, qui insignia erant Equestris ordinis, equitemque Romanum fecit. Suetonius in Vitellio loquens de Asiatico liberto Vitellii: 'Et provincia demum accepta manumisit, ac primo imperii die, aureis annulis super cœnam donavit, cum mane rogantibus pro eo cunctis, detestatus esset severissime talem equestris ordinis maculam.' *Celse natorum*] Celse nati, equites sunt equestribus orti: quorum perpetuum epithetum 'celsus.' Soteriis Rutilii: 'Non labente Numa timuit sic curia felix, Pompeio nec celsus eques, nec fœmina Bruto.' Quorum honori is æquatur, cui donatur ordo equestris, qui exutis annulis ferreis,

Dextra bis octonis fluxerunt sæcula lustris,
Atque ævi sine nube tenor. Quam dives in usus
Natorum, totoque volens excedere censu,
Testis adhuc largi nitor inde assuetus Etrusci,
Cui tua non humiles dedit indulgentia mores.
Hunc siquidem amplexu semper revocante tenebas
Blandus, et imperio nunquam pater: hujus honori
Pronior ipse etiam gaudebat cedere frater.
Quas tibi devoti juvenes pro patre renato,
Summe ducum, grates, aut quæ pia vota rependant?
Tu (seu tarda situ, rebusque exhausta senectus
Erravit; seu blanda diu Fortuna regressum

donavit. Transegit sexdecim lustra prospero cursu, et vita nullo infortunio turbata fuit. Quam dives in usus filiorum, et volens pro illis exuere se cunctis opibus. Hoc testatur inde assuetus splendor vitæ liberalis Etrusci, cui tua indulgentia præbuit nitidos mores. Hunc semper retinebas blanditiis, nec erga eum utebaris patria auctoritate, propensior ad illum honorandum. Ipse etiam germanus lætabatur ei cedere. Quas gratias devoti adolescentes tibi reddent, supreme Imperatorum, aut quæ pia vota facient pro tua salute, ob genitorem suum ab exilio revocatum? Tu, seu ejus senectus annis gravis, seu negotiorum mole obruta, peccavit; seu fortuna,

Gronovius.—150 Pro *Cui tua*, quod testantur Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii, multæ edd. habent, *Cum tua.*—151 *Nunc siquidem* Parm. 'Hic rem miram tibi narro, Lector: per versus continuos triginta quatuor a vs. 145. ad 180. Statium integrum te habere puto, et nullo mendo fœdatum; quod alibi in his Sylvis, nisi unico tantum loco, Lyric. ad Max. Julium a vs. 11. ad 51. frustra, opinor, quæsiveris: de hoc et tibi et mihi gratulor.' *Markl.*—157. 158 'Hos versus implicitos aperuimus, partim unius verbi emendatione, ut ubi alii codices habebant, *Errabit*, tu legas *Erravit;* partim distinctione

NOTÆ

aureos induit a principe concessos. Quidam intelligunt de jure trium liberorum, nulla probabili ratione.

146 *Bis octonis lustris*] Bis octona lustra, sunt 80. anni.

147 *Sine nube*] Sine adversitate ac infortunio.

148 *Totoque volens excedere censu*] Tradendo scilicet filiis.

149 *Nitor*] Hic, pro liberalitate, splendore, ac elegantia vitæ sumitur.

150 *Tua*] Etrusce pater.

151 *Amplexu semper revocante*] Eleganter, ut denotet summum amorem Etrusci in filium, quem nunquam ab amplexu suo dimittebat, quin statim revocaret.

152 *Et imperio nunquam pater*] Id est, qui nunquam uteretur patria potestate in filium. *Hujus honori Pronior*] Hujus, quam fratris.

154 *Pro patre renato*] Id est, ex exilio revocato; exilium enim genus quoddam erat mortis, ex quo, qui revocabantur, 'renasci' videbantur. Vide quæ diximus Balneo Etrusci vs. ult.

156 *Tu*] Domitiane.

Maluit) attonitum et venturi fulminis ictus
Horrentem, tonitru tantum lenique procella
Contentus monuisse senem: cumque horrida supra
Æquora, curarum socius procul Itala rura
Linqueret, hic molles Campani littoris oras,
Et Diomedeas concedere jussus in arces,

quæ diu faverat, maluit regredi, contentus fuisti afflasse tantum tonitru, ac miti procella senem consternatum, et expavescentem ictum proximi fulminis. Et cum ejus collega exularet ab Italia ultra sævum mare, hic jussus est concedere in mites plagas oræ Campaniæ, et turres Diomedis. Et ibi erat hospes, non exul. Nec

---

verborum quæ confusa erant. Nam in omnibus codicibus, præterquam in nostro, ita distinctum invenies carmen: *regressum Maluit attonitum:* cum ita sit suspendendum, *regressum Maluit:* et quod sequitur, *attonitum*, referendum

NOTÆ

158 *Venturi fulminis ictus*] Gevartius notat veteres exilium solenni voce 'fulmen' appellasse. Sed non accurate. Non enim exilium proprie 'fulmen' vocabatur, sed damnatio, sive ad exilium illa, sive capitis pœnam. Artemidorus: Καὶ γὰρ *τοὺς καταδικασθέντας ἐν τῇ συνηθείᾳ κεραυνοῦσθαί φαμεν*: *Condemnatos enim in conscientia fulminari dicimus.* Juvenalis Sat. VIII. 'Quam fulmine justo Et Capito et Numitor ruerint damnante senatu.' Plinius in Panegyrico sub finem: 'Utrumque nostrum ille optimi cujusque spoliator et carnifex, (de Domitiano loquitur,) stragibus amicorum, et in proximum jacto fulmine afflaverat.' Sic 'damnatione ambustum,' Livius etiam dixit lib. XXII. 'L. Æmilium Paulum, qui cum M. Livio consul fuerat, et damnatione collegæ et sua prope ambustus evaserat.' Idem 'incendium' vocat infra: 'Se populare incendium priore consulatu semiustum effugisse.' 'Flammam' dicit Cicero in Bruto de Galba: 'Isque se tum eripuit flammæ, propter pueros misericordia populi commota.'

160 *Monuisse senem*] Id est, castigasse, quo sensu et verbum 'monere' usurpat Tacitus de Sejani filia loquens: 'Potuisse se puerili verbere moneri.' Virgilius Æneid. VI. 'Discite justitiam moniti.'

161 *Curarum socius*] Collega Etrusci in Dispensatoris munere.

162 *Hic molles Campani littoris oras, Et Diomedeas concedere jussus in arces*] Contentus fuit Domitianus ea pœna affecisse Etruscum, qua concessum erat patronis læsis libertos afficere; nimirum relegavit in oram Campaniæ. Ut enim discimus ex Tacito Ann. XIII. 'Nihil aliud erat concessum læso patrono, quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniæ libertum relegaret.' Quem morem idem tangit Tacitus Ann. XIV. 'Censuerat,' ait, 'Cingonius Varro, ut liberti quoque, qui sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur. Id a principe probibitum, ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per sævitiam incenderetur.' Hunc morem institutum fuisse ab Augusto censet Lipsius ex iis Dionis verbis lib. LV. constituit Augustus *τὰ δικαιώματα οἷς οἵ τε ἄλλοι πρὸς τοὺς ἐλευθερωμένους καὶ αὐτοὶ οἱ δεσπόται σφῶν γενό-*

Atque hospes, non exul erat: nec plura moratus
Romuleum reseras iterum, Germanice, limen,
Mœrentemque foves, inclinatosque penates
Erigis: haud mirum, Ductor placidissime; quando
Hæc est, quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque suum Dacis donat clementia montem:
Quæ modo Marcomanos post horrida bella, vagosque
Sauromatas Latio non est dignata triumpho.

multum cunctatus, recludis illi, Germanice, rursus fores Imperatorias, et solaris dolentem, et relevas dejectos lares. Nec mirum est, lenissime Imperator, cum ea est clementia, quæ ignoscit superatis Cattis, facto cum eis fœdere, ac reddit Dacis suum montem, et quæ post crudelia bella noluit ducere in triumphum Romanum Marcomanos et palantes Sauromatas. Jam vitæ adest terminus, et inflexibile

ad sequentia.' *Domit.*—164 'In vetustissima editione invenio, *Utque hospes;* tamen contra tot aliorum libros nihil mutandum duco.' *Barth.*—168 *Catis*

NOTÆ

μενοι χρήσοιντο: *Jura, quibus erga libertos tam alii, quam ipsi patroni uterentur.* *Molles*] Propter Baias, et amœnissimum illum tractum; Campania enim erat fertilissima et amœnissima totius Italiæ regio, ad Orientem Latii sita. Plinius lib. III. cap. 5. 'Hinc,' ait, 'felix illa Campania; ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, et temulentia nobiles, succo per omnes terras inclyto, atque, ut veteres dixere, summum Liberi patris cum Cerere certamen.' Urbes præcipuas olim habuit Capuam, Neapolim, Baias, Cumas, Puteolos, Nolam. *Diomedeas arces*] Intelligit Argyrippam, conditam a Diomede Tydei filio; Diomedes enim, post excidium Trojæ reversus in patriam, cum didicisset Ægialen uxorem adulterio pollutam a Cyllabaro quodam, exosus domum, contendit in Italiam, appulsusque in Apuliam, regni partem a Dauno accepit, ibique Argyrippam condidit.

164 *Hospes, non exul*] Id est, tam leve erat exilium Etrusci, ut posset dici non illuc concessisse tanquam exul, sed solum eo peregrinatum esse, causa secessus amœni.

165 *Romuleum*] Romanum, seu potius Imperatorium.

168 *Victis parcentia fœdera Cattis*] Id est, potuit omnino ac funditus delere gentem Cattorum, sed maluit parcere, pacemque illis dedit. De Cattis vide Equo Domit.

169 *Quæque suum Dacis donat clementia montem*] Id est, reddidit Dacis suum montem, cum illis adimere potuisset, ac eos funditus delere. De Dacis vero ac eorum monte, vide quæ diximus Theb. I. 19.

170 *Quæ modo Marcomanos post horrida bella, &c.*] Ex hoc loco discimus Marcomanos, Sarmatasque etiam bello lacessisse Domitianum, victosque fuisse. Marcomani autem sunt populi interioris Germaniæ, Hercyniæ sylvæ accolæ. Hodie, *Moravi*, vel *Bohemi* dicuntur.

171 *Sauromatas*] Sarmatæ nunc Poloni vocantur. *Non est Latio dignata triumpho*] Nam de Sarmatis lauream solum Jovi Capitolino retulisse

Jamque in fine dies, et inexorabile pensum
Deficit: hic mœsti pietas me poscit Etrusci
Qualia nec Siculæ moderantur carmina rupes,
Nec fati jam certus olor, sævique marita
Tereos. Heu quantis lassantem brachia vidi
Planctibus, et prono fusum super oscula vultu!
Vix famuli, comitesque tenent, vix arduus ignis
Summovet: haud aliter gemuit perjuria Theseus
Littore, qua falsis deceperat Ægea velis.

Parcarum stamen deficit. Hic pietas tristis Etrusci a me postulat versus, quales nec Sirenes canunt in scopulis Siculis, nec cycnus jam proximus suæ morti, nec conjux crudelis Terei. Heu quoties vidi illum fatigantem lacertos suos, se percutiendo, et prono vultu prostratum super corpus patris ad illud osculandum. Vix servi et amici eum possunt tenere, vix excelsa rogi flamma eum repellit. Non aliter Theseus, qui deluserat Ægeum falsis velis, deflevit in littore, se promissi oblitum fuisse. Tunc

exhibent edd. vett.—174 'Non est mutanda hæc scriptura. Ita 'temperare' usurpat Horat. IV. Od. 3 'Testudinis aureæ Dulcem quæ sonitum Pieri temperas.'' *Barth.* Hic tamen nullas variantes inveni, nec scio ad quas alludit Barthius.—179. 180 Edd. vett. *haud aliter gemuit perjuria Theseus Littore, qui falsis, &c.* Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii *Littora, qui falsis.* 'Primo legendum: *Littore quo falsis*, non *qui.* Deinde displicet *gemuit* et

NOTÆ

Domitianum refert Suetonius, nec voluisse triumphare.

172 *Dies*] Dies hic pro vita sumitur. *Inexorabile pensum Deficit*] Parcæ enim, quæ nent filum humanæ vitæ, dicuntur inflexibiles. Pensum vero est manipulus lanæ vel lini, qui circumvolvitur colo, ac fuso trahitur.

174 *Siculæ rupes*] Id est, Sirenes, quæ in scopulis Siculi maris sedem habebant.

175 *Nec fati jam certus olor*] Olores enim dulcissima voce canere dicuntur, cum morti proximi sunt. *Sævique marita Tereos*] Id est, Philomela, seu luscinia. Nonnulli enim Græcorum mutatam tradunt in lusciniam Procnen uxorem Terei, cujus sævitia in Philomelam sororem uxoris, cui vim intulerat, notissima est ex fabula: linguam enim Philomelæ præcidit, eamque in angustum carcerem conjecit. *Marita*] Uxore. Vide Theb. IV. 207.

176 *Heu quantis lassantem brachia vidi Planctibus*] Ut fit in luctu.

177 *Et prono fusum super oscula vultu*] Ut de Alexandro traditur, qui super amici Hephæstionis corpus exanime ejulans procubuit, vixque inde ab amicis abstractus est.

178 *Vix arduus ignis*] Rogi paterni supple.

179 *Haud aliter gemuit perjuria Theseus Littore, quo falsis deceperat Ægea velis*] Theseus, proficiscens in Cretam, promiserat Ægeo patri, ut, si sibi incolumem redire contingeret ex hoc itinere, pro velo nigro, quod navis, quæ Athenienses qui Minotauro exponendi erant, vehere solita erat,

Tunc immane fremens, fœdatusque ora, tepentes
Affatur cineres: Cur nos, fidissime, linquis
Fortuna redeunte, pater? modo numina magni
Præsidis, atque breves Superum pacavimus iras,
Nec frueris; tantique orbatus muneris usu
Ad Manes, ingrate, fugis: nec flectere Parcas,
Aut placare malæ datur aspera numina Lethes?
Felix, cui magna patrem cervice vehenti
Sacra Mycenææ patuit reverentia flammæ!

horrende suspirans, et vultu conspurcato, alloquitur cineres adhuc calidos: Cur nos, genitor carissime, deseris, revertente fortuna? Modo fleximus numen magni Imperatoris, et brevem iracundiam Deorum; nec frueris, et privatus usu tanti beneficii, fugis, ingrate, ad Inferos. Nec licet lenire Parcas, aut placare sævos Deos improbæ Lethes. Fortunatus ille, cujus pietatem venerantes flammæ Græcorum ei viam

gemens. Lego: *Tunc immane fremens.* Cf. Theb. VII. XII. 684. Claud. de Cons. Manlii 237. Sil. Ital. XI. 146. et Virg. XII. 535. Sæpe vero hæ voces confunduntur. Ita apud Juvenal. VI. 260. pro 'fremitu' sensus postulat 'gemitu.' Vide Drakenborchium ad Sil. Ital. I. 425. Sed forte nihil hoc loco mutandum.' *Markl. Littore, quo, &c.* est Barthii correctio, non vero Marklandi.—183 Vet. Lindenbrogii pro *numina* habet *nomina.*—184 Venet. 1. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. *placavimus iras.* 'Parum accurate Statius, si sic scripserit; sequitur enim versu abhinc tertio: *Aut placare, &c.* Edidi igitur *pacavimus iras* pro *placavimus iras*, sensu eodem, verbo tantum mutato; quod in secundo loco, si malis, facere potes; et retento τῷ *placavimus*, legere: *Aut pacare malæ.*' Markl.—186 *Ad Manes, ignare, fugis* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *ingrate* correxit Gronovius in Diatr. cap. 33. ita quoque est in Venett. 1. 2. 3. Parm. Rom. et co-

NOTÆ

ex more habebat, substitueret candidum; sed Theseus, ejusce promissi oblitus, nigrum velum, quod prius erat, reliquit; quo viso Ægeus pater, qui ex scopulo quotidie expectabat reditum filii, fretus ejus virtute, ut vidit nigrum velum, ratus filium periisse, doloris impatientia in mare se præcipitem dedit. *Perjuria* igitur, fidem datam Ægeo patri de ponendo velo candido pro nigro, quo certior fieret de salute filii. Quo redit etiam illud *falsis velis.* Nam candidum pro nigro substituendum erat. *Littore*] Id est, in littore, cum appulsus mortem patris didicisset.

183 *Numina magni Præsidis*] Id est, Domitiani qui se Deum appellari volebat.

184 *Breves iras*] Domitianus enim post breve tempus revocatum ex exilio Etruscum aulæ Palatinæ restituerat, ut vidimus supra.

186 *Ingrate*] Id est, properas ad manes, nec agnoscis, utendo, beneficium Cæsaris. *Nec flectere Parcas*] Has inexorabiles fingunt Poëtæ.

187 *Lethes*] Id est, Inferorum, qui designantur per Lethen.

188 *Felix, cui magna patrem cervice vehenti Sacra Mycenææ patuit reverentia flammæ*] Intelligit Æneam, qui

Quique tener sævis genitorem Scipio Pœnis
Abstulit, et Lydi pietas temeraria Lausi.
Ergo et Thessalici conjux pensare mariti
Funus, et immitem potuit Styga vincere supplex
Thracius? ah quanto melius pro patre liceret!

fecerunt, dum portaret collo genitorem. Et felix puer Scipio, qui eripuit patrem diris Carthaginiensibus, et Lydius Lausus, qui temeraria pietate patrem servavit. Ergo uxor potuit redimere mortem conjugis Thessali, et supplex Thracius flectere durum Styga? Ah quanto justius hoc esset pro genitore! Attamen non omnis rapieris,



dice Sen.—190 *Quique gener* edd. Parisienses, cum omnes alii libri *tener* recte referant. Pro *Pœnis* nonnulli *pœnis*.—192 *Ergo Thessalici* Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Ergo et Thessalici* reposuit Marklandus e Parmensi.—193 *Phryga vincere* Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. Vetus codex Lipsii habet *Styga*, ut correxit Cruceus, approbantibus Gronov. in Diatr. cap. 33. Barth. ad h. l. et Heins. ad Ovid. Heroid. Epist. XVIII. 21. Vide Syllog. Epist. Tom. II. p. 29.—194 Parm. *at*

NOTÆ

sublatum humeris patrem ex incendio Trojano liberavit. Vide Æneid. II. Pausanias in Phocicis narrat factum duorum fratrum Catanensium, qui, cum ex Ætna Catanam flamma corripuisset, fugientes matrem hic, patrem ille humeris sustulerunt, et cum citissime festinantes incendium tamen urgeret, neque illi propterea parentes dimitterent, dicunt ita illum flammarum quasi torrentem in duas partes discessisse, ut per medios ignes cum ipsis parentibus adolescentes incolumes evaserint. Iique 'pii' cognominati fuerunt. Hanc historiam referunt etiam Strabo, Ælianus in Varia Historia, Aristoteles, Valerius Maximus lib. v. cap. 4. Solinus cap. 11. et Stobæus. *Mycenææ*] Id est, Græcæ; Mycenæ enim urbs Laconiæ provinciæ Græciæ, et caput regni Agamemnonis.

190 *Quique tener sævis genitorem Scipio Pœnis Abstulit*] Intelligit Scipionem, postea Africanum a devicta Africa dictum, qui patrem servavit in acie commissa ad Ticinum, seu Trebiam, (utrumque enim proditur,) cum ipse admodum puer esset, et pater ab hostibus circumdaretur. Silius: 'Tum rapta propere duris ex ossibus hasta, Innixum cervice ferens, humeroque parentem Emicat.' Plinius: 'Africanus de patre noluit accipere coronam civicam.' Vide Livium lib. XXI. cap. 46. et Val. Maximum lib. v. de pietate in parentes. *Pœnis*] Id est, Carthaginiensibus, qui Phœnicum coloni erant, et *Pœni* vocabantur.

191 *Lydi pietas temeraria Lausi*] Lausus, filius Mezentii regis Thuscorum, qui a Lydis originem ducebant, patrem in bello adversus Æneam servavit; nam illo saucio, ipse subivit prælium, occisusque est ab Ænea. Virgilius: 'Quo periture ruis, majoraque viribus audes? Fallit te incautum pietas.' Itaque *temeraria*, quia majora viribus ausus est, et impar congressus est Æneæ.

192 *Ergo Thessalici conjux pensare mariti Funus*] Intelligit Alcesten Admeti Thessaliæ regis uxorem, quæ pro marito graviter ægrotante, et morituro, vicariam mortem subivit. Vide Euripidem Alceste.

194 *Thracius*] Orpheus e Thracia

Non totus rapiere tamen, nec funera mittam
Longius: hic manes, hic intra tecta tenebo.
Tu custos, dominusque laris; tibi cuncta tuorum
Parebunt: ego rite minor, semperque secundus
Assiduas libabo dapes et pocula sacris
Manibus, effigiesque colam: te lucida saxa,
Te similem doctæ referet mihi linea ceræ:
Nunc ebur, et fulvum vultus imitabitur aurum.
Inde viam morum, longæque examina vitæ,
Affatusque pios, monituraque somnia poscam.

nec mittam longius exequias. Hic manes tuos, hic intra domum tenebo. Tu custos et dominus ædium; omnes tui tibi servient: ego jure inferior, et semper secundus, offeram jugiter cibos et crateres tuæ umbræ, et venerabor tuam imaginem. Fulgentia marmora et linea peritæ ceræ te mihi repræsentabunt: nunc ebur, nunc fulvum aurum exprimet tuum vultum. Inde petam regulam morum, et consilia, quibus dirigam longam vitam, et alloquia religiosa, et monita in somnis. Hæc di-

quanto melius; et sic mavult Heinsius ad Ovid. l. c.—198 Parm. *ego rite memor.*—199 *Assidue* Rom. Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Assiduas* Parm. quod revocavit Marklandus.—200 Rom. et vet. Lindenbrogii, *dulcia saxa*, literis transpositis.—201 Heinsius in ora sui exemplaris corrigebat *ductæ* pro *doctæ*, referente Cl. Burmanno ad Ovid. Heroid. Epist. xx. 210. ubi putat nihil hoc loco innovandum esse.—204 Rom. *morituraque som-*

NOTÆ

oriundus, cujus descensus in Inferos notissimus, quique uxorem a Diis Inferorum obtinuisse dicitur. *Pro patre*] Quam pro marito et uxore, ut fecerunt Alceste et Orpheus.

196 *Hic manes, hic intra tecta tenebo*] Habendo scilicet domi tuas imagines, statuasque ac tabellas.

199 *Assiduas libabo dapes et pocula sacris Manibus*] Non hæ dapes intelligendæ de mensis ad sepulcra positis, ut mos erat Romanorum ac Græcorum: sed de mensis positis ac dapibus oblatis ad imagines statuasque Etrusci patris, quas domi habebat Etruscus filius, quasi viveret pater. Et hoc etiam ex more, quo epulum Diis libabatur. Quo sane summum in patrem cultum testabatur Etruscus filius.

200 *Effigiesque colam*] Veteres enim habebant domi imagines parentum amicorumque defunctorum, colebantque. *Te lucida saxa*] Lucida saxa non sunt polita, sed picta, lumine figurata, ait Gronovius.

201 *Te similem*] Id est, tuam imaginem. *Linea*] Pictorum enim est lineas ducere.

202 *Ebur*] Id est, statua eburnea. *Aurum*] Aurea imago seu statua.

204 *Affatusque pios, monituraque somnia poscam*] Ex superstitione veterum, qui credebant animas eorum, quos amantissimos ac carissimos habuerant in vita, sibi per noctem interdum apparere, se alloqui, ac monere de rebus ad salutem suam spectantibus, ut diximus ad hunc Genethliaci Lucani versum: 'ipsum sed colit,' &c.

Talia dicentem genitor dulcedine læta
Audit, et immites lente descendit ad umbras,
Verbaque dilectæ fert narraturus Etruscæ.
Salve supremum, senior mitissime patrum,
Supremumque vale: qui nunquam, sospite nato,
Triste Chaos, mœstique situs patiere sepulcri.
Semper odoratis spirabunt floribus aræ,
Semper et Assyrios felix bibet urna liquores,
Et lacrymas, qui major honos: hic sacra litabit

centem illum pater audit lætus, et lente delapsus est ad crudeles Inferos, et portat hæc verba narraturus caræ Etruscæ. Salve supremum, senex patrum mitissime, ac supremum vale, qui nunquam mœstis tenebris mergeris, dum vivet filius, nec tuum sepulcrum tristem squalorem patietur. Tua altaria semper redolebunt suaveolentes flores, et tua fortunata urna semper potabit unguenta Assyria, et lacrymas filii, qui major honor est. Ille offeret sacra manibus tuis, et eximet terram e tuo

nia ; et sic edidit Bernartius.—208 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *genitor mitissime.* Gronovius Diatr. cap. 33. conjecerat *senior*, et ita invenit in Florent.—210 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *mœstisque s. p. sepulchris ;* codd. Rhod. et Salisb. cum Venett. 2. et Parm. *mœstique s. p. sepulchri.* —211 Unus codex : *halabunt floribus aræ.*—214 Parm. Rom. et vet. Linden-

NOTÆ

205 *Dicentem*] Etruscum filium. *Genitor*] Etruscus pater.

206 *Lente*] Quia ægre relinquebat tam pium filium.

207 *Etruscæ*] Suæ uxori: ut quæ summo gaudio exciperet hanc filii pietatem.

208 *Salve supremum, senior*] Hæc verba sunt Poëtæ, non Etrusci filii.

209 *Supremumque vale*] 'Salve' et 'vale' in exequiis supremæ voces Romanis, ut Græcis χαῖρε, οὖλε, quæ dicebantur peracto funeris officio. Unde 'novissima verba' vocantur a Virgilio : 'Dixitque novissima verba.'

210 *Triste Chaos*] Sic Inferos vocat ob perpetuas tenebras, quibus replentur: sic Propemptico Metii: 'Cimmeriumque Chaos.' *Mœstique situs patiere sepulcri*] Mortui pati situm sepulcri dicebantur, cum sepulcra eorum non inviserentur a propinquis, quod iodicium erat vivos omnem mortuorum memoriam amisisse.

211 *Semper odoratis spirabunt floribus aræ*] Aras etiam mortuis erigebant, easque non solum coronare, sed et conspergere floribus solebant.

212 *Assyrios bibet urna liquores*] Tangit ritum jam a nobis observatum condiendi cineres et ossa, sive reliquias mortuorum, pretiosissimis unguentis succisque, quale erat amomum, quod vocat 'Assyrium,' quia in Assyria oriebatur.

213 *Et lacrymas, qui major honos*] Nihil enim magis testatur nos vero et amarissimo dolore corripi, quam lacrymæ; ideo mortuis gratissimas credebant veteres. Tibullus lib. III. El. 2. 'Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem.' Noster Consol. ad Ursum : 'Et domini fletus, Hos

Manibus, inque tua tumulum tellure levabit.
Nostra quoque, exemplo meritus, tibi carmina sanxit,
Hoc etiam gaudens cinerem donasse sepulcro.

sepulcro. Dicat etiam tibi nostros versus quos meruit tanto pietatis exemplo, et gaudeat dedisse adhuc hunc tumulum tuis cineribus.

brogii: *atque tua;* Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Grasser. Gevart. &c. *eque tua.* Lectio nostra est ex emendatione Marklandi.—215 Edd. vett. *meritis tibi carmina sancit;* Gronov. Diatr. cap. 33. conj. *meritus;* Barth. *meriti.* Lectionem nostram e Parmensi restituit Marklandus.

NOTÆ

tantum hausere favillæ, Hos bibit usque rogus.' Eadem: 'Nil miseris acceptius umbris Quam gemitus.' *Hic sacra litabit Manibus*] Sacra enim etiam instituta in honorem mortuorum.

214 *Inque tua tumulum tellure levabit*] Id est, terram eximet e tuo tumulo. Nam sic animam sepulcro conditam minus premi credebant. Unde precabantur parentibus amicisque 'levem terram:' contra inimicis 'gravem.'

215 *Nostra quoque, exemplo meritus, tibi carmina sanxit*] Legendum *meritus*, non *meritis*, ut habent aliæ editiones, optime vidit Gronovius, et explicuit hunc locum. Domitius legit *meritis*, et sic explicat: *Exemplo meritis*] Ut inde esset exemplum meritorum tuorum, voluit me tibi dicare hoc carmen. Sed legendo *meritus*, nihil amplius difficultatis est. Claudius Etruscus filius dicat tibi, o senior, nostra lugubria et pia carmina. *Exemplo meritus*] Id est, quæ exemplo pietatis suæ meruit, a nobis elicuit. Sic Pietate Abascantii: 'Namque egregia pietate meretur.' In Epicedio in patrem: 'Vidit et exemplum genitrix.'

216 *Hoc sepulcro*] Id est, hoc carmine funebri, quasi epitaphio.

IV. CAPILLI FLAVII† EARINI.‡

Missam ab Earino comam Æsculapio bonis ominibus prosequitur, Deumque rogat, ut hoc donum lætus libensque accipiat.

Ite, comæ, facilemque precor transcurrite pontum:

Ite capilli, et trajicite, oro, tranquillum pelagus: vadite molliter jacentes in aurea

Parm. *Capilli Flavii Earini Domitiani Liberti;* ceteræ vett. *Coma Earini;* Markl. suspicatus erat *Capilli Earini*, ut in Præf. ad Pollium. Codex Salisb. *Capilli Flavi Ierini;* Rhod. *Capilli Flavii Ierini;* unde Gronovius: *Coma Flavii Earini*, et sic ap. Sidon. Apollinarem. Marklando debetur: *Capilli*

NOTÆ

† *Flavii*] Nomen *Flavii* Earinus e gente Domitiani patroni traxerat.

‡ *Earini*] Martialis lib. x. Epig. 18. hoc modo ludit in nomine Earini:

Ite, coronato recubantes molliter auro:
Ite, dabit cursus mitis Cytherea secundos,
Placabitque Notos: fors et de puppe timenda
Transferet, inque sua ducet super æquora concha.
Accipe laudatos, juvenis Phœbeie, crines,
Quos tibi Cæsareus donat puer: accipe lætus,

pyxide ad summum usque marginem repleta: Vadite, mitis Citherea præbebit felicem navigationem, et leniet ventos. Et forsan transportabit vos de navi, in qua periclitamini, et vehet super mare in sua concha. Accipe, juvenis Phœbi fili, pulchras comas, quas tibi dat puer Cæsaris. Accipe hilaris et monstra eas intonso

NOTÆ

'Nomine qui signat tempora verna suo.' Et Epig. 12. ejusdem libri: 'Nomen cum violis Musisque natum, Quo pars optima nuncupatur anni.' ’Εαρωὸς enim *vernus*, *viridis*, ab ἔαρ, *ver*, quod floribus abundat. Hanc comam Papinius hoc carmine et Martialis duobus epigrammatis immortalem reddunt, quæ ascripsi; conferunt enim aliquid lucis Papinii versibus. Referuntur a Martiale lib. IX. Epig. 17. et 18. De Coma Earini: 'Consilium formæ speculum dulcesque capillos Pergameo posuit dona sacrata Deo, Ille puer tota domino gratissimus aula, Nomine qui signat tempora verna suo. Felix, quæ tali censetur munere tellus! Nec Ganymedeas vellet habere comas.' De eadem ad Æsculapium: 'Latonæ venerande nepos, qui mitibus herbis Parcarum exoras pensa, brevesque colos: Hos tibi laudatos domino sua vota capillos Ille tuus Latia misit ab urbe puer. Addidit et nitidum sacratis crinibus orbem, Quo felix facies judice tuta fuit. Tu juvenile decus serva, ne pulchrior ille In longa fuerit quam breviore coma.'

1 *Transcurrite pontum*] Nam Pergamus, in quam hi capilli mittebantur, in Asia Minori erat sita, ut jam diximus Soteriis Gallici: ideoque transmittendum erat mare.

2 *Coronato auro*] Id est, Pyxide aurea usque ad summum marginem repleta, sicut coronata pocula etiam dicuntur, mero usque ad summum repleta. Non enim uspiam legitur has pyxides coronis indui. Statio *coronatum aurum* per Hypallagen dicitur, cum potius crines coronati auro dici deberent. Eodem loquendi modo Catullus: 'Religasset navita funem,' pro 'fune navem.' Eidemque 'inusta flagella,' pro 'inusta flagellis' verbera. Ita Plinius XXXVI. 5. 'Calceare soccos,' pro 'soccis' pedes dixit. *Gronov.*

3 *Cytherea*] Venus, a Cythera insula prope Cretam, ad quam concha vecta appulisse dicitur.

4 *Notos*] Ventos humidos et tempestates excitantes. *Timenda*] In qua periclitamini.

5 *Sua concha*] Vide supra vs. 3.

6 *Laudatos*] Id est, pulchros. Sic Ovidio Ep. Herus, 'laudatissima forma Tyro.' Martialis supra: 'Laudatos domino sua vota capillos.' *Juvenis Phœbeie*] Æsculapi fili Phœbi, seu Apollinis.

7 *Cæsareus puer*] Earinus libertus Cæsaris. *Accipe lætus*] Usitata verba dedicantium. Sic in dedicatorio epigrammate Eratosthenis δέχνυσο δ' εὐμενέως, id est, *accipe libenter*, et Pindarus in invocatione numinis Od. IV. 'Ωκεάνου θυγάτερ, καρδίᾳ γελανεῖ δέχεο, id est, *filia Oceani, accipe lato animo.*

Intonsoque ostende patri: sine dulce nitentes
Comparet, atque diu fratris putet esse Lyæi.
Forsan et ipse comæ nunquam labentis honorem
Proferet, atque alio clausum tibi ponet in auro.
Pergame, pinifera multum felicior Ida!
Illa licet sacræ placeat sibi laude rapinæ;
(Nempe dedit Superis illum, quem turbida semper

genitori. Patiaris eas blande micantes conferat cum suis, et diu credat esse fratris Bacchi. Forsan et ipse pater consecratam comam et æternum duraturam eximet e cistula in qua condita est, et eam ponet in alio auro clausam in suis sacrariis tibi gratificaturus, Æsculapi. O Pergame multum fortunatior Ida pinifera! licet illa sibi blandiatur Ganymede in nube rapto; nam præbuit Divis eum quem Juno semper

Flavii Earini.—12 In quibusdam codd. *pinnifera multum felicior Ide.*—13 Omnes codd. et edd. vett. servant: *placeat sibi nube.* ' Quis mihi explicabit quid sit *nubes rapinæ?* et scio quidem hunc locum adduci a doctissimo Heinsio ad Val. Flac. I. 706. sed alia ratio istius ac hujus loci: ut enim Dædalus et Icarus poëtice vocari possent *nubes*, non tamen explicari potest ex sensu communi quomodo *Ida sibi placere* potuit *nube rapinæ.* Ne dubites quin scripserit Statius: *sacræ placeat sibi laude rapinæ.* Cf. Val. Flac. II. 148. Nostr. Theb. IX. 704. et VI. 574. Nemo conjiciat *lube* pro *nube; labe* enim

NOTÆ

8 *Intonso patri*] Id est, Apollini, qui hinc ἀκερσεκόμης Græcis, id est, *intonsus* dicitur. *Dulce nitentes*] HellenismusHoratio perquam familiaris: ' dulce ridentem Lalagen amabo.' Sic Sappho πλασίον ἆδὺ φωνεύσας ὕπακούει, id est, *auscultat prope dulce loquentem.*

9 *Fratris Lyæi*] Bacchi, qui et cognominatur Lyæus. Bacchus enim, ut et Apollo, dictus κοσμοπλόκος, ἀκερσεκόμης, ἁβροχαίτης, ἁβροκόμης, εὐχαίτης, id est, *intonsus, et molli pulchraque coma præditus.*

10 *Forsan et ipse comæ nunquam labentis honorem Proferet, atque alio clausum tibi ponet in auro*] Domitius putat Apollinem etiam sibi secturum comam, ac Æsculapio dedicaturum, quam interpretationem sequi videtur Morellus, cum explicat, ' ponet,' ἀναθήσει, *dedicabit.* Sed non ea mens Papinii. Nec credidit unquam Apollinem sectos suos crines consecraturum Æsculapio; sed innuit solum, ut bene observat Gronovius, Apollinem consecratam Earini comam, et æternum duraturam, (quod Papinius exprimit his verbis, *comæ nunquam labentis honorem,*) e pyxide, in quam condita est exemturum, et in alio auro in secretis suis sacrariis, gratificaturus Æsculapio, positurum.

12 *Pergame*] Pergamus urbs Asiæ Minoris ad Caycum sita, celebris templo Æsculapii Pergameni. Vide Soteriis Gallici vs. 96. *Ida*] Ida mons Phrygiæ, ut jam sæpius diximus. *Pinifera*] A ferendis pinis sic dicta.

13 *Sacræ laude* [*nube*] *rapinæ*] Id est, umbra quam Ganymedes raptus, ut pocula Jovi administraret in cœlis, faciebat. Raptus autem Ganymedis a Jove, nota fabula.

14 *Illum*] Ganymedem. *Turbida Juno*] Hic est ζηλοτυπίας χαρακτὴρ, a dolore, indignatione, fastidio, ut *turbida* sit ἐμπαθὴς, *impos sui*, cui mox opponitur, ' placida fronte ' infra.

Juno videt, refugitque manum, nectarque recusat)
At tu grata Deis, pulchroque insignis alumno,
Misisti Latio placida quem fronte ministrum
Jupiter Ausonius pariter, Romanaque Juno
Aspiciunt, et uterque probant. Nec tanta potenti
Terrarum Domino Divum sine mente voluptas.
Dicitur Idalios Erycis de vertice lucos
Dum petit, et molles agitat Venus aurea cycnos,
Pergameas intrasse domos, ubi maximus ægris
Auxiliator adest, et festinantia sistens
Fata salutifero mitis Deus incubat angui.

irata aspicit, et e cujus manu renuit nectar accipere. At tu, Pergame accepta numinibus, et illustris formoso alumno, misisti Romam ministrum, quem Jupiter Ausonius et Juno Romana vident æqualiter leni vultu, quique utrique placet. Nec tantæ deliciæ obtigerunt potenti terrarum domino, sine consilio Deorum. Produnt auream Venerem, dum tendit e jugo Erycis ad Idalios lucos, et impellit teneros cycnos, subiisse ædes Pergameas, ubi manet placidus Deus, maximus ægrorum adjutor, et detinens fata properantia, insidet salutiferæ serpenti. Hic videt puerum

NOTÆ

16 *Grata*] Tu Pergame. *Pulchro alumno*] Earino.

17 *Placida fronte*] Ut opponat τῷ *turbida Juno.*

18 *Jupiter Ausonius*] Nonnus etiam Panoplita dat Augusto hocce cognomen adulatorium: Σκῆπτρον ὅλης Αὔγουστος ὅτε χθονὸς ἡνιοχεύει, Ῥώμῃ μὲν ζαθέῃ δωρήσεται Αὐσόνιος Ζεὺς Κοιρανίην. *Quando Augustus tenebit sceptrum totius orbis, donabit quidem Ausonius Jupiter principatu late patentem Romam. Romanaque Juno*] Cum vocat imperatorem 'Jovem Ausonium,' convenienter appellat Imperatricem 'Romanam Junonem.' Ea vocabatur Domitia, ex qua secundo consulatu filium suscepit Domitianus, altero anno salutavit Augustam; eandem Paridis histrionis amore ardentem repudiavit, intraque breve tempus dissidii impatiens revocavit.

19 *Aspiciunt, et uterque probant*] Aspicere et probare, notæ affectus.

21 *Idalios lucos*] Idalii luci in Cypro Veneri sacri. *Erycis de vertice*] Eryx, mons Siciliæ, ubi Venus magnificum templum habebat.

22 *Venus aurea*] Epitheton Homericum, χρυσῆ Ἀφροδίτη, Iliad. Γ. Vide Abramum hac de re prolixe loquentem.

23 *Ubi maximus ægris Auxiliator adest, et festinantia sistens Fata salutifero mitis Deus incubat angui*] Intelligit Æsculapium, qui 'Deus opifer' Ovidio dictus, et cui superbum Pergami templum erat dicatum, quique medicinæ præerat. *Festinantia sistens Fata*] Martialis Epigrammate supra laudato: 'Qui mitibus herbis Parcarum exoras pensa, brevesque colos.' *Salutifero mitis Deus incubat angui*] Τὸ *incubat* ἐπικύπτει, *incumbit.* Macrobius cap. 10. 'Simulacris Æsculapii et Salutis draco subjungitur, quod hi ad solis naturam referuntur, et est Æsculapius vis salutaris de substantia solis, subveniens animis corporibusque mortalium.' *Mitis Deus*] Spectat

Hic puerum egregiæ præclarum sidere formæ
Ipsius ante Dei ludentem conspicit aras.
Ac primum subita paulum decepta figura
Natorum de plebe putat: sed non erat illi
Arcus, et ex humeris nullæ fulgentibus umbræ.
Miratur puerile decus; vultumque comasque
Aspiciens, Tune Ausonias, ait, ibis ad arces,
Neglectus Veneri? tu sordida tecta, jugumque
Servitii vulgare feres? procul absit: ego isti,
Quem meruit, formæ dominum dabo: vade age mecum,
Vade, puer; ducam volucri per sidera curru
Donum immane duci: nec te plebeia manebunt
Jura; Palatino famulus deberis amori.
Nil ego, nil, fateor, toto tam dulce sub orbe

conspicuum fulgore insignis formæ, ludentem ante altaria ipsius numinis. Ac primum paulum delusa repentina specie, credit eum e turba natorum suorum; sed ille non habebat arcum, nec alas in nitentibus humeris. Stupet pueri formam, et cernens faciem ejus et capillos: Tune, inquit, ibis ad Romanas arces, a Venere neglectus? Tu patieris humiles domos, et jugum plebeii famulitii? Dii non sinunt. Ego tribuam huic pulchritudini dominum, quo digna est. Age, veni mecum, veni puer, veham te celeri curru per astra, munus egregium Imperatori. Nec tibi plebeius dominus continget. Minister destinaris Palatino amori. Fateor nihil vidisse pulchrius, nec

[legendum *laude*] verum est.' *Markl.*—27 Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Gronov. Barth. &c. *aram.* Marklandus reposuit *aras* e Parmensi.—39 Edd. vett. omnes *jam dulce,* præter Parmensem,

NOTÆ

ad Etymon 'Ασκληπιοῦ a Demosthene laudatum *παρὰ τὸ ἀσκεῖν ἤπια φάρμακα, quod mitia daret remedia.* Martialis supra; 'qui mitibus herbis,' &c. *Salutifero angui*] Alludit forte ad id, quod Æsculapius in anguem versus et hac specie Romam delatus pestem grassantem fugaverit. Vel quia plura remedia petuntur e serpentibus, ut diximus Soteriis Gallici.

27 *Dei*] Æsculapii.

29 *Natorum de plebe putat*] Natorum, id est, Amorum. Epith. Stellæ: 'Fulcra torosque Deæ tenerum premit agmen Amorum.' Philostratus *πλῆθος, ἑσμὸν, καὶ ἀγέλην, multitudinem, agmen, et gregem* Amorum dicit in Fabula 'Ερώτων. *Sed non erat illi Arcus, et ex humeris nullæ fulgentibus umbræ*] Depingebantur enim amores pharetrati et alati. *Umbræ*] Alæ dictæ *umbræ,* quia obumbrant humeros.

32 *Ausonias*] Romanas.

37 *Duci*] Imperatori.

38 *Palatino amori*] Imperatorio.

39 *Tam* [*Jam*] Quidam legunt *Tam.*

Aut vidi, aut genui: cedat tibi Latmius ultro
Sangariusque puer; quemque irrita fontis imago,
Et sterilis consumsit amor: te cœrula Nais
Mallet, et apprensa traxisset fortius urna.
Tu, puer, ante omnes; solus formosior ille,
Cui daberis. Sic orsa, leves secum ipsa per auras
Tollit, olorinaque jubet considere biga.
Nec mora: jam Latii montes, veterisque penates

genuisse in omni orbe. Latmius sponte cedat tibi, et Sangarius puer, et ille, quem vana sui similitudo in fonte et infœcundus amor perdidit. Cærulea Nais, quæ Hylam rapuit, te prætulisset illi, et validius traxisset ad se arrepta hydria. Tu omnes forma superas, excepto solo cui donaberis. Sic locuta, ipsa rapit eum secum per levem aërem, et imperat sedem capere in biga oloribus juncta. Nec mora. Jam appurent Romæ montes, et lares prisci Evandri, quos

quæ exhibet, *tam dulce;* et sic legendum docuit Barthius.—40 Parmensis, *cedet* pro *cedat.*—47 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. &c. *veteresque Penates.* Correxit Barthius; cujus correctionis

NOTÆ

40 *Latmius*] Endymion, a Latmo insula, quem adamasse Luna dicitur.

41 *Sangariusque puer*] Designat Atyn adamatum a Cybele; *Sangarius* dicitur a Sangario fluvio Phrygiæ, prope quem Cybele colebatur. *Quemque irrita fontis imago, Et sterilis consumsit amor*] Intelligit Narcissum, qui conspecta sua imagine in fonte, tanto amore sui ipsius exarsit, ut, cum nulla facultas daretur satiandi amoris, paulatim ardentissimo desiderio contabuerit. Vide Theb. VII. 341. *Irrita, Et sterilis*] Quia amorem suum satiare non poterat. Vide Narcissi tabulam apud Philostratum, ubi *irrita fontis imago,* τὸ τῆς πηγῆς σόφισμα vocatur. Vide et Ovid. Met. III.

42 *Te cœrula Nais Mallet, et apprensa traxisset fortius urna*] Hoc est, te cœrula Nais mallet, quam Hylam, quem ferunt raptum a Naidibus ob pulchritudinem. Locus fabulæ datus, quod Hylas cecidit in fontem, cum hydria aquam hauriret. Eam enim e suis manibus elapsam cum resumere voluit, ejus pondere in flumen attractus fuit, ac sic mersus.

44 *Formosior ille, Cui daberis*] Suetonius sic Domitianum depingit: 'Statura fuit,' ait, 'procera, vultu modesto, ruborisque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore: præterea pulcher, ac decens, maxime in juventa, et quidem toto corpore.... Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud Senatum sic quondam jactaverit: Usque adhuc certe animum meum probastis et vultum.' Libellum 'de cura capillorum ad amicum edidit, hoc etiam illum simul, seque consolans, inseruit: Οὐχ ὁρᾷς, οἷος κἀγὼ, καλός τε, μέγας τε; eadem me tamen manent capillorum fata, et forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Scias nec gratius quicquam decore, nec brevius.' Non igitur mirum, si Papinius noster laudet a forma Domitianum.

46 *Olorina biga*] Cycni enim jungebantur currui Veneris.

47 *Latii montes*] Romani. *Veteris-*

Evandri, quos mole nova pater inclytus urbis
Excolit, et summis æquat Germanicus astris.
Tunc propior jam cura Deæ, quæ forma capillis
Optima, quæ vestis roseos accendere vultus
Apta; quod in digitis, collo quod dignius aurum.
Norat cœlestes oculos ducis, ipsaque tædas
Junxerat, et plena dederat connubia dextra.
Sic ornat crines, Tyrios sic fundit amictus;
Dat radios, ignemque suum: cessere priores

Germanicus, celeberrimus urbis pater, exornat novis ædificiis, et extollit usque ad summa sidera. Tunc Earinus fuit præcipuum Deæ studium. Cogitat, quis sit modus elegantior comendæ comæ, quæ vestes magis deceant purpuream ejus faciem, quod aurum dignius in digitis, et in collo. Sciebat eruditos esse oculos Imperatoris, et ipsa facibus nuptialibus ei jugarat, et dederat uxorem formosissimam. Sic comit capillos, sic fundit purpureas vestes. Dat illi suum fulgorem, et suas flammas.

laudem sibi arrogat Marklandus.—48 Parm. *Evandris quo m. n. pater inclitus orbis;* ceteræ omnes testantur *urbis*, quod verum est. Cf. Hor. III. Od. 24. 27.—52 Barthius legere malit: *quod in digitos.* Parmensis habet *quod digitis*, omisso τῷ *in.* Pro *dignius* Rom. et vet. Lindenbrogii *pinguius.*—54 Marklandus conjecerat: *et prona d. c. dextra*, i. e. facili, favente.—55 Venet. 1.

NOTÆ

que penates Evandri] Supple, apparent, vel videntur. *Veteris*] Evander enim Arcas ea tenuerat loca, ubi postea Roma condita fuit a Romulo, et parvum oppidum construxerat in Palatino monte, quod Pallanteum a Pallante avo appellaverat. Vide Historicos Romanos, et Virg. Æn. VIII.

48 *Quos mole nova pater inclytus urbis Excolit*] Intelligit superbum illud Palatium Domitiani, quod breviter describit Papinius Eucharistico, et Martialis lib. VIII. Epig. 36. Necnon alia opera fecit Domitianus, in his Capitolium, et forum transitorium, Odeum, Porticus, Isium, ac Serapium, ac Stadium, ut tradit Eutropius. Micam auream, Flaviæ gentis templum, Minervam Chalcidicam, ut dicit Eusebius. *Pater inclytus*] Domitianus.

49 *Germanicus*] Cognomen Domitiani a devictis Germanis. Vide Equum Domitiani, vs. 7.

51 *Quæ vestis roseos accendere vultus*] Contra in Achilleid. I. 'Illius et roseo flammatur purpura vultu.'

52 *Quod in digitis aurum*] An annulis aureis donatus Earinus? *Aurum collo*] Bulla, vel potius torquis.

53 *Cœlestes oculos ducis*] Equo Domitiani: 'Tua sidereas imitantia flammas Lumina.' Grandes oculos habebat Domitianus, sed acie hebetiore.

54 *Et plena dederat connubia dextra*] Quia Domitia formosissima erat.

55 *Tyrios sic fundit amictus*] *Fundere amictus* dixit eleganter, pro laxiores et diffluentes sinuosasque vestes habere, non strictas, arctasque. Tertullianus de Pallio: 'Adhuc sustinet stolam fundere.'

56 *Dat radios, ignemque suum*] Eadem Æneid. I. 'Decoram Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ Purpureum, lætosque oculis afflavit honores.'

Deliciæ, famulumque greges: hic pocula magno
Prima duci, myrrhasque graves, crystallaque portat
Candidiore manu: crescit nova gratia Baccho.
Care puer, Superis qui prælibare verendum

Priores deliciæ, et turbæ ministrorum recesserunt. Hic manu candidiore præbet prima pocula ingenti Imperatori, et cælata vasa myrrhina, ac crystallina. Nova venustas additur vino. Dilecte puer, qui electus es ad prægustandum ante Divos

fugit amictus; unde Marklandus: *fingit amictus*.—58 Edd. vett. fere omnes: *myrrhasque graves*; Salmasius Plinian. Exercit. p. 143. probat scribendum: *murrhas* sive *murrasque graves*. Parm. Rem. et vet. Lindenbrogii: *myrrhasque puer*, quod in textum recipi jussit Marklandus. Parm. *crystallaque portet*.—60. Pro *Care puer*, quod omnes codd. et edd. vett. habent, idem Marklandus

NOTÆ

57 *Deliciæ*] Pueri delicati.

58 *Myrrhasque graves*] Intelligit myrrhina vasa cælata. Ea vasa victoria Mithridatica in urbem induxit, primusque Pompeius sex pocula ex eo triumpho Capitolino Jovi dicavit: quæ protinus ad usum hominum transiere, ut refert Plinius lib. XXXVII. cap. 2. Ille auctor ibidem: 'Oriens,' ait, 'Myrrhina mittit: inveniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maxime Parthici regni: præcipue tamen in Carmania: humorem putant sub terra densari; amplitudine nusquam parvos excedunt abacos; crassitudine raro, quanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorque verius quam splendor. Sed in pretio varietas colorum, subinde circum agentibus se maculis in purpuram, candoremque, et tertium ex utroque ignescentem, velut per transitum coloris purpura rubescente, aut lacte candescente. Sunt qui maxime in iis laudent extremitates, et quosdam colorum repercussus, quales in cœlesti arcu spectantur: his maculæ pingues placent. Translucere quicquam, aut pallere vitium est: item sales, verrucæque non eminentes, sed ut in corpore etiam plerumque sessiles: aliqua et in odore commendatio est.' Fictilia non fuisse vult myrrhina Plinius lib. XXXV. cap. 12. ubi ait eo venisse luxuriam, ut fictilia pluris constarent quam myrrhina. Propertius lib. IV. Eleg. 5. putat fictilia fuisse, dum in Parthorum caminis coqui dicit: 'Myrrheaque in Parthis pocula cocta focis.' Astipulatur Propertio Arrianus, auctor Περιπλοῦς, scribens Diospoli fieri vasa Myrrhina. Michaël vero Mercatus, lib. de fossilium natura, materiam ex myrrhæ arbore incisa fluentem in massam coagmentari dicit, coloribusque ad speciem inductis, artem inde potoria hæc vasa fingere. Georgius Agricola de Natura Fossilium lib. VI. materiam myrrhinorum gemmam esse onychem existimavit, sed refellitur hoc loco Capitolini in Heliogabalo: 'In myrrhinis et onychinis lotium reddidit.' Porro Salmasius contendit antiqua myrrhina esse Porcellanea nostra, quocumque modo hodie fiant. *Crystallaque*] Pocula crystallina.

59 *Crescit nova gratia Baccho*] Sic Achilleid. I. de Deidamia: 'Illius et roseo flammatur purpura vultu, Et gemmis lux major inest, et blandius aurum.'

60 *Prælibare*] *Prælibare* hic, an τὸ

Nectar, et ingentem toties contingere dextram
Electus, quam nosse Getæ, quam tangere Persæ,
Armeniique, Indique petunt! O sidere dextro
Edite, multa tibi Divum indulgentia favit!
Olim etiam, ne prima genas lanugo nitentes
Spargeret, et pulchræ fuscaret gratia formæ,
Ipse Deus patriæ, celsam trans æquora liquit
Pergamon: haud ulli puerum mollire potestas
Credita; sed tacita juvenis Phœbeius arte

venerandum nectar, et contingendam insignem manum, quam Getæ optant videre, et Persæ Armeniique ac Indi tangere. O nate secundo astro! Dii te multo favore prosecuti sunt. Olim etiam, ne prima lanugo corrumperet fulgentes genas Earini, et venustas formosi vultus umbraretur, ipsum numen ejus patriæ, deserens altam Pergamon, trajecit mare. Nulli mortali data est facultas enervandi puerum, sed

malit, *Clare puer.*—66 Omnes codd. et edd. vett. *Carperet;* et sic legit Huschkius ad Tibull. I. 8. 31. contra Marklandum, qui edidit *Spargeret* de conjectura, ut apud Sil. Ital. VII. 691. Cf. Acc. in Bacch. ap. Serv. ad Æn. XII. 605. Heyn. ibid. Gronov. ad Gell. III. 9. et Orph. Argon. 227. Pro *fuscaret gratia formæ* Gronovius mavult: *fuscaret gaudia formæ.* Domitius

NOTÆ

καταῤῥοφεῖν, cum hi, qui pocula administrabant regibus Persarum post pateram porrectam, ex ea haustum cyatho vinum in sinistram manum spargentes biberent: an *τὸ κομψῶς οἰνοχοεῖν, καὶ καθαρῶς ἐγχέειν,* quod est, *scite pure merum infundere.*

61 *Ingentem dextram*] Domitiani scilicet.

62 *Getæ*] Populi Thraciæ. *Persæ*] Notissimi Orientis populi, qui quondam summam rerum in Asia obtinuerunt, et nunc quoque partim obtinent.

63 *Armenii*] Asiæ populi prope Cappadocas, quos habent ad occidentem, et qui ad Caspium mare fere extenduntur. *Indi*] Populi Indiæ.

66 *Spargeret* [*Carperet*] 'Carpere' sumitur hic pro minuere, attenuare, ἀμείβεσθαι Soloni, λωβεῖν, λυμαίνεσθαι. Ut Virgilio: 'Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Fœmina.' Et Ovid. Art. Am. I. 'Forma etiam spatio carpitur ipsa suo.' *Et pulchræ fuscaret gratia formæ*] *Fuscetur* legendum, ait Domitius, id est, umbretur. Eodem verbo utitur Ovid. Trist. I. 2. 'Fuscandi cura coloris.' Et Lucanus lib. X. 'Lanugine malas fuscante.' Ceterum *τὸ fuscare* hic passive sumitur. *Gaudia formæ*] Ut de Parthenopæo Theb. VI. 'Membrorumque omnis aperta est Lætitia.' Apuleius Miles. lib. II. 'Ut adhærens pressule (pallium bombycinum) membrorum voluptatem graphice liniaret.'

67 *Deus patriæ*] Æsculapius Pergameus.

69 *Juvenis Phœbeius*] Æsculapius filius Phœbi. *Tacita arte leniter, &c.*] Dicit tanta arte, et tanta lenitate secta virilia Earino, ut vix dolorem senserit.

Leniter, et nullo concussum vulnere corpus
De sexu transire jubet: tamen anxia curis
Mordetur, puerique timet Cytherea dolores.
Nondum pulchra ducis clementia cœperat ortu
Intactos servare mares; nunc frangere sexum,
Atque hominem mutare nefas; gavisaque solos
Quos genuit Natura videt; nec lege sinistra
Ferre timent famulæ natorum pondera matres.
Tu quoque, nunc juvenis, genitus si tardius esses,
Umbratusque genas, et adultos fortior artus,

juvenis Apollinis filius effecit occulta arte, ut corpus nulla plaga offensum leniter transiret de sexu: Cytherea tamen ægra torquetur solicitudinibus, et metuit, ne puer doleat. Nondum benignitas formosi Imperatoris cœperat vetare, ne secarentur mares, cum nascebantur. Nunc scelus est, mollire sexum, et mutare hominem, ac læta natura cernit solum tales, quales peperit, et ancillæ parentes non plus metuunt gestare filios, ut cum mos improbus vigeret. Tu quoque, adolescens, si natus serius fuisses, et nunc haberes genas lanugine inumbratas, et robustiora membra, non unum



legit *fuscetur.*—70 Pro *corpus* Rom. et vet. Lindenbrogii, *torpens*; quod Domitius interpretatur: Torpebat Æsculapius; non enim adnitebatur, nec vim inferebat, ne puerum vulnere offenderet. Venet. 1. *aut nullo concessum;* unde Markl. *et nullo.* Ceteræ edd. habent: *haud ullo.*—74 Pro *frangere sexum* omnes codd. Domitii habebant *frangere saxo*, sine dubio ex Virg. Æn. I. 183. et ita Parmensis.—75 *Atque hominem mutilare* Lindenbrogius, impro-

NOTÆ

71 *De sexu transire jubet*] Id est, fecit eunuchum; Eunuchi enim nec homines, nec fœminæ erant.

72 *Mordetur*] Angitur, pungitur. Verbo usus Horatius in eadem significatione I. Ep. 16. 'Mordear opprobriis falsis, mutemque colores.'

73 *Nondum*] Cum Earinus factus eunuchus. *Pulchra*] Vide supra. *Ducis*] Imperatoris.

74 *Nunc frangere sexum, Atque hominem mutare nefas*] Hic mira fœcunditas ac felicitas ingenii Papinii, qui eandem rem variare scit tot loquendi modis. Nam 'puerum mollire,' 'de sexu transire,' 'frangere sexum,' hominem mutare' sunt synonyma pro castrare. Tangit autem legem Domitiani, qua mares castrari vetuit. Quod tamen fecisse constat ex Epitome Dionis in contumeliam Titi, qui exsectos dilexerat. Postquam vero edictum hoc latum est, solebat peti gratia edicti a principe, vel præside provinciæ, si quis vel se, vel alium castrare vellet.

75 *Gavisaque solos Quos genuit Natura videt*] Id est, non videt mutatos, sed eosdem quos genuerat.

76 *Lege sinistra*] *Legem sinistram* vocat, morem castrandorum hominum, qui ante latam Domitiani legem vigebat. *Sinistra*] Quia παρὰ φύσιν, *contra naturam* est.

78 *Genitus si tardius esses*] Scilicet post legem hanc Domitiani.

79 *Umbratusque genas*] Barba scilicet.

Non unum gaudens Phœbea ad limina munus
Misisses: patrias nunc vertex solus ad aras
Naviget: hunc multo Paphie saturabat amomo,
Hunc nova tergemina repetebat Gratia dextra.
Huic et purpurei cedat coma saucia Nisi,
Et quam Sperchio tumidus servabat Achilles.

donum lætus misisses ad templum Æsculapii. Nunc soli crines eant ad patria altaria. Paphie Venus hos imbuebat multo amomo; hos Gratiæ alternatim ac sæpius pectendo repetebant tergemina manu. Capillus purpureus Nisi his cedat, et ille, quem superbus Achilles alebat Sperchio. Cum ipsi Earino propositum est



bante Barthio.—81 Pro *vertex solus* in omnibus Domitii codd. erat *solus victor;* unde ille gloriatur se vulgatam fecisse *vertex solus.* Parmensis quoque *solus victor ad oras.* Bernartius notat in manuscriptis codd. fuisse *nunc crinis;* et sic legit Politianus Epist. VI. 1. forte ex scriptis. ‘Veram puto Domitii emendationem.’ *Markl.*—83 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Grasser. Gevart. &c. *pectebat Gratia;* Rom. et Venett. cum vet. Lindenbrogii, *repetebat,* probante Gronovio in Diatr. cap. 34.—83 *Huic et purpurei cedet*

NOTÆ

80 *Non unum munus*] Duo enim misisses, barbam scilicet, et capillos ex eodem more. *Phœbea ad limina*] Ad templum Æsculapii Phœbi filii.

81 *Patrias aras*] Pergameas. *Vertex solus*] Crines soli capitis.

82 *Paphie*] Venus, quia apud Paphum religiose colebatur. *Multo saturabat amomo*] Nihil notius antiquos pretiosissimis unguentis comam perfundere, ac ungere solitos esse.

83 *Hunc nova tergemina repetebat [pectebat] Gratia dextra*] Romana ac Veneta editio, *repetebat,* quod melius; *pectebat,* quod Aldina invexit, angustius illo est, et sub illo comprehenditur. *Repetebat* est, sæpe comebat. Porro *nova* eleganter, quia Gratiæ sibi succedebant aliæ aliis ad comendos hos crines: aliæ, non eædem, cum tres sint. Sic in aliis hujus verbi ‘repetere’ frequens usus. Petronius: ‘Repetitumque infesto gurgite hausit.’ Quintilianus in Declamationibus: ‘Cum esset de stupro uxoris appellatus, cum deinde repetitus.’ Eodem usi Livius et Suetonius.

84 *Saucia*] Id est, purpurea, sanguinea, saucii colorem referens. Sic ‘mora sanguinea,’ ‘sanguineas ebuli baccas,’ ‘cruenta myrto,’ dixit Maro. ‘Rubidam spumam,’ apri cruorem candidum Silius imitatione Virgilii: ‘Qui spumas agit ore cruento.’ *Nisi*] Nisus Pandionis filius, rex Megaræ, habebat crinem purpureum à quo propria urbisque salus pendebat. Hunc secuit Scylla filia, tradiditque Minoi Megaram obsidenti. Nota fabula. Vide Ovid. Met. VIII.

85 *Sperchio*] Sperchius fluvius Thessaliæ, qui oritur in Pelio monte, et in sinum Maliacum effunditur. *Servabat Achilles*] Achillea coma celebris, et pervulgata, tum quoad prolixitatem ac densitatem, tum quoad colorem ac venustatem: eam gratiorem auro ac venustiorem tradit Papinius Achilleid. I. ‘Fulvoque nitet coma gratior auro.’ Et Philostratus in tabula Achillis. Idem alibi sparsam et prolixam dat huic Juveni. Eam au-

Ipsi, cum primum niveam præcerpere frontem
Decretum est, humerosque manu nudare nitentes,
Accurrunt teneri Paphia cum matre volucres,
Expediuntque comas, et serica pectore ponunt
Pallia: tunc junctis crinem incidere sagittis,
Atque auro, gemmisque locant: rapit ipsa cadentes

spoliare candidam frontem, et detegere fulgentes humeros, molles alites advolant cum matre Papia, solvuntque crines, et applicant serica pallia ad pectus suum, in quibus eos ponerent. Tunc junctis in modum forficum sagittis secuerunt comam, et condunt eam in pyxidem auream et gemmatam: ipsa mater Cytherea legit labentes

Parm.—87 Dan. Heinsius Crepundiis Silianis ad xv. 674. ex eo quod erat in editionibus: *humerosque modo nudare nitentes*, transponit et legit: *nodoque humeros nudare nitentes.* 'Suspecta erat hæc lectio: *modo nudare*, cum video veterem ex codice scripto proponi a Frid. Lindenbrogio: *manu nudare;* quam, cum sæpius sic loquatur Statius, recipiendam statuo.' *Barth.* Ita Parm. Rom. et Venett.—88 '[Per *teneros volucres* intelligit Cupidines. Sed mihi vix credibile Statium duo adjectiva sine substantivo adhibuisse. Vide quibus rationibus inductus lego *pueri*, non *teneri;* Ovid. Epist. ex Ponto III. 3. Amor. II. 7. Met. v. 364. Claud. Epithal. Pallad. et Celer. 9. et Theb. IV. 794. Dudum, opinor, agnoscis *pueros volucres.* Cf. Hor. III. 12. (4.)' *Markl.*—90 Parm. *cum junctis c. i. lacertis.*—94 'Modo dixerat *Atque*

NOTÆ

tem Sperchio fluvio Thessaliæ Peleus pater Achillis dicitur devovisse, pro felici illius reditu in patriam. Unde *servabat* illam *Achilles*, et expressit Poëta Homericum illud: Τήν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν. *Quam Sperchio fluvio alebat adultam.* Mos enim apud antiquos fuit, ut juvenes ad ætatem usque adultam comam alerent; mox vero patriis fluminibus dicarent: quod etiam refert Pausanias in Atticis. Tribuentes hunc honorem aquæ, ut alimoniæ parenti, vitæque conservatrici. Unde factum est, ut etiam amnes κουρότροφοι appellarentur. Apud eundem Philostratum legimus etiam Memnonem, Auroræ filium, Nilo comam suam vovisse.

86 *Præcerpere fontem*] Id est, crines frontis præcidere.

87 *Humerosque manu* [*modo*] Legit Gronovius, *manu*, ex Romano ac Veneto codice: et bene. Nihil enim aliud significat, ut idem notat, quam arte tonsoria, opere tonsorio. Quicquid per artificium manuale, aut ultro, laboreve manus fit, *manu* factum dicitur, amatque Statius hunc loquendi modum. Via Domitiana: 'Hi siccant bibulas manu lacunas.' Theb. I. 'Pars teretes levare manu, ac disponere mensas.' Protrep. ad Crispinum: 'Letalesque manu componere succos.' Seneca Ep. 89. 'Nec contenti solo, quod manu feceritis, maria agetis introrsus.'

88 *Teneri volucres*] Molles Cupidines. *Paphia cum matre*] Venere. Vide supra.

90 *Pallia*] Ut iis decidentes capillos exciperent. *Junctis sagittis*] Junxere sagittas Amores, ut speciem forficum formarent, quibus præciderent comam Earini. Ingeniosissima sane hæc nova forficum molitio.

91 *Auro, gemmisque*] Id est, aurea pyxide, gemmis ornata.

Mater, et arcanos iterat Cytherea liquores.
Tunc puer e turba, manibus qui forte supinis
Nobile gemmato speculum portaverat auro,
Hoc quoque demus, ait; patriis nec gratius ullum
Munus erit templis, ipsoque potentius auro.
Tu modo fige aciem, et vultus hos usque relinque.
Sic ait, et speculum seclusit imagine rapta.
At puer egregias tendens ad sidera palmas,
His mihi pro donis, hominum mitissime custos,

capillos, et iterum eos imbuit secretis succis. Tunc puer ex agmine, qui forte attulerat supinis manibus speculum insigne auro et gemmis: Hoc adhuc præbeamus, inquit, nullumque donum erit acceptius patriis fanis, et erit pretiosius ipso auro. Tu modo infige tuos oculos, et relinque hic faciem tuam. Sic ait, et clausit speculum ablata imagine. Sed puer Earinus porrigens manus ad astra: O Jupiter

auro gemmisque locant; statim dicturus est: *ipsoque potentius auro:* hæc mendi suspicionem incutiunt. Lego: *Nobile gemmato speculum portaverat orbe.'* Markl.—97 Edd. vett. *et vultus hucusque relinque.* ' Duo verba sunt *semper hic relinque.* Et est arguta fictio, Papinio digna. Nemo hoc hactenus vidit. Scribendum vero *hic.'* Barth. ' Ego lippus video Statium scripsisse: *et vultus hos usque relinque.* Scriptum erat pro *hos, hoc:* unde fecerunt *huc.'* Markl.—101 Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 580. legit: *dominum longa*

NOTÆ

92 *Matĕr*] Venus. *Cytherea*] Venus. *Iterat liquores*] Vide supra vs. 81.

93 *E turba*] Amorum scilicet.

94 *Gemmato speculum auro*] Aurum enim apponebatur speculis aversis, ut certiorem imaginem redderent. Vide Plinium lib. XXXIII. cap. 9. ubi agit de speculis. Non erant crystallina ut apud nos, sed argentea, vel stanno ac ære simul mixtis confecta. *Gemmato*] Vel gemmis ornato, vel splendente, ut gemmæ.

95 *Hoc quoque demus*] Speculum enim cum coma missum est. Martialis epigrammate laudato: 'Addidit et nitidum sacratis crinibus orbem, Quo felix facies judice tota fuit.'

96 *Ipsoque potentius auro*] Id est, aurea pyxide, in quam conditi crines erant.

97 *Tu modo*] Alloquitur Earinum. Tu, Earine.

98 *Seclusit* [*reclusit*] Hic 'recludere' non significat meo judicio aperire, sed rursus claudere; particula enim *re* adjuncta verbis 'rursus' plerumque significat. Aperuerat enim ille Cupido speculum, ut exciperet imaginem Earini: cum vero Earinus hucusque reliquisset vultum suum, tunc reclusit, seu rursus clausit, ne semel relicta imago elaberetur. Forsan legendum, *seclusit*. *Rapta*] Illud *rapta* imitatus est Claudianus in Epithalamio Honorii et Mariæ: 'Speculi nec vultus egebat Consilio: similis tecto monstratur in omni Et rapitur, quocumque videt.'

99 *Puer egregias* [*egregius*] Earinus.

100 *Mihi*] Παρέλκει. *Hominum mitissime custos*] Æsculapium alloquitur.

(Si merui,) longa dominum renovare juventa,
Atque orbi servare velis! hoc sidera mecum,
Hoc undæ, terræque rogant: eat, oro, per annos
Iliacos, Pyliosque situs; propriosque penates
Gaudeat, et secum Tarpeia senescere templa.
Sic ait, et motas miratur Pergamos aras.

rector hominum lenissime, velis (si dignus sum) pro his muneribus mihi renovare longam domini juventutem, et illum mundo servare. Hoc astra, hoc maria, hoc tellus mecum precatur. Superet, rogo, annos Iliacos, simul et Pylios, et lætus videat suos lares, et Tarpeium fanum secum senescere. Sic inquit, et Pergamus miratur moveri sponte sua altaria.

renovare juventa.—104 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Grasser. Gevart. ceteræ: *Iliacos Pyliosque simul.* 'Stultum nimis et puerile hoc votum tuum, O Earine; si enim aliquis *eat per annos Iliacos* seu ætatem Tithoni, quodnam opus ut *simul eat per annos* Nestoris? Voluisti, opinor, dicere, jungat ætatem Nestoris ætati Tithoni; ut ap. Martial. VIII. 2. in re simili. Hoc modo optasti: *eat, oro, per annos Iliacos Pyliosque situs*, i. e. senectutem: probo hoc ex I. Sylv. 4. 125. Virg. Æn. VII. 440. Stat. III. Sylv. 3. (156.) Theb. VII. 744. Ovid. Met. VII. 283. 302. Trist. V. 5. &c.' *Markl.*

NOTÆ

101 *Dominum*] Domitianum.

102 *Hoc sidera mecum, Hoc undæ, terræque rogant*] Sic Epiced. in Patrem: 'Nec enim sidera tantum, Æquoraque et terras.' Sic totum mundum significat, cujus hæ præcipuæ partes.

104 *Iliacos, Pyliosque*] Id est, Tithoni et Nestoris, quorum alter Iliacus seu Trojanus erat, hic Pylius a Pylo urbe Messeniæ. *Propriosque penates*] Id est, magnificam illam domum, quam ædificaverat Domitianus.

105 *Tarpeia templa*] Capitolium in monte Tarpeio constructum, quod restauraverat etiam Domitianus.

106 *Et motas miratur Pergamos aras*] Aras Æsculapii. Ararum motio ac delubri spontanea index exaudientis ac approbantis faventisque Dei. Aliquando tamen hæc motio in malum omen accepta, ut apud nostrum Theb. IV.

V. AD CLAUDIAM UXOREM.

Hac Ecloga hortatur Claudiam uxorem, ut, Roma relicta, secum in patriam Neapolim secedat.

QUID mihi mœsta die, sociis quid noctibus, uxor,

O conjux, cur die ac nocte, cum una sumus, tristis et anxia suspiras continua

Parmensis: *Ad Claudiam Uxorem ut secum Neapolim secedat:* vide Præf. Ceteræ edd. habent: *Ad Claudiam Uxorem.*—1. 2 Barthius tollit notam dis-

Anxia, pervigili ducis suspiria cura?
Non metuo, ne læsa fides, aut pectore in isto
Alter amor: nullis in te datur ire sagittis,
(Audiat infesto licet hæc Rhamnusia vultu,)
Non datur: et si egomet patrio de littore raptus
Quatuor emeritis per bella, per æquora, lustris
Errarem, tu mille procos intacta fugares;
Non intersectas commenta retexere telas,

solicitudine? Non timeo, ne tua fides offensa sit, aut alius amor irrepserit in cor tuum. Non licet ullis sagittis te ferire (Rhamnusia Nemesis audiat hæc torva facie) non licet. Et si ego avulsus a patria, vagarer quatuor completis quinquenniis per bella, per maria; tu integra abigeres mille procos, non utens artificio redordiendi

tinctionis post verbum *Anxia*, legens: *sociis quid noctibus, uxor, Anxia pervigili, &c.*—7 *Quatuor emeritis* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. Marklandus tamen legere malit: *Quatuor emensis*, ut ap. Ovid. Met. xv. 186. et 226.—9 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Grasser. Gevart. Amstel. Gronov. Barth. Veen. Delph. &c. *Non intertextas;* Venett. 1. 2. Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii: *Non intersectas;* hoc probat Markl. quamvis tentabat *imperfectas* ex Claud. Rapt. Pros. I. 269. *interceptas* ex eodem II. 156. et *intercisas* ut Theb. II. 184. 'Ego Papinium scripsisse puto: *Non impertextas;* orsa enim quotidie, et redorsa, nunquam tamen pertexuit, quod pertexere velle videbatur. Illam lectionem Lindenbrogiani libri ante hoc sesquisæclum in edd. etiam libris fuisse, sed corruptam indicant Philippi Beroaldi Commentaria in Propert. II. 9. qui

NOTÆ

1 *Sociis noctibus*] Sociæ noctes, quas simul unaque conjuges transigunt. Alio modo 'nox socia' Ciceroni sumitur Philip. II. quæ ad aliquod facinus perpetrandum juvat: 'Cum tamen tu nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere.'

2 *Pervigili cura*] Theb. II. 'Pervigiles acuunt suspiria questus.'

3 *Pectore in isto*] Δεικτικῶς, hoc est, tuo.

4 *Sagittis*] Amoris scilicet.

5 *Rhamnusia*] Nemesis Dea, Rhamnusia vocata a Rhamnunte oppido Atticæ, in quo templum magnificum habebat. *Infesto vultu*] Ea enim Dea ægro vultu respicit nimia felicitate elatos, punitque. Sic Lucanus: 'Et tumidis infesta colit, quæ numina Rhamnus.' Vide Consol. ad Ursum.

7 *Quatuor emeritis per bella, per æquora, lustris Errarem*] Alludit ad Ulyssem, qui, transacto decennio ad bellum Trojanum, erravit adhuc decem annis per maria, antequam in patriam pervenire posset.

9 *Non intersectas commenta retexere telas*] Loquitur de Penelope, Ulyssis uxore, quæ procos eludebat, retexendo noctu telam, quam die texebat. Promiserat enim se uni eorum nupturam, cum telam absolvisset. Nota fabula. Vide Homerum in Odyssea.

Sed sine fraude palam, thalamisque orbata negasses.
Dic tamen, unde alia mihi fronte, et nubila vultus?
Anne quod Euboicos fessus remeare penates
Auguror, et patria senium componere terra?
Cur hoc triste tibi? certe lascivia cordi
Nulla, nec aut rapidi mulcent te prælia Circi,
Aut intrat sensus clamosi turba theatri;

inceptas telas: sed sine dolo, et coram omnibus, obstinata renueres nuptias. Expone tamen, unde alia fronte mihi videris, et unde hæc tristitia in vultu tuo? Anne, quod Romam pertæsus, destino redire ad plagas Euboicas, et transigere senectutem in patrio solo? Cur hoc grave tibi est? Certe nulla lascivia tibi grata est, nec prælia rabidi Circi tangunt animum tuum, nec turba strepentis Theatri te afficit; sed

interfecta producit.' *Barth.*—10 Edd. vett. omnes: *thalamosque armata negasses.* Lectio nostra est ex emendatione Marklandi.—11 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Bern. Grasser. Gevart. Amstel. Gronov. Barth. Veen. Delph. et Markl. *nubila vultu;* edd. vetustt. *vultus*, quod, jussu Marklandi in curis secundis, reposuerunt Editores Bipontini.—13 *Arguor* Nic. Heinsius in Notis ad Propert. III. 17. 3. Advers. p. 732.—16 'Suspicor Statium scripsisse *cura theatri;* ex Propertio II. 13. (=16. 33.) 'Tot jam abiere dies, cum me nec cura theatri Nec tetigit Campi; nec mea Musa juvat.' Vide ad II. 2. 70.

NOTÆ

10 *Sine fraude palam*] Id est, sinceriore animo ageres cum procis, quam fecit Penelope, palamque et firmo ac obstinato corde eos rejiceres.

11 *Et nubila vultus*] Elegantissime expressit τὸ σύννεφες, quo Græci frontem curis ac solicitudinibus caperatam, seu supercilium mœstitiæ nubilo obductum significant. Metaphora sumta ab aëre caliginoso, et nubilo tempore. Unde συννεφόω, et συννεφοῦν ὄμματα, id est, *oculos mæstitiæ nubibus obducere*, apud Euripidem, et τὸ τῶν ὀφρύων νέφος, et νεφέλη ὀφρύων, id est, *nubilum et nubes superciliorum*, apud Sophoclem in Antigone. Et Latinis 'nubecula' Ciceroni in Pisonem, et Horatio: 'Deme supercilio nubem.'

12 *Euboicos penates*] Intelligit Neapolim hic, ut colligitur ex Ep. Statii ad Pollium lib. hoc tertio Sylvarum præfixa: 'Summa Ecloga, qua mecum secedere Neapolim Claudiam meam exhortor.' Vocat autem Neapolim *Euboicos penates*, quia Cumani conditores Neapolis a Chalcidensibus Eubœæ insulæ erant oriundi.

13 *Patria terra*] Neapoli.

15 *Circi*] Circi erant Romæ loca muris septa, in quibus equi pugilesque exercebantur, ludique fiebant; sic dicebantur, auctore Varrone, quod circum spectaculis ædificatis ibi ludi fiunt, et quod ibi circum metas fertur pompa, et equi currunt. Vel a Circe Solis filia, quæ prima dicitur hæc curricula instituisse in honorem Solis patris. Erant Romæ plures, sed inter hos, unus 'maximus' dictus, qui ceteros magnitudine superaret. Nam, ut ait Plinius, longitudine fuit trium stadiorum, et latitudine unius, sed cum ædificiis quaternum jugerum ad sedem 260000. hominum. Vide Cassiodorum.

16 *Theatri*] Theatrum erat locus, in quo fiebant ludi scenici, unde 'clamosum' vocat Papinius. Vide

Sed probitas, et opaca quies, et sordida nunquam
Gaudia. Quas autem comitem te rapto per undas?
Quanquam, et si gelidas irem mansurus ad Arctos,
Vel super Hesperiæ vada caligantia Thules,
Aut septemgemini caput haud penetrabile Nili,
Hortarere vias. Etenim tua, (nempe benigna

bitas et quies obscura, et nunquam plebeia gaudia. Non dico, per quod mare volo me comiteris: cum, si proficiscerer habitaturus ad rigentem Septemtrionem, vel ultra mare Occidentalis Thules, vel fontem imperium Nili, excitares me ad eundum. Nempe hic animus tuus est, quem mihi devinctum prospera

ubi hæ voces, (*turba* et *curo,*) commutantur.' *Markl.*—22. 23 '*Hæc mens tua*

NOTÆ

de Theatro Jul. Cæsarem Bulengerum.

17 *Probitas et opaca quies*] Hæc duo jungere amat Statius. Pietate Abascantii: 'Nec tamen his mutata quies, probitasque secundis Intumuit.' *Probitas* enim hic moderationem animi ac tranquillitatem significat, non efferentis se ultra modum suæ naturæ, fortunæ, meriti, dignitatis, decoris. Ita 'improbitas' Manilio, pro vehementi mentis impetu: 'Ipse sibi lex est, et qua fert cumque voluntas Præcipitant vires. Laus est contendere cuncta: Et si forte bonis accesserit impetus ansis Improbitas fiet virtus, et condere bella, Et magnis patriam poterit ornare triumphis.' Quies dicitur *opaca*, quia qui sunt quieto animo umbram et latebras quærunt, nec in publicum libenter se produnt. *Sordida nunquam gaudia*] *Sordida gaudia* vocat, quæ ex rebus abjectis et humilibus, et quæ animum humanum movere non merentur, capiuntur. Sic vocat ludos gymnicos et scenicos, ac ea spectacula, quæ in Circis theatrisve exhibebantur.

19 *Gelidas Arctos*] Intelligit tractum Septemtrionalem qui semper frigore ac nivibus riget, unde *gelidas* vocat Arctos. Septemtrio autem vocatur Arctos, quia subjacet duabus ursis, quæ Græce dicuntur ἀρκτοί.

20 *Vel super Hesperiæ vada caligantia Thules*] Thule insula in Septemtrionem vergens ultra Orcades, quam alii Islandiam, alii Tilemarchiam vocant. Dicit *vada caligantia;* vel quia cum hæc insula habeat latitudinem graduum 63. fit ut circa solstitium hybernum, nihil fere aut quam minimum diei habeant ejus incolæ, sole Capricorni tropicum ab illis longe dissitum percurrente. E contra etiam circa æstivum solstitium, quam brevissimæ ibi sunt noctes, sole ab illorum horisonte quam minimum recedente. Vel quia Sol ibi occidit, mergiturve; ut Protreptico Crispini: 'Quantusque nigrantem Fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen.' *Hesperiæ*] Quia hæc insula respectu nostri, occidentalior est.

21 *Aut septemgemini caput haud penetrabile Nili*] De Nilo fluvio Ægypti sæpius locuti sumus. Dicitur *septemgemini*, quia septem ostiis in mare Ægyptium effunditur. *Caput haud penetrabile*] Quia vetus fons Nili hucusque incognitus.

22 *Hortarere vias*] Sic Tacitus Annal. II. 'Hortantibus dehinc qui-

Quam mihi sorte Venus junctam florentibus annis
Servet et in senium ;) tua, (quæ me vulnere primo
Intactum thalamis, et adhuc juvenile vagantem
Fixisti,) tua fræna libens docilisque recepi ;
Et semel insertas non mutaturus habenas

sorte ab annis juvenilibus, Venus usque in senium servet. Tua etiam, o quæ me prima plaga fixisti expertem nuptiarum et adhuc errantem more juvenum, tua fræna libens et docilis recepi, et ea usque premo, non mutaturus semel insertas habenas.

nempe benigna Quam .... Serrat et in senium est plerarumque edd. lectio et distinctio, sine sensu, aut exitu. Gronovius vero Reliq. ad Sylv. monet se in membranis Salisb. invenisse: *at enim tua:* in codice manuscripto Rhod. et edd. Venet. 2. *etenim tua:* et ita ego in ed. Parmensi; Romana enim: *est mens tua;* quam lectionem a mala manu Domitii esse opinor, et inde in sequentes editiones propagatam, mutata voce *est* in *hæc.* Omnino verum est: *etenim tua, &c.* cum interpunctione quam in contextu meo habes; sine qua nullus est sensus. Politianus quoque Epist. VI. 1. si verba ejus recte capio, legit: *etenim tua,* non: *est mens tua.* Pro *sorte* nonnullæ edd. et inter eas Parm. habent, *forte:* perperam: *sors* proprium in hac re verbum: vide quæ dixi ad Epithal. Stell. vs. 32. Deinde *Servat et in senium;* ita Parm. Rom. et Venett. non *Servet;* sed *Serret* verius est et elegantius: certe enim tenerioris est affectus optare ut Venus istud conjugium servaret in senium utriusque, quam narrare tantum hoc ita esse: præsertim cum ista narratio non adeo vera sit; quippe Statius non erat senex quando hæc scripsit, prout discere possis si inspicias Cl. Dodwelli Annal. Statian. cap. 47. Alibi quidem dicit: 'Nos fortior ætas jam fugit;' et alibi: 'Nos facta aliena canendo Vergimur in senium:' sed non in senium servatus fuit qui vergit in senium tantum. Et quod summum est, probabile admodum est Statium non excessisse tricesimum sextum vitæ annum; quomodo igitur dicere potuit Venerem illum servare in senium? Fallatur igitur necesse est summus Gronovius, qui Diatr. cap. 35. præfert *Servat,* et Statium jam senem facit ex eo quod vs. 12. dixerat: 'Anne quo Euboicos,' &c. Atqui Statius non ibi dicit se *jam* compositurum esse senium patria terra, sed auguratur se *olim* facturum esse: aliter si sumas, ineptum erit istud *Auguror:* non enim de præsentibus, sed futuris solemus augurari. Recte igitur *Servet,* ut sit optantis; et ita postea edidit Gronovius. Gevartius et Isaacus Pontanus hunc locum infeliciter tentarunt, ut necesse erat nescientibus antiquam et veram lectionem *etenim* pro *hæc mens.*' Markl. Nos servavimus distinctionem Marklandi.—

NOTÆ

busdam inediam, et tenuem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait.' *Etenim tua* [*Hæc mens tua, &c.*] Puto, inquit, te voluisse mecum venire, si irem ad extremas Arctos: nam tibi eadem est mens, quæ fuit cum mihi nupsisti, et ego eundem amorem servo, quem olim in te contuli.

24 *Tua*] Refer ad fræna vs. 26. quod repetit, quia aliquid de ipsa interponit.

26 *Tua fræna libens docilisque recepi, Et semel insertas non mutaturus habenas*] Metaphora a re equestri ducta, ut in Equo Domitiani: 'Hic domini nunquam mutabit habenas: Perpetuis frænis, atque uni serviet astro.' Sed præcipue usitatum verbum in inconstanti amore. Tacitus: 'Neque enim perinde a parentibus liberi,

Usque premo. Ter me nitidis Albana ferentem
Dona comis, sanctoque indutum Cæsaris auro
Visceribus complexa tuis; sertisque dedisti
Oscula anhela meis. Tu, cum Capitolia nostræ
Inficiata lyræ, sævum ingratumque dolebas

Ter me complexa es in sinu tuo gestantem Albana munera fulgidis capillis, et redimitum sacra aurea corona a Cæsare donata, et anhelans osculata es mea serta. Tu, cum præmium Capitolini certaminis denegatum est meæ lyræ, mecum victa incu-

28 Nic. Heinsius Not. ad Claudian. in Rufin. I. 37. hæc habet: 'Apud Statium Sylv. lib. III. ad uxorem: *ter me victrici Albana ferentem Serta coma, &c.* quomodo restituendus ille locus: vulgo scribitur: *ter me vidisti A. f. Serta comes:* in aliis codd. est *nitidis A. f. S. comes;* sed *victrici A. f. S. coma* Statium scripsisse sum certus. Et sic legit etiam in Advers. lib. II. cap. 7. p. 260. Codex vetus Lipsii cum Parm. *nitidas A. f. S. comas.* Vide Syllog. Epist. Tom. II. p. 29. Et sic edidit Gronovius. Rom. vet. Lindenbrogii, cum multis codd. *nitidis . . . comis;* Exc. Heins. *ter me vidisti A. f. Serta comes;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *ter me vidisti A. f. Dona comes.* Nostram lectionem dederunt Lindenbrog. Cruc. Plant. &c.—32 Parm. *sævum ingratumque*

NOTÆ

quam ab impudica adulteri mutantur.' Propertius: 'Mutare dominam.' 'Mutare puellam.'

28 *Ter me nitidis Albana ferentem Dona comis, sanctoque indutum Cæsaris auro*] Ut locus hic intelligatur, notandum est, Domitianum instituisse eximias venationes, et scenicos ludos, superque Oratorum ac Poëtarum certamina, in honorem Minervæ, cujus quotannis in Albano quinquatria celebrabat. In his autem certaminibus, corona oleagina aurea, quæ erat victorum præmium, donatus fuerat Papinius. *Nitidis comis*] Flavescentibus sive nitentibus. *Auro*] Est, corona oleagina aurea, a Cæsare donata.

30 *Complexa*] Supple es. *Oscula anhela*] Id est, calida, qualia amantium et gaudentium.

31 *Tu, cum Capitolia nostræ Inficiata lyræ, &c.*] Instituerat etiam Domitianus quinquennale certamen Jovi Capitolino triplex, musicum, equestre, gymnicum, et aliquanto plurium coronarum. Certabant etiam Poëtæ oratoresque. Hoc autem in certamine victus fuit Papinius, de quo etiam queritur in Epicedio in patrem. *Capitolia*] Supple corona, quæ in his ludis dabatur victoribus.

32 *Sævum ingratumque dolebas Mecum victa Jovem*] Sic de Diis sentiebant veteres, si quid secus quam sperabant ipsis contingebat, ut sæpius diximus. *Mecum victa*] Ex hoc loco apparet Claudiam uxorem poëticæ operæ, non solum testem sed et participem fuisse, quemadmodum plures mulieres suis viris in faciendis orationibus versibusque opem tulere, ut refert Sidonius Apollin. lib. II. Ep. 10. 'Memineris,' ait, 'quod olim Martia Hortensio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Pudentilla Apuleio, Rusticiana Symmacho, legentibus meditantibusque candelas ac candelabra tenuerunt... Reminiscere, quod sæpe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cæsennia cum Getulico, Argentaria cum

Mecum victa Jovem: tu procurrentia primis
Carmina nostra sonis, motasque in murmura voces
Aure rapis vigili: longi tu sola laboris
Conscia, cumque tuis crevit mea Thebais annis.
Qualem te nuper Stygias prope raptus ad undas,
Cum jam Lethæos audirem cominus amnes,
Aspexi! tenuique oculos jam morte cadentes.
Scilicet exhausti Lachesis mihi tempora fati

sabas crudelem et immemorem Jovem. Tu excipis insomni aure primos sonos versuum meorum, ut excidunt, et murmura totius noctis. Tu sola testis es prolixæ operæ, et mea Thebais adolerit cum tuis annis. Quam afflictam te nuper vidi, cum pæne detrusus ad aquas Stygis, jam prope audirem Inferorum fluvios! In te enim figebam moribundos oculos. Nempe Lachesis tantum tui miserta, reddidit mihi

---

dolores; Rom. *scævum ingratumque dolebas.*—34 Heinsius ad Claud. Rufin. I. 152. legit *motasque in murmura voces*, pro eo quod habent Venett. Parm. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *totasque in murmure noctes Aure rapis vigili;* et profert Gronovius in Obss. IV. 12. Heinsius ita scribit: 'Sciolus aliquis, qui ignorabat *aurem vigilem* poëtis pro attenta frequenter poni, illic loci refinxit: *totasque in carmine noctes;* quomodo nunc legitur: quasi Statius totis noctibus aliud nihil egisset.' Ast omnes edd. habent *murmure*, non *carmine.*—35 *Aure capis* legebat nescio quis.—37 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. &c. *nuper Stygias modo raptus ad undas.* 'Quid est hoc *nuper modo raptus?* nonne *nuper* et *modo* idem sunt? Bene notavit Bernartius veterem codicem pro *modo* habere *prope*, quod verissimum est.' Ita Marklandus, qui ex illo vet. cod. primus reposuit *prope;* sed vide Barthium, et Facciolat. sub voce *modo.*—39 'Usitatius est: *oculos jam morte natantes*, quam *cadentes:* Auctor Consol. ad Liv. 92. Ovid. Met. v. 70. Nostr. II. 638. XI. 557. Sil. Ital. II. 122. Plura e Poëtis possem afferre, nisi sanam putarem vulgatam lectionem.' *Markl.*—40 'Porro moneo versum hunc mihi sanum videri: argutari enim potes: *exacto Lachesis mihi tempora filo*, ut Sylv. v. 1. 'exacti superest pars ultima fili;' vel: *exhaustæ Lachesis mihi tempora vitæ;* quæ phrasis sæpe numero apud Poëtas occurrit. Sed *tempora fati* præstat Val. Flac. III. 379.' *Idem.*—

NOTÆ

Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo.' *Jovem*] Quia hi ludi versusque fiebant in honorem Jovis Capitolini.

33 *Tu procurrentia primis Carmina nostra sonis, motasque in murmura voces*] Morem, ut ait Cruceus, exprimit Poëtarum carmen aliquod meditantium; illud enim primo murmure quodam tacito intra se concipiunt, deinde retractatum aliquoties et repetitum fundunt. Fulgentius de Alleg. librorum Virgilii: 'Quales vatum. imagines esse solent, dum assumtis ad opus conficiendum tabulis, arcanum quoddam latranti intrinsecus tractu submurmurant.'

37 *Stygias*] Styx fluvius Inferorum.

38 *Lethæos amnes*] Fluvios Inferorum, quorum unus Lethe dicitur.

40 *Lachesis*] Una e Parcis. *Fati*] Fatum apud Poëtas sæpe sumitur,

Te tantum miserata dedit, Superique potentes
Invidiam timuere tuam: post ista, propinquum
Nunc iter, optatosque sinus comes ire moraris?
Heu ubi nota fides, totque explorata per usus,
Qua veteres Latias, Graiasque Heroidas æquas?
Isset ad Iliacas (quid enim deterret amantes?)
Penelope gavisa domos, si passus Ulixes.
Questa est Ægiale, questa est Melibœa relinqui,
Et quanquam sævi fecerunt Mænada planctus.

annos jam transactos, et potentes Dei metuerunt te offendere. Post hæc nunc recusas me comitari in tam expetitas et proximas terras? Ubi fides cognita et experta tot officiis, qua æquiparas priscas Heroidas Latinas et Græcas? Penelope læta venisset ad Trojam (quid enim amantes avertit?) si Ulysses precibus ejus annuisset. Ægiale et Melibœa questæ sunt se deseri, et illa quam crudeles luctus

43 Bernartius ex manuscripto codice profert: *optandosque sinus*, improbante Marklando.—44 Codex unus: *totque explorata per annos.*—45 'Heroides scribendum, Latino non Græco usu; alioquin enim perdurus totum versum sonus vexabit.' *Barth.* 'Suspectus mendi versus propter tot voces in *as* exeuntes, quæ vitiosum ac ingratum sonant, ut bene notat Heinsius ad Ovid. Trist. v. 5. 43. Unde, inquit, Statius reliquisse possit videri: *Qua veteris Latii, Graiisque Heroisin æqua es.* Satis caute agit vir magnus. Singula videamus. Probum est *veteres Heroidas*, ut Pietat. Abasc. 255. Ovid. Art. Am. 713. et Amor. II. 4. 33. Nihil igitur in his vocibus innovandum, cum satis clara sit Ovidii imitatio. De ceteris, mihi videtur legendum: *Qua veteres Latias, Graiumque Heroidas æques.* Cf. Ovid. Met. XIII. 282. Lucr. II. 600. Nostr. Theb. x. 838.' *Markl.*—49 'Hic est unus ex locis de quibus in Præfat. questus sum; adeo immaniter, si quid video, depravatus, ut sine codicis alicujus vel variantis lectionis adminiculo impossibile sit eum in sanitatem asserere. Loquitur Statius de fidis uxoribus, et quæ conjuges suos per omnes casus comitari vellent: Ægiale, inquit, *questa est relinqui*, mallet comitari maritum suum Diomedem ad bellum Trojanum; et ita Melibœa Philoctetem: *et planctus, quanquam sævi, fecerunt Mænida.* Quam fecerunt Mænida? et quare? et quomodo? et quando? Et si hæc omnia probaveris, quænam connexio inter hunc et præcedentem versum? quid enim Mænas aliqua Bacchi furiosa

NOTÆ

pro vita seu tempore fatis vitæ cujusque præstituto.

42 *Invidiam timuere tuam*] Timuerunt te offendere, ne invehereris in se, ut mos erat, cum carissimi moriebantur, ut sæpius diximus. *Propinquum Nunc iter, optatosque sinus*] Id est, Neapolim non procul dissitam.

46 *Iliacas*] Trojanas.

47 *Penelope*] Penelope uxor Ulyssis.

48 *Ægiale*] Uxor Diomedis. *Melibœa*] Uxor Philoctetæ. *Relinqui*] Volebant enim sequi maritos ad expeditionem Trojanam.

49 *Et quanquam sævi fecerunt Mænada planctus*] Quidam intelligunt hunc versum de Laodamia Protesilai

Nec minor his tu nosse fidem, firmamque maritis

asciverunt in comitatum et torum Bacchi. Nec certe minus his fidem cognoscis,

cum uxoribus Ægiale et Meliboea? quare tam emphatice *planctus quanquam sævi?* quasi hæc, quæcumque sit, de qua sermo est, magis Mænas facta fuisset, si planctus ejus minus sævi fuissent. Sed tempus est audire Gronovium Diatr. cap. 35. ubi post citatos duos hos versus, (48. 49.) ita loquitur: 'Varie posteriorem versum torserunt interpretes. Gevartius disjungit *τὸ quanquam: Et quam quam sævi;* uti et Domitius, quando notat inusitate *τὸ quam* cum positivo junctum; frequentius addi particulam *per*, ut sit *perquam sævi.* Quem merito reprehendit ille, quod hæc ad Laodamiam referat. Cruceus supponit: *Et quam tam sævi.* Nugæ. Vera est vulgata, et ita explicanda: Ægiale relinqui se questa est: questa est etiam Meliboea: et *planctus* ob desertionem, quanquam tristes sævique (quia illa impia, immerita, iniqua; non quales istæ quas causa publica et dignitas Græciæ decusque regium imperabat, juncta spe reditus) fecerunt Mænada aliquam, nempe Ariadnen. Inter planctus et lugubrem ejulatum deprehensa a Libero patre Cnossis Mænas facta est, hoc est, in comitatum et torum Liberi ascita: hoc evenit inter istiusmodi flebiles ritus et doloris insaniam: ideo planctus id fecisse dicuntur, more familiarissimo Poëtis fingendi αἴτιον τὸ μὴ αἴτιον.' Hucusque Gronovius: et defendit hanc explicationem Elench. Antidiatr. c. 5. ubi dicit de nulla alia quam de Ariadne Statium capi posse. Nescio quomodo tecum agitur, Lector; ego quidem nihilo magis adhuc video quo sensu hæc connecti possint: quid enim si Ariadne inter *planctus* recepta fuerit in torum et comitatum Bacchi? quid hoc ad exempla uxorum quæ conjuges amarunt, et pro illis et cum illis quidvis perpeti paratæ fuerunt; de talibus enim agit Statius; non ex Fabulis, sed Historia. Mitto quod Ariadne non dici potuit facta esse Mænas ex quo quod in torum Bacchi (illudit enim vir doctus addendo: 'et comitatum') recepta fuit: alia enim res est Mænas. Sed ut compendii faciam, (multo enim plura contra hanc interpretationem afferri possunt,) corruptissimus est locus, et forte mutilus: supra enim vs. 45. dixit: 'Qua veteres Latias Graiasque Heroidas æquas;' et de Graiis tribus exemplis absolvit: æquum erat ut uno saltem Latias demereretur. Utcumque sit, sine dubio scripsit: *Et quam: Ægiale, Meliboea, et illa Quam, &c.* ut Capill. Earini: 'cedat coma saucia Nisi Et quam Sperchio tumidus servabat Achilles:' et ita passim: sed ultra non possum. Editiones vetustæ nihil mutant hoc loco; nisi quod pro *sævi* Romana *scævi* exhibet.' *Markl.* 'Diu suspicatus eram partem hujus versus formatam esse ex Seneca Herc. Œt. 1886. 'Feriantque graves Mænala planctus.' Obstupui cum in Venet. 1. pro *Mænada* inveni plane *Menala:* unde pronum fuit facere: *questa est Meliboea relinqui, Et cujus sævi ferierunt Mænala planctus;* Ægiale, Meliboea, et illa cujus planctus ferierunt Mænala. Quænam fuerit hæc Herois Arcadica memoriæ non nunc occurrit, nec vacat disquirere: non tamen dubito quin aliqua sit cujus maritus ad bellum Trojanum profectus est.' *Idem in Addendis.* 'Legendum: *Et quam, tam sævi: tam sævi planctus,* ut ex sana insanam fecerint. Clara res est, non personæ et Fabulæ. Domitius Calderinus quæ hoc loco tam confidenter tradit, nullis testibus probare poterat; sed nec cogebatur, cum omnia ad libitum Papinius detorserit, personas mutuatus ex Mythhistoriis, suo commodo aptas.' *Barth.*—50 Parm. *fictumque mari-*

NOTÆ

uxore. Sed potius hic intelligenda Ariadne: hæc enim inter planctus et lugubrem ejulatum, quod deserta fuisset a Theseo, deprehensa a Libero Patre, Mænas facta est, hoc est, in comitatum et torum Liberi ascita.

Reddere: sic certe cineres, umbramque priorem
Quæris adhuc: sic exequias amplexa canori
Conjugis, ingentes iteras de pectore planctus,
Jam mea. Nec pietas alia est tibi, curaque natæ:
Sic ut mater amas, sic nunquam corde recedit
Nata tuo; fixamque animi penetralibus imis
Nocte dieque tenes: non sic Trachinia nidos
Alcyone veros, non sic Philomela penates

et inconcussam redhibes conjugibus: sic certe colis cineres et manes prioris mariti: sic amplexa tumulum aulœdi viri, crebro planctu tundis pectus, quanquam mea. Et pietas eadem tibi est, et cura ejus filiæ: sic eam ut mater diligis: sic nunquam recedit ex corde tuo, et habes illam diu noctuque impressam imis animæ recessibus. Non tanto affectu Alcyone Trachinia circuit nidos suos, quos vere facit. Non sic

tis Dedere; ed. vetusta Heinsii: *tutamque maritis Dedere;* scriptus liber ejusdem: *vitamque maritis;* unde ille opinabatur: *totamque maritis Te dare.* Vide Advers. lib. I. cap. 2. p. 15.—52. 53 ‘ Male τέλεια στιγμὴ in vulgatis ponitur post *planctus*, et sententia nova orditur ab istis: *Jam mea, nec pietas, &c.* qua re oppositionis elegantia perditur. Nemo vero mutet vocem *exequias* in *reliquias*, utcumque adblandiatur.’ *Markl.* Ut Marklandus distinxit, longe ante dederat Barthius in Notis. Pro *iteras de pectore*, quod est ex ingenio Marklandi, edd. vett. omnes exhibent: *iterasti pectore.*—54 Venet. 1. *curaque note.*—55 *Sic et mater amas* Parm. et Rom. *Sic ut mater amas* in ceteris. Barthius correxit: *Sic ea matris amans;* cum hac interpretatione: Sic ea te matrem in oculis gerit; sic vicissim ea, filia, nunquam corde tuo recedit.—56 *Nota tuo, &c.* Venet. 1. Marklandus conj. *Illa tuo.*—57. 58 ‘ Quinam hi *verni* Halcyones *nidi?* Plin. N. H. x. 32. de halcyonibus: ‘ Faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, et totidem sequentibus pariunt.’ Cf. Ovid. Met. XI. 745. Vet. Scholiast. ad Stat. Theb. IX. 361. Hygin. Fab. LXV. et Serv. ad Virg. Georg. I. 399. Non igitur *verni* Halcyones *nidi:* et

NOTÆ

51 *Umbramque priorem*] Id est, umbram seu manes prioris mariti.

52 *Canori Conjugis*] Hinc patet priorem maritum Claudiæ, fuisse musicum, vel aulœdum. Infra enim dicit: ‘ Voce paterna Discendum Musis discit.’ Per canorum tamen hunc conjugem aliqui Lucanum Poëtam intelligunt, sed nullo valido argumento. Vide Vitam Papinii.

54 *Mea*] Id est, mihi matrimonio conjuncta.

57 *Non sic Trachinia nidos Alcyone veros*] Idem et Papinius Theb. IX. ‘ Fluctivagam sic sæpe domum, madidosque penates Alcyone deserta gemit, cum pignora sævus Auster et algentes rapuit Thetis invida nidos.’ Et ibi diximus, Alcyonem fuisse Ceycis regis Trachinensium uxorem, quæ cum corpus mariti, qui naufragio perierat, agnovisset, tanto dolore correpta fuit, ut se supra illius corpus in mare projecerit. Ambo vero in Alcyones aves, misericordia Deorum, mutati fuerunt. Vide Ovid. Met. XI. *Veros* [*vernos nidos*] Quia verno tempore pariunt Alcyones. Vide Plinium lib. x. cap. 32.

58 *Non sic Philomela penates Circuit,*

Circuit, amplexusque animamque in pignora transfert.
Et nunc illa tenet viduum quod sola cubile,
Otia tam pulchræ terit infœcunda juventæ:

Philomela suos amplectitur, et transmittit animam in pullos suos. Heu, quod nunc illa tua nata cubat sola in vacuo lecto, et infœcunda consumit tam

si essent, nihil hoc ad rem, nisi probari posset Halcyonem *vernos* magis quam brumales nidos diligere et amplecti solere. Lege: *non sic Trachinia nidos Halcyone veros, non sic, &c. Nidi* sunt pulli. Claud. III. Cons. Hon. 5. Virg. Æn. XII. 473. Georg. IV. 17, &c.' *Markl.*—59 *Circum it et amplectens,* vel: *Circū it et amplectens* in quibusdam scriptis; forte: *Lustrat et, &c.* Venet. 1. amplexuque animam in pignora; Parm. *amplectensque animamque;* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Circuit amplectens, animamque in pignora transfert.* Lectio nostra est ex emendatione Marklandi.—60. 61 *Heu nunc illa terit viduo quod sola cubile Otia, jam pulchræ terit, &c.* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Heu n. i. terit viduum quod s. cubile! Otia tam p. terit, &c.* Gevartius Papin. Lect. III. 14. *Heu n. i. terit viduo q. s. cubili Otia tam p. vere infœcunda, &c.* Gruterus in schedis, quibus utebatur Gronovius. *Heu! n. i. terit viduo q. s. cubili Otia! tam pulchræ perit infœcunda juventæ* Gronovius Diatr. cap. 35. et Elench. Antidiatr. cap. 5. et non dubitat Papinium ita reliquisse. Postquam tamen inspexisset codd. Rhod. et Salisb. et Venet. 2. qui omnes in priori versu pro *terit* habent *tenet*, in Reliq. ad Sylv. ambigit an fuerit: *Heu n. i. tenens viduum q. s. cubile Otia tam pulchræ terit;* quod probat Marklandus, qui tamen credebat a Statio fuisse: *Heu n. i. jacens viduo q. s. cubili Otia tam pulchræ terit, &c.* Edd. vero Venet. 1. Parm. et Rom. habent: *Et nunc illa tenet;* unde idem Marklandus lectionem nostram effinxit. In textu tamen habet: *Et nunc illa*

NOTÆ

amplexusque animamque in pignora transfert] Mirus enim amor est lusciniæ seu philomelæ in pullos suos. Per *penates* intelligendus nidus; nam penates abusive pro domo accipiuntur. Ova parit verno tempore, cum plurimum sena. Vide Plinium lib. x. cap. 29.

60 *Et nunc illa tenet viduum* [*terit viduo*] *quod sola cubile* [*cubili*] *Otia tam pulchræ terit infœcunda juventæ*] Illud *terit* iteratum non probatur doctissimo Grutero, unde suspicatur Poëtam sic scripsisse: *Otia tam pulchræ vere infœcunda juventæ.* Gevartius sic corrigit hunc locum: *terit viduum quod sola cubile! Otia tam.* Mavult Gronovius: *tam pulchræ perit infœcunda juventæ.* Et frequentissimas esse observat vices literarum T et P. 'Perire' porro juventæ dicitur, cui juventa perit, qui juventam otiosam, inexercitam iis, quibus debebat, muneribus habet. *Infœcunda perit juventæ,* quæ juventam sine tori conjugalis gaudiis et votis conjugum exigit: quæ viduos per annos transmittitur, ut Statius in Epithalamio Stellæ. Hypallage nota et frequens Poëtis. Elegantissime, cui juventa marcet, et non gignendis, aut pariendis liberis impenditur, sterilis aut *infœcunda juventæ perire* dicitur. Nec dubitat Gronovius, ita Papinium reliquisse. Observandum est etiam codices Salisb. Rhod. et Venetum habere *tenet* loco *terit* primi versus. Unde tentat Gronovius etiam: *Heu: nunc illa tenens viduum quod sola cubile, Otia tam pulchræ terit infœcunda juventæ.* Verum sanus locus est: frequens enim Papinio vocum repetitio, ut patet ex

Sed venient plenis, venient connubia, tædis.
Sic certe formæque bonis animique meretur:
Sive chelyn complexa ferit, seu voce paterna
Discendum Musis sonat, et mea carmina flectit,
Candida seu molli diducit brachia motu;
Ingenium probitas, artemque modestia vincit.

formosam juventam. Sed mariti venient auspicatissimis facibus: sic certe digna est ob eximias tum animi cum corporis dotes: seu pulsat citharam, seu canit paterna voce, quod Musæ discant, et modulatur versus meos: seu movet teneris modis niveos lacertos. Ejus bonitas superat ingenium et modestia artem.

terit viduo; et in Notis *video.*—62 ‘ Non intelligo has *plenas tædas:* forte scriptum erat *phestis*, i. e. *festis*, *ph* pro *f*, ut in libris scriptis millies fit; hoc non intellectum in *plenis* degeneravit.’ *Markl.*—64 *Sive chelyn complexa petit* Venett. Parm. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ; *ferit* ex conjectura edidit Marklandus, qui, pro *voce paterna*, malit etiam, *voce canora.*—65 *Livendum Musis*, vel *Dicendum Musis*, conjecit idem Marklandus.—66 *Grandia seu molli* Parm. Pro *diducit*, Heinsius ad Ovid. Rem. Amor.

NOTÆ

hacce ipsa Ecloga supra: ‘ Tuæ quæ me vulnere primo, Intactum thalamis, et adhuc juvenile vagantem Fixisti, tua fræna libens.’ Ubi τὸ ‘ tua ’ primum refertur ad τὸ ‘ fræna.’ Infra: ‘ Sed venient plenis, venient connubia, tædis.’ Quo vulgaris lectio τοῦ *terit* in secundo hoc etiam versu firmari potest.

62 *Plenis, venient connubia, tædis*] Sic coma Earini: ‘ Et plena dederat connubia dextra.’ *Plenis*] Id est, auspicatissimis, et quæ polliceantur felix et concors matrimonium, aut etiam amantissimum ac eximia specie præditum maritum.

64 *Seu voce paterna Discendum Musis sonat, et mea carmina flectit*] Hinc etiam patet priorem maritum Claudiæ fuisse Musicum. Plinius de uxore sua, Epistola 19. libri quarti ad Hispullam: ‘ Versus quidem meos cantat formatque cithara.’

66 *Diducit* [*deducit*] *brachia motu*] Propertius lib. II. Eleg. 22. ‘ Sive aliquis molli deducit mollia gestu Brachia: seu varios incinit ore modos.’ ‘ Ducere ’ enim et ‘ deducere brachia ’ in saltatione, idem quod movere. Sed et ‘ jactare ’ dicebant. Propertius lib. IV. El. 9. ‘ Nanus et ipse suos breviter concretus in artus, Jactabat truncas ad cava buxa manus.’ Chironomiam intelligit, nempe gesticulationem, et saltationem, affectus, et mores personasque exprimentem, et quasi sermonem tacitum, de qua Athenæus lib. XII. Lucianus de Saltatione: Ἀκούω, ἄνθρωπε, ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλὰ μοὶ δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. *Audio quæ facis, o homo, non video solum, sed mihi videris ipsis manibus loqui.* S. Cyprianus de spectaculis: ‘ Loqui digitis elaborat.’ Martialis lib. III. Epig. 64. ‘ Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat, Qui movet in varios brachia vulsa modos.’ Petronius: ‘ Manu puer loquaci.’ Claudianus: ‘ Qui nutu manibusque loquax.’ Qui hujusmodi artem exercebant, vocabantur ‘ Chironomi,’ et ‘ Pantomimi.’

Nonne leves pueros, non te, Cytherea, pudebat
Hoc cessare decus? Nec tantum Roma jugales
Conciliare toros, festasque accendere tædas
Fertilis; et nostra generi tellure dabuntur.
Non adeo Vesuvinus apex, et flammea diri
Montis hyems trepidas exhausit civibus urbes:
Stant, populisque vigent: hic auspice condita Phœbo
Tecta, Dicarchei portus, et littora mundo
Hospita: et hic magnæ tractus imitantia Romæ
Quæ Capys advectis implevit mœnia Teucris.

Nonne, leves Cupidines, non tu, Cytherea, erubescitis, tantum sæculi ornamentum otiari? Non sola est Roma, quæ possit jungere geniales thalamos, et accendere nuptiales faces. Generi etiam invenientur in patria nostra. Jugum Vesuvii, et ignea procella horrendi montis non vacuavit incolis trementes civitates. Stant et florent civibus. Hic sunt arces fundatæ auctore Phœbo, Dicæarchei portus, et oræ frequentatæ a populis orbis. At hic sunt muri, qui æmulantur regiones amplæ Romæ,

334. legit *deducit*, quod idem esse ait ac movet; et ita Parmensis.—72 Vet. Lindenbrogii *Vesuvius apex.*—75 Edd. vett. præferunt, *littora mundi;* Marklandus conjectabat *littora mundo;* maluit tamen, *littora Baii.*—76 Edd. vett. *at hic magnæ, &c.* 'Nulla oppositio inter hanc et priorem sententiæ partem: quare igitur adversativa *at?* lege: *et hic magnæ, &c.* sed constanter retinent *at* editiones; ut forte scripserit Statius: *hinc auspice condita Phœbo*

NOTÆ

68 *Leves pueros*] Amores alatos. *Cytherea*] Venus.

69 *Hoc cessare decus*] Id est, 'Nec dulces natos, Veneris nec præmia nosse.'

70 *Festas tædas*] Quia in nuptiis sacra fiebant.

71 *Nostra tellure*] Neapoli.

72 *Vesuvinus apex*] Intelligit Vesuvium montem in Campania, cujus vertex flammas ac ignes vomit. Et alludit ad cladem illam, quæ Tito regnante accidit, qua erumpentibus ex apice Vesuvii montis flammis, duæ urbes cum pluribus vicis in Campania perierunt. *Et flammea diri Montis hyems*] Eleganter vocat flammeam hyemem, incendium hujus montis. Iisdem verbis utitur Valerius Flaccus Argon. lib. IV. 'Sic ubi prærupti tonuit cum forte Vesuvi Hesperiæ letalis apex, vix dum ignea montem Torsit hyems, jamque Eoas cinis induit urbes.' Inde ratio petenda epitheti *diri*.

73 *Trepidas*] Metu scilicet, ne hac clade perirent.

74 *Hic auspice condita Phœbo Tecta*] Cumas intelligit, ubi templum Apollinis celeberrimum erat.

75 *Dicarchei portus*] Puteolos intelligit, quorum celeberrimus portus, de quo vide Strabonem. *Et littora mundo hospita*] Innuit portum Puteolanum, ad quem appellebant naves ex omni fere orbe: unde dicit *hospita mundo littora.* Florus: 'Nihil hospitalius mari.'

77 *Quæ Capys advectis implevit mœnia Teucris*] Capuam designat, am-

Nostra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis
Parthenope; cui mite solum trans æquora vectæ
Ipse Dionæa monstravit Apollo columba.
Has ego te sedes (nam nec mihi barbara Thrace,
Nec Libye natale solum) transferre laboro:
Quas et mollis hyems, et frigida temperat æstas:

quos Capys refercit advectis Trojanis. Nostra quoque Parthenope non paucos habet incolas, cui naviganti trans maria, ipse Apollo ostendit fertilem humum per columbam sacram Veneri. Ad hos tractus te nitor adducere, (nam nec fera Thracia, nec Africa, mea patria est,) quos et tepida hyems et refrigerata æstas temperat: quos

Tecta...at hinc magnæ, &c. non *hic auspice*, et *hic magnæ.*' Markl.—78 *Nostra quoque et propriis* edd. vett. Marklandus conj. *Nostra quoque ut propriis tenuis, nec rara, &c.* et postea: *Nostra quoque haud propriis tenuis, nec, &c.* et in textum accepit. Cruceus: *et propriis tenuit quæ rura;* vel: *tenuit nec rara.* Heinsius in Advers. p. 732. *Nostra quoque Euboicis tenuisne ac rara colonis Parthenope?*—80 ' Pro: *Dionææ m. A. columbæ*, quæ est omnium editionum inepta lectio, recte Gevartius: *Dionæa m. A. columba;* quod confirmavit si-

NOTÆ

plissimam, et celeberrimam totius Campaniæ urbem, et Romæ prope æmulam Ciceroni in Rullum II. unde nostro dicuntur *mœnia magnæ tractus imitantia Romæ.* Hanc Capys Æneæ comes condidisse fertur, ut docent Dionysius Halicarnassæus, et Suetonius, aliique. Livius tamen dicit hanc *Vulturnum* antea appellatam, captamque a Samnitibus vocatam fuisse *Capuam* ab eorum duce Capy, vel a campestri agro.

78 *Nostra*] Supple patria.

79 *Parthenope*] Neapolis.

80 *Ipse Dionæa monstravit Apollo columba*] Sic Lucanus Panegyrico ad Pisonem hoc prodigio conditam memorat: ' Testis Acidalia quæ condidit alite muros, Euboicam referens fœcunda Neapolis arcem.' In ejus rei memoriam, sinistro humero Apollinis statuæ apud Neapolim insidebat columba, quam Parthenope respiciebat, ac adorare videbatur, ut canit Noster Epistola ad Julium Menecratem ob prolem: ' Tu ductor populi longe emigrantis Apollo, Cujus adhuc volucrem læva cervice sedentem Respiciens blande felix Eumelis adorat.' Parthenope enim Eumeli filia, unde ' Eumelis.' Hoc etiam de Cumis refert Velleius Paterculus lib. I. ' Nec multo post Chalcidenses Cumas in Italia condiderunt. Hujus classis cursum esse directum, alii columbæ antecedentis volatu ferunt; alii nocturno æris sono.' *Dionæa*] Quia columbæ sacræ sunt Veneri, quæ Dione etiam vocatur.

81 *Barbara Thrace*] Thracia Europæ regio, supra Macedoniam sita, et usque ad Danubium Pontumque Euxinum protensa. Vocatur *barbara*, ob feros ac barbaros incolas.

82 *Libye*] Africa, Græcis Libye dicta, quæ fere deserta.

83 *Quas et mollis hyems, &c.*] Omnis enim hujusce Campaniæ tractus amœnissimus est, ut ait Plinius lib. III. cap. 5. et Florus hæc habet lib. I. cap. 16. ' Omnium non modo Italiæ,' inquit, ' sed toto orbe terrarum pul-

Quas imbelle fretum torpentibus alluit undis.
Pax secura locis, et desidis otia vitæ,
Et nunquam turbata quies, somnique peracti.
Nulla foro rabies, aut strictæ jurgia leges
Norunt: jura viris solum, et sine fascibus, æquum.

tranquillum mare alluit aquis languentibus. Tuta quies est in his locis, vitaque otiosa, somnus integer, et nunquam turbatus: non forum rabiosum: non jurgia strictæ legis: mores hic sunt pro legibus, et justitia retinetur sine magistratibus.

mili loco ex Theb. VII. 663.' *Markl.*—86 Rom. *somnique parati.*—87 Rom. et vet. Lindenbrogii: *aut scita Licurgia;* Parm. *nec scita Lycurgia leges;* et sic e vetusta editione profert Heinsius ad Claud. II. Cons. Stilich. 200. ubi legit: *nec strictæ jurgia legis.* Wakef. Sylv. Crit. Part. V. p. 119. confidentius tentabat: *Nulla fori rabies, aut strictæ jurgia legis: Mores jura viris soli, &c.*—88 *Morum jura viris: solum, &c.* in edd. vett. ' Sensum quidem teneo, nempe: Bonos mores pro legibus esse: sed eo casu scribi oporteret: *Mores jura viris,* non *Morum; jura* enim morum absurdum est. Putavi aliquando verum esse:

NOTÆ

cherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cœlo: nihil uberius solo: denique bis floribus vernat. Ideo Liberi et Cereris certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus, et tepentes fontibus Baia: Lucrinus et Avernus quædam maris otia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, et pulcherrimus omnium Vesuvius Ætnei ignis imitator. Urbes ad mare Formiæ, Cumæ, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, et ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemque numerata.'

84 *Imbelle torpentibus undis*] Intelligit Baianum sinum, in quo fluctus vix moventur; unde vocat: *fretum imbelle*, et *torpentes undas.*

85 *Otia vitæ*] Strabo lib. V. narrat plerosque Romanorum, ut otio fruerentur, Neapolim secessisse. Inde Neapolis ' otiosa ' dicitur Horatio. Et Ovidius lib. XV. Met. ' in otia natam ' vocat Parthenopen. Certe constat Titum Livium, Q. Horatium, Statium nostrum, Claudianum, Senecam Philosophum sæpius eo studiorum causa se contulisse. Virgilium diu Neapoli suaviter vixisse atque ibidem Georgicorum libros fecisse legimus, et cum Brundusii moreretur, corpus suum eo transferri jussisse ac sepeliri voluisse, ut veterum Poëtarum ac Statii testimonio probatur.

86 *Somnique peracti*] Quod non erat Romæ, de quo queritur Juvenalis Sat. VI. et Martialis lib. XII. Ep. 57. et 69.

87 *Nulla foro rabies, aut strictæ jurgia leges Norunt: jura viris solum, et sine fascibus, æquum*] Totum hunc locum mutavit Tiliobriga in sua editione: *Nulla foro rabies, aut scita Lycurgia: leges Morum jura viris.* Sed male, nam ipse Statius eisdem verbis utitur in Epistola ad Marcellum: ' Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges.' *Foro rabies*] S. Cyprianus Ep. ad Donatum: ' Sævit invicem discordantium rabies, et inter togas pace rupta, forum litibus mugit insanum.' *Aut strictæ jurgia leges*] Ita ' caninæ contentionis jurgiosa certamina ' dixit Firmicus Mathes. lib. IV.

Quid nunc magnificas species, cultusque locorum,
Templaque, et innumeris spatia interstincta columnis;
Et geminam molem nudi tectique theatri,
Et Capitolinis Quinquennia proxima lustris;
Quid laudem risus, libertatemque Menandri,

Quid nunc commemorabo superba ædificia, et ornatus urbis, delubraque, ac porticus distinctas innumeris columnis, et duplicem molem aperti et cooperti theatri, et quinquennia pæne æqualia Capitolinis lustris? Quid laudem jocos et libertatem Menandri,

Morum cura viris, ut 'cura pudoris' apud Ausonium Idyll. VII. 25. Sed nec hoc satisfacit: quippe sequentia: *solum et sine fascibus æquum*, postulant aliquid cui adjungantur, utpote per se sententiam non efficientia. His omnibus incommodis tandem subvenio mutatione unius literulæ et distinctionis, ecce: *Nulla foro rabies, aut s. j. leges Norunt: jura, &c.* egregia et perspicua sententia.' *Markl.*—93 Heins. ad Sil. Ital. XII. 31. *Quid laudem ritus libertatemque theatri;* nonnullæ edd. quoque habent *ritus;* et *theatri* etiam conj. Marklandus; sed postea damnavit his verbis: 'Huic loco *theatri* non convenit; multo minus *Menandri;* latet Gerundium aliquod, ut dicunt Grammatici: quale est: *libertatemque jocandi,* vel tale aliquid. Statianum hoc esse non puto, vel potius scio: placuit tamen ideo proferre ut ad hanc formam acuti-

NOTÆ

Strictæ leges] 'Arctæ leges additæ' Plinius lib. XVI. cap. 4. Et Lucretio; 'Arcta jura' 'Vincula legum' Quintiliano; Juvenali 'ænigmata.' Vult autem tantam Neapolitanis esse moderationem animi, morumque probitatem, ut nec legibus nec magistratibus opus illis sit, cum ipsi mores Neapolitanorum pro legibus sint. Quod et Tacitus dicit de Germanis: 'Apud eos plus valere bonos mores, quam apud alios bonas leges,' et Sallustius in Præfatione Conjurationis Catilinæ de priscis Romanis: 'Jus bonumque apud ipsos non legibus magis quam natura valebat.' Eadem dicunt de Scythis Justinus lib. II. et de Tartaris auctor vitæ Timuri, et Virgilius de priscis Latinis, Æn. VII.

Sine fascibus] Sine magistratibus, qui per fasces designantur.

91 *Nudi tectique theatri*] Nudum theatrum, est sine tecto hic, et apud Tertullianum in Apolog. Talia fuere primitus theatra, quæ idcirco diebus munerum aut ludorum velis tegebantur. Theatrum cum tecto Regilli et Corinthi exstruxit Herodes Atticus, teste Philostrato.

92 *Et Capitolinis Quinquennia proxima lustris*] Ludi enim Quinquennales etiam Neapoli edebantur, qui similes erant ludis Romæ Capitolinis, etiam quinquennalibus. Vide Herculem Surrentinum.

93 *Quid laudem risus, libertatemque Menandri, Quam Romanus honos et Graia [grata] licentia miscent*] Menander fuit Poëta comicus, (de hoc dictum est ante,) unde Comœdiæ Latinæ, quæ in theatris agebantur, traductæ pæne omnes sunt. Quid, inquit Papinius, nunc laudem actionem ac spectacula comœdiarum Menandri, quæ Romana lingua (quam hic Poëta vocat *Romanum honorem*) donatæ grata Poëtarum licentia in theatro illic agebantur? *Domitius.*

Quam Romanus honos et Graia licentia miscent?
Nec desunt variæ circum oblectamina vitæ:
Sive vaporiferas, blandissima littora, Baias,
Enthea fatidicæ seu visere tecta Sibyllæ
Dulce sit, Iliacoque jugum memorabile remo:
Seu tibi Bacchei vineta madentia Gauri,
Teleboumque domos; trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula lunæ:
Caraque non molli juga Surrentina Lyæo,

quam dignitas Romana et Græca licentia condiunt? Sunt et circum diversa vitæ oblectamenta; seu juvet frequentare gratissimam oram fumosarum Baiarum, seu antra vocalia fatidicæ Sibyllæ, et montem Misenum, celebrem Trojano remo: seu tibi placeat invisere humida vineta Gauri Baccho sacri, ædesque Teleboum, ubi Pharus levat timidis nautis gratas faces, quæ æmulantur lunam noctu errantem; et colles Surrentinos, ubi vinum austerum crescit, quos meus Pollius præ aliis colit,

ores vocem veram eruant sub *τῷ Menandri* latentem.'—94 Edd. vett. *grata licentia;* Bernartius correxit: *Graia licentia.*—102 Nic. Heinsius ad Sil. Ital. VIII. 380. pro *molli* legit *soli;* quia illic Minerva et Hercules et Neptunus (addere etiam ex Strabone potuisset Sirenes) colebantur. Huic emenda-

NOTÆ

96 *Baias*] Vide supra vs. 83.

97 *Enthea fatidicæ tecta Sibyllæ*] Intelligit Cumas, juxta quas antrum Sibyllæ: dicuntur *enthea* ob oracula, quæ ibi reddebantur. *Fatidicæ Sibyllæ*] Quia res futuras præcinebat. Vide quæ diximus ad hunc versum Epithalamii Stellæ: 'Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ,' de Sibyllis, et Sibyllinis libris.

98 *Iliaco jugum memorabile remo*] Intelligit promontorium Campaniæ, in quo Misenus magister navis Æneæ sepultus est, sepulcroque ejus remus, tubaque insculpta. Virgil. Æn. VI. 'Imponit suaque arma viro, remumque, tubamque Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo Dicitur.' Nec mirum est, Papinium toties Miseni, ut loci amœnissimi mentionem facere. In eo enim adhuc apparent lavationum solia, balnea, lacus et ad cœnas faciendas triclinia; nam cryptis, viis, ædificiisque fornicatis intus plenus est, quæ crebris hinc et inde columnis incumbunt, partim lateritiis, partim ex ipso montis saxo cæsis. Vide Cyprianum Eichovium in Deliciis Italiæ. Quin et Miseni classis collocata ad tutelam inferi maris, ut et altera Ravennæ ad tutelam superi maris.

99 *Bacchei Gauri*] Vide supra vs. 83. 'Hic vitibus amicti Gaurus,' &c. Et Hercule Surrentino vs. 147.

100 *Teleboumque domos*] Capreas intelligit. Vide vs. 128. Herculis Surrentini.

101 *Pharus*] Pharus erat etiam in Capreis, ut Alexandriæ, et Ostiæ. Hæc paucis diebus ante mortem Tiberii imperatoris terræ motu concidit. Exstructam iterum fuisse apparet ex hoc Statii loco.

102 *Caraque non molli juga Surrentina Lyæo*] Dicit, non *molli Lyæo* seu Baccho, quia vinum Surrentinum pun-

Quæ meus ante alios habitator Pollius auget:
Ænariæque lacus medicos, Statinasque renatas.
Mille tibi nostræ referam telluris amores:
Sed satis hoc, conjux, satis hoc dixisse, creavit
Me tibi, me socium longos astrinxit in annos.
Nonne hæc amborum genitrix, altrixque videri
Digna? sed ingratus qui plura annecto, tuisque
Moribus indubito: venies, carissima conjux,
Præveniesque etiam: sine me tibi ductor aquarum
Tybris, et armiferi sordebunt tecta Quirini.

et multis ædificiis amplificat et salubres aquas Ænariæ, et Statinas rursus emergentes. Narrabo tibi mille delicias nostræ patriæ. Sed sufficit hoc, uxor, sufficit hoc dixisse, peperit me tibi, me tibi socium longos in annos conjunxit. Nonne hæc meretur haberi mater, et nutrix amborum? sed odiosus sum, qui plura adjungo, et diffido tuis moribus. Non solum venies, uxor dilectissima, sed etiam me prævertes. Tyberis rex amnium, et tecta bellicosi Quirini sine me non tibi placebunt.



tioni, donec melius aliquod contingat, adhæret Marklandus.—104 Pro *Ænariæque* Domitii Calderini codices habebant, *Tanarumque*; Parm. *Denarumque*. Emendationem Domitii, quam exhibent Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. confirmat Plin. Nat. Hist. l. xxx. c. 2. Auctor tamen Ætnæ 428. producit secundam *Ænariæ* syllabam: 'Dicitur indiciis flagrans Ænāria quondam.' —106 Ita Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. Parmensis exhibet: *Sed satis hæc conjux satis est dixisse*; Romana: *Sed satis hoc conjux satis dixisse*.—111 Pro *præveniensque etiam; sine me, &c.* Parm. *pervenies et sine me*; Romana etiam, *pervenies*.

NOTÆ

gebat, et 'generosum acetum' dictum est a Tiberio. Vide quæ diximus de vino Surrentino vs. 4. Surrentini.

103 *Auget*] Magnificis scilicet ædificiis, ac templo Herculis. Vide Surrentinum Pollii et Herculem Surrentinum. *Meus*] Quia Pollius amicus erat Papinii.

104 *Ænariæque lacus medicos*] Ænaria erat insula juxta Neapolim, ubi aquæ scaturiebant, quæ calculosis medebantur, ut auctor est Plinius lib. xxxi. cap. 11. idcirco Statius dicit *lacus medicos*. *Statinasque renatas*] Statiná, insula in littore Campano. Ex quo Papinii loco illustratur Plinius lib. III. cap. 88. 'In eadem scilicet Campania et oppidum haustum profundo: alioque motu terræ Statinam emersisse.' Sic enim legendum esse patet ex hoc loco Papinii; antea legebatur et 'stagnum emersisse.'

112 *Tybris*] Tyberis, fluvius qui præterfluit Romam. *Armiferi tecta Quirini*] Romam intelligit conditam a Romulo, qui post mortem 'Quirinus' dictus est. *Armiferi*] Bellicosi et fortis.

P. PAPINII STATII

SYLVARUM

LIBER IV.

AD MARCELLUM.[1]

INVENI librum, Marcelle carissime, quem pietati tuæ[a] dedicarem. Reor equidem[2] aliter, quam invocato numine maximi Imperatoris, nullum opusculum[b] meum cœpisse.[3][c] Sed hic liber tres[4][d] habet. Sequitur quarta, quæ ad honorem tuum pertinet. Primo[5] autem septimum decimum Germanici nostri consulatum adoravi. Secundo gratias egi sacratissimis ejus epulis[6] honoratus. Tertio Viam Domi-

1 *Ad Marcellum* edd. vett. *Epistola ad Marcellum* scribendum putat Barthius; *Statius Marcello suo S.* Amstel. Gronov. &c.—2 *Reor quidem* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Grasser. Gevart. Till. Heins. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *Reor equidem* Parm. quod revocavit Marklandus.—3 'Ita omnes edd. præter Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii, quæ habent: *opusculum inveniri cœpisse.* Atqui utrumvis falsum continet: quippe nec liber secundus nec tertius nec quintus Sylvarum incipiunt ab invocatione numinis imperatorii: nisi per *opusculum* intelligit totum systema librorum quinque Sylvarum: quo quidem sensu verum est; incipit enim ab Equo Max. Domitiani: et ita in Thebaide et Achilleide. Sed vix est ut hos Sylvarum libros, nedum Thebaida et Achilleida *opusculi* nomine diminutum iret. Latet aliquid quod non possum eruere.' *Markl.*—4 Vide infra Notam d.—5 'Immo *Prima*, sc. Ecloga; et præcessit: *quarta, quæ, &c.*' Markl.—6 Pro *epulis*, quod ha-

NOTÆ


[a] *Pietati tuæ*] Erga Imperatorem.

[b] *Nullum opusculum*] Mearum Sylvarum.

[c] *Cœpisse*] Sumsisse initium.

[d] *Tres habet*] Vitiata verba neminem fugiunt. Ortus error ex numeri notis III. quem *tria* dicere, non *tres*, non est observatum futilibus exscriptoribus. Eadem ratio τοῦ *quarta.* Opineris tamen vocem *opusculum* glossam esse, et Papinium *Eclogam* scripsisse. *Barthius.*

tianam miratus sum,[7] quæ gravissimam arenarum moram exemit:[8] [e] cujus beneficio tu quoque maturius epistolam eam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli scribo. Proximum est lyricum carmen ad Septimium Severum,[9] juvenem (uti scis) inter ornatissimos secundi ordinis,[f] tuum quidem etiam condiscipulum; sed mihi contra hoc quoque jus,[g] arctissime carum: nam Vindicis nostri[10] Herculem Epitrapezion, secundum honorem, quem de me, et de ipsis studiis meretur,[11] imputare[h] etiam tibi possum. Maximum Junium dignitatis et eloquentiæ nomine a nobis diligi, satis eram testatus epistola, quam ad illum de editione Thebaidos meæ publicavi: sed nunc quoque eum reverti maturius e Dalmatia[12] rogo. Juncta est Ecloga ad municipem meum Julium Menecratem, splendidum juvenem, et Pollii mei generum; cui gratulor, quod Neapolim nostram numero liberorum honestaverit. Plotio Grypho,[13] majoris gradus[i] juveni, dignius opusculum reddam: sed interim Hendecasyllabos, quos Saturnalibus una risimus, huic volumini inserui. Quare ergo plura in quarto Sylvarum, quam in prioribus? Ne se putent aliquid egisse,[j] qui



bent Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. Domitius Calderinus notat in omnibus aliis codicibus legi *epistolis*.—7 'Nemo legat, *veneratus sum*, inductus isto Virgilii Æn. III. 'Templa Dei saxo venerabar structa vetusto;' et similibus.' *Markl.*—8 Edd. vett. *qua g. a moram exemit;* sed *molem* exhibet Romana: *quæ gravissimam* Amstel. Gronov. Barth. &c. Mox pro *epistolam meam*, quod præstant Venett. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ omnes, Marklandus substituit *epistolam eam.*—9 *Serenum* marg. ed. Barth. Vide Gronov. Obss. III. 16. p. 573.—10 *Jam Vindicis nostri* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. &c. *Jam Herculis Vindicis nostri Herculem, &c.* in Not. Marklandi, unde nescio. *Nam* pro *Jam* habent Parm. et codd. Calderini.—11 Parmensis: *quum me et ipsis studiis miratur;* ultimum *de* omittit Romana. Mox pro *Maximum Junium, &c.* Parmensis habet: *Maximum virum et dignitatis eloquentiæ, &c.* unde Marklandus conj. *et dignitatis et eloquentiæ.*—12 Parmensis: *maturim e Dalmatia;* ex quo idem Marklandus: *maturrime e Dalmatia.*—13 Margo ed. Barth. *Gryppo* ex codice manuscripto. Mox pro *dignius* Parmensis *dignum.*

NOTÆ

[e] *Quæ gravissimam arenarum moram exemit*] Eodem modo se explicat via Domitiana: 'Hic cœnis populi vias gravantes, Et campis iter omne detinentes, Longos eximit ambitus.'

[f] *Secundi ordinis*] Equestris.

[g] *Jus*] Condiscipulatus.

[h] *Imputare*] Tibi ascribere.

[i] *Majoris gradus*] Senatorii ordinis.

[j] *Egisse*] Assecutos esse.

reprehenderunt[14] (ut audio) quod hoc styli genus edidissem. Primum, supervacuum est dissuadere rem factam. Deinde, multa ex illis jam Domino Cæsari dederam; et quanto[15] hoc plus est, quam edere?[k] Exercere autem jocos non licet?[l] si secreto,[16] inquit.[m] Sed et Sphæromachias[n] spectamus, et pilaris lusio admittitur. Novissime, quisquis ex meis invidus[17] aliquid legit, statim se profitetur adversum: itaque consilio ejus accedam?[o] In summa, nempe ego sum, qui traducor:[p] taceat, et gaudeat. Hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes. Et, si videtur, hactenus:[q] sin minus,[r] reprehendemur.[18]

—14 Eadem editio: *aut reprehēderē.*—15 Marklandus conj. *at quanto.* Margo ed. Barth. cum Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *plus est quam, &c.*—16 Edd. vett. *sic secreto inquit.* Markl. correxit, *si secreto, &c.* ' Ausim affirmare Papinium scripsisse: *sic: sed secreto.* Vox *inquit*, adversarii sermonem infert, ut sæpe apud Arnobium. Scribendum totum hoc comma, retracta vocula *sed* in suum locum, hac serie opinamur: *Exercere autem jocos non licet? Sic: sed secreta, inquit. Et Sphæromachias. &c.*' Barth.—17 Edd. vett. *quisquis ex meis invitus.* Marklandus correxit *invidus.* Mox pro *profitetur* Parm. *profiteatur.* ' Sequentia *itaque consilio ejus accedam* interrogationis nota animavi.' *Markl.* Parm. et Rom. *ita quare consilio, &c.* Barthius legendum censet: *ita nec consilio ejus accedam.*—18 ' Vitiata distinctio est, sed facilis corrigi. Scribe: *Hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes, si sic videtur, hactenus. Sin; minus reprehendemur.* Si defendes, bene habet. Sin, minus tamen obnoxii erimus reprehensioni, qui titulum tuum præscripsimus.' *Barth.*

NOTÆ

[k] *Quanto hoc plus est, quam edere*] Quasi dicat longe plus, ut illud Plinii in Præfatione Naturalis Historiæ ad Titum: ' Neque enim eadem est conditio publicantium, et nominatim tibi dicantium.'

[l] *Non licet*] Interrogative legatur, quasi dicatur, licet exercere jocos.

[m] *Secreto, inquit*] Adversarius et calumniator: Exerce, inquit, jocos: sed secreto: quasi dicat: Scribe si vis Sylvas; sed noli publicare.

[n] *Sphæromachias*] Atqui, inquit, Papinius publice eduntur levissimi ludi, et spectantur 'Sphæromachiæ.' Hanc vocem usurpat Seneca Ep. 80. Sed quod genus exercitii illa significatur, non satis constat. Plerique lusum pilæ exponunt, etenim de ea capienda certabant diverso ab hodierno more. Vide Athenæum lib. I. cap. 12. et Pollucem lib. IX. Hi ludi in foro spectabantur, ut habet Varro apud Nonium, vel in campo Martio, ut colligitur ex Horatio in arte. Mercurialis Gymnast. lib. II. σφαιρομαχεῖν explicat de pugilibus qui ænea vel lapidea pila adversarios percutiunt. Vide et Pollucem lib. III.

[o] *Consilio ejus accedam*] Ironicos.

[p] *Traducor*] Derideor. Martialis: ' Ridebis, multoque magis traduceris.' Juvenalis: ' Traducit avos,' id est, ridiculos facit.

[q] *Hactenus*] Scilicet scripserim. *Guyetus.*

[r] *Sin minus*] Si volueris me plura scribere. *Idem.*

I. XVII. CONSULATUS† IMP. AUG. GERMANICI‡ DOMITIANI.

Imperatori Domitiano septimum-decimum Consulatum gratulatur.

Læta bis octonis accedit purpura fastis
Cæsaris, insignemque aperit Germanicus annum,
Atque oritur cum sole novo, cum grandibus astris
Clarius ipse nitens, et primo major Eoo.

Læta purpura additur septemdecimis Fastis, et Germanicus pandit insignem annum, et oritur cum novo sole, et cum magnis sideribus, ipse his lucidior et major

XVII. *Consulatus Imp.* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. &c. *Germanici Imp. Aug. Cos.* XVII. codex Salisb. *Septimus decimus Consulatus Imperatoris Aug. Germanici* Rhod. unde Gronovius: XVII. *Consulatus Imp. Aug. Germanici.* Parmensis plenius: XVII. *Consulatus Imp.*

NOTÆ

† *XVII. Consulatus*] Suetonius Domitiano cap. 13. 'Consulatus 17. cepit, quod ante eum nemo: ex quibus septem medios continuavit: omnes autem pæne titulo tenus gessit: nec quenquam ultra Kalendas Maii, plures ad Idus usque Januarias.' Ex his decimum hunccе septimum 'adorat' Papinius: sic enim loquitur in Epistola quarto libro huic Sylvarum præfixa.

‡ *Germanici*] Vide Equi Domitiani vs. 7.

1 *Læta purpura*] Intelligit togam prætextam consulatus insigne. Ubicumque enim magnificentia consulatus describitur, vel præcipue prætextæ mentio fit. Martialis lib. VIII. Ep. 8. 'Purpura te felix, te colat omnis honor.' Ovidius de novis consulibus in Fastis: 'Jamque novi præeunt fasces, nova purpura fulget.' Plinius in Paneg. 'Summumque illud purpuræ decus, non nisi præcerptum, præfloratumque transmittere.' Ausonius: 'Et toga purpurei rutilans prætexta senati, Hoc capite æternis signet sua nomina fastis.' Ita passim Ammianus, Claudianusque, et alii.

Læta] Quod a Cæsare indueretur. *Accedit fastis*] Id est, Cæsar sumta purpura init novum consulatum post septemdecim exactos. Fastis, vero, quia nomina consulum fastis inscribebantur.

2 *Germanicus*] Vide vs. 7. Equi Domitiani. *Aperit annum*] Quia Consules primo die anni suscipiebant magistratum et dicebantur 'aperire' seu pandere novum annum. Dicitur annus *insignis* ob susceptum a principe consulatum.

3 *Atque oritur cum sole novo*] Fallitur hic Morellus, cum putat *sole novo* notari exortum diei, allegato ex Virgilio: 'At cum sole novo terras illustrat Eous.' Sed hic *sol novus*, qui aperit annum Julianum. Censorinus de Die Natali: 'Idcirco aliis a sole novo, id est, a bruma, aliis ab æstivo solstitio, plerisque ab æquinoctio verno, quibusdam ab ortu Vergiliarum, nonnullis ab earum occasu, multis a canis exortu incipere annus naturalis videtur.' Et dicitur *sol novus*, quia tunc temporis incipit sol redire ad nos, novumque annum inchoat.

4 *Eoo*] Lucifero. Ausonius in Eph.

Exultent leges Latiæ: gaudete, curules;
Et septemgemino jactantior æthera pulset
Roma jugo: plusque ante alias Evandrius arces
Collis ovet: subiere novi Palatia fasces,
Et requiem bis sextus honos, precibusque receptis

Lucifero. Leges Romanæ gaudeant: curules lætamini: et Roma superbior feriat aërem acclamationibus ex septem montibus: et collis Evandri plus exultet. Novi fasces intraverunt Palatium, et honor duodecim lictorum lætatur otio emersisse, ac

Aug. Germanici Domitiani; et sic edidit Marklandus.—5 ‘Nihil muto; legi tamen posset *gaudete Quirites*, ut in vet. Lapide Albæ Juliæ reperto: ASPICE. ROMULE. PATER. GAUDETE. QUIRITES. VESTRA. ISTA. EST. GLORIA. Citatur a Joan. Livineio Not. ad Mamertini Panegyr. Maximiano Aug. cap. 13.’ *Markl.*—9 *Et requiem bis sextus honos* codd. et edd. vett. Vide æstus doctorum circa hunc locum apud Gronovium in Elencho Diatribes pag. 121. Emericus Cruceus, et ante eum Jul. Cæs. Bulengerus, legebat: vix sensit; et prior etiam: *requie discretus*, vel *regimen bis sextus*. Dan. Heinsius, *bis festus;* Petr. Scriverius: *Et quintus bis sextus;* Barthius, teste Daumio in margine: *bis sanctus;* immo Barthius tandem versum censet esse delendum. Marklandus pollicetur Statium scripsisse: *Et rediit bis sextus honos.* ‘At vide nunc indubitatam Statii scripturam: *subiere novi Palatia fasces, Et requiem violentus honos, &c.* Hoc est, fasces subiere Palatia, et fascium violentus honos subiit requiem; nec sub tam miti Consule lictorum violentia summoventur obvii quique tam imperiose. Vide mentem adulatoris. Ipsa oppositio vocum *requiem* et *violentus* veritatem emendationis nostræ arguit. Facillima autem literarum *violentus* in *bis sextus* erat corruptio. Pari modo Theb. IV. 53. Confer II. Sylv. 6. 39. V. 3. 190. Theb. X. 637. Achill. I. 504. Sil. Ital. XII. 124. Claudian. Præf. Entrop. II. 12. Ovid. Trist. V. 6. Virgil. Æn. VI. 620. Senec. Med. 252.’ Ita scribit vir quidam doctus in Miscell.

NOTÆ

Orat. ‘Editus ante Quam jubar, aut rutilus cœlum illustraret Eous.’ Virgilius Æneid. XI. ‘Vota Deum primo victor solvebat Eoo.’ Cinna in Smyrna: ‘Te matutinus flentem conspexit Eous; Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.’

5 *Leges Latiæ*] Magistratus Romani. *Curules*] Sellæ curules insignia Consulum, Prætorum, et majorum Ædilium.

6 *Septemgemino*] Ob septem colles.

7 *Evandrius*] Id est, Palatinus, in quo palatium Romanorum Imperatorum, ab Evandro habitatus.

8 *Fasces*] Duodecim enim fasces insignia consulatus.

9 *Et requiem bis sextus honos*] Cruceus legit: *et requiem vix sensit honos*, putatque XVII. Consulatus Domitiani nullo temporis intervallo divisos, sed continuatos ac prorogatos, quod verum non est, ut patet ex Suetonio supra laudato, idque Cruceus sumsit a Bulengero de Imp. Romano lib. I. cap. 18. Heinsius vero emendat *bis festus*, et hunc honorem ‘bis festum’ vocat, et ratione ipsius diei, qui inter festos habebatur, et ratione ipsius Senatus, qui cum tanto studio obtinuerat quod volebat; nam vicit pudorem Imperatoris. P. Scriverius corrigit et *quintus bis sextus honor*, ut sic septemdecim consulatus Domitiani comprehendantur. Gronovio vero *bis sextus honos*, est honos duo-

Curia Cæsareum gaudet vicisse pudorem.
Ipse etiam immensi reparator maximus ævi
Attollit vultus, et utroque a limine grates
Janus agit: quem tu, vicina Pace ligatum,
Omnia jussisti componere bella, novique
In leges jurare fori: levat ecce supinas
Hinc atque inde manus, geminaque hæc voce profatur:
SALVE, magne parens mundi, qui sæcula mecum

senatus lætatur expugnasse votis admissis modestiam Cæsaris. Ipse etiam Janus maximus restaurator immensi sæculi erigit ambos vultus, et agit gratias ab utraque porta. Quem tu vinctum proxima Pace jussisti finire cuncta bella, et jurare in leges novi fori. Tollit ecce hinc et hinc supinas manus, et hæc loquitur duplici voce: Salve, ingens pater mundi, qui paras mecum renovare sæcula. Roma optat te talem

Observatt. Nov. Tom. I. Par. 1. p. 148.—14 Marklandus pro *Omnia* legit *Orrida*, i. e. *Horrida*.—16 Codex Barthii: *hac voce profatur*.—19 *Mense meo*

NOTÆ

decim fascium, et duodecim lictorum, proprium consulatus insigne. Ut cum Juvenalis: 'Cum jam sexta cervice feratur.' Id est, sex lecticariorum cervicibus. Et est sensus: is honor susceptus ab Imperatore tantis negotiis districto emersit otio, in quo prius erat.

11 *Reparator maximus ævi*] Videtur Domitianus inisse hunc consulatum eo ipso anno quo sæculares ludi editi sunt. Janus autem dicitur *reparator ævi*, quia novum ævum, seu sæculum incipiebat. Sic enim infra: 'Mecum altera sæcula condes, Et tibi longævi revocabitur ara Terenti.'

12 *Utroque a limine*] Quia templum Jani duas habebat portas sibi oppositas.

13 *Quem tu, vicina pace ligatum, Omnia jussisti componere bella, novique In leges jurare fori*] Hæc dicit Papinius, quod Janus foro præsidebat, ut colligitur ex Apocoloc. Senecæ: 'Interrogatur sententiam Janus pater: is multa diserte, quod in foro vivat, dixit,' et foris structis æque Janus honorabatur ac templis ceteri Dii. Jure igitur commendat Jano tutelam legum, quia jus fascesque prætoris exercebantur in foro, eamque tunc accepisse vult, cum ei dedicatum est hoc novum Domitiani forum, nec solum illum jurasse in leges, ut jurabant qui magistratum inibant, quique finito magistratus tempore sacramento solvebantur, sed in perpetuum jurasse, eique æternum hoc munus incumbere bellis compositis; et propterea dicitur *ligatus vicina Pace*, id est, Pacis templo, quia leges inter arma silent. Via Domitiani: 'Qui limina bellicosa Jani Justis legibus et foro coronat.' Suetonius etiam testatur Domitianum jus diligenter et severe exercuisse, quod ante oculos habuit forsan Papinius.

16 *Geminaque voce*] Jano enim erant duo vultus, duoque ora, ut omnes sciunt.

17 *Parens mundi*] Domitianus. *Qui sæcula mecum Instaurare paras*] Quia,

Instaurare paras: talem te cernere semper
Mense meo tua Roma cupit: sic tempora nasci,
Sic annos intrare decet: da gaudia fastis
Continua; hos humeros multo sinus ambiat ostro,
Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.
Aspicis ut templis alius nitor, altior aris
Ignis, et ipsa meæ tepeant tibi sidera brumæ.

semper videre in meo mense. Sic convenit tempora oriri, sic annos incipere. Præbe æternam lætitiam fastis. Vestis tincta multa purpura, et prætexta festinata manibus Minervæ tuæ cingat tuos humeros. Cernis ut alius fulgor sit fanis, et flamma celsior in altaribus, et ut ipsa astra meæ hyemis tui gratia temperentur. Equites,

testantur Venet. 1. Parm. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. &c. Pro *meo* codex Florent. cum Rom. et Venet. 2. habent *novo;* quod non improbat Gronovius Diatr. c. 36. prolato hoc Claud. loco: 'Annum pande novum, Consul vetus.' Vet. Lindenbrogii exhibet etiam *novo.*—24 Vet.

NOTÆ

ut diximus, incepit Janus novum sæculum ludis sæcularibus a Domitiano editis.

19 *Mense meo*] Id est, Januario, qui sacer Jano, et a Jano traxit nomen. Ms. Florentinus, Venetus, Romanusque codex habent *Mense novo,* ut 'sole novo' supra. Quod in idem recidit. Nam mensis ille novus, Januarius. *Sic tempora nasci, Sic annos intrare decet*] Per *tempora* intelligit sæcula, et sibi etiam æternam societatem Imperatoris optat Janus, ut et sæcula annosque aperiat secum.

20 *Da gaudia fastis Continua*] Ut supra dixit, purpuram, fasces, et curules lætari, quod cederent in usum Imperatoris suscepto consulatu, sic etiam fasti debent gaudere, non gaudio temporario, ut hæc, sed continuo et æterno, in perpetuum gerendo venerandum illius nomen: nomina enim consulum fastis inscribebantur.

21 *Hos humeros*] Δεικτικῶς pro tuos. *Multo sinus ostro*] Id est, purpura, seu toga prætexta. Vide supra.

22 *Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ*] Minervam religiose colebat Domitianus, ejusque filius haberi volebat. Hinc Philostratus commemorat quendam periisse ἐπειδὴ θύων ἐν Τάραντι, οὗ ἦρχε, μὴ προσέθηκε ταῖς δημοσίαις εὐχαῖς ὅτι Δομετιανὸς Ἀθηνᾶς εἴη παῖς, *quod sacrificans Tarenti, ubi magistratum gerebat, non addidisset publicis precibus, quod Domitianus esset Minervæ filius. Properata manibus prætexta Minervæ*] Moris enim erat, ut matres filiis vestes texerent. Inde ratio τοῦ *tuæ.*

23 *Aspicis ut templis alius nitor, &c.*] Vult Papinius res inanimas etiam suum gaudium signis testari. Horatius ad Augustum IV. Od. 5. 5. 'Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ: Instar veris enim vultus ubi tuus Affulsit, populo gratior it dies, Et soles melius nitent.'

24 *Tibi*] In tuam gratiam. *Meæ tepeant brumæ*] Id est, temperentur. Ob frigus brumæ seu hyemis. *Meæ*] Quia Januarii annique initium, quod erat sacrum Jano, a bruma Romani deducebant.

Moribus atque tuis gaudent turmæque, tribusque,
Purpureique Patres; lucemque a consule ducit
Omnis honos: quid tale, precor, prior annus habebat?
Dic age, Roma potens, et mecum longa Vetustas
Dinumera fastos; nec parva exempla recense,
Sed quæ sola meus dignetur vincere Cæsar.
Ter Latios deciesque tulit, labentibus annis,
Augustus fasces; sed cœpit sero mereri:

Tribusque ac Senatores purpurati lætantur tuis moribus. Omnis magistratus recipit fulgorem a Consule. Quid tale, oro, priores anni habuerunt? Loquere age potens Roma, et tu, longa antiquitas, recense mecum fastos, nec afferas humilia exempla, sed sola quæ Cæsar meus dignetur superare. Augustus ter et decies in sua vita gessit fasces Romanos: sed tarde hos meritus est. Tu juvenis superasti



Lindenbrogii, *tepeant mihi.*—25 *Fascibus ecce tuis* tentabat Marklandus. Locum tamen sanum putat Gronovius Diatr. cap. 37. nec quicquam variant codd. aut edd. vett.—28 'Lege: *Dic age, Roma parens;* quæ vox honorem et reverentiam et antiquitatem simul denotat; adeo ut bene conjungatur cum *longa Vetustas.*' Markl.—31 *Ter Latio* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. &c. Lec-

NOTÆ

25 *Moribus atque tuis gaudent turmæque, tribusque, Purpureique patres; lucemque a consule ducit Omnis honos*] Intelligit morum præfecturam, quam retinuerant ex censura abolita Imperatores exemplo Augusti, qui, ut ait Suetonius, 'recepit et legum morumque regimen æque perpetuum, quo jure, quanquam sine censuræ honore, censum tamen populi ter egit,' &c. Sed et peculiari ratione mores in Domitiano prædicat Statius: nam, ut ait idem Suetonius in ejus vita cap. 8. 'Morum correctionem suscepit, censorque fuit, Magistratibus quoque urbicis, provinciarumque præsidibus coërcendis tantum curæ adhibuit, ut neque modestiores unquam, neque justiores extiterint: e quibus plerosque post illum reos omnium criminum vidimus.' Juvenalis de eodem Domitiano loquens: 'Templa Deis, mores populis dedit, otia ferro.' Martialis Epig. lib. XI. 'Hunc omnes servate ducem, servate senatum: Moribus hic vivat principis, ille suis.' *Turmæque, tribusque, Purpureique patres*] His vocibus totus populus Romanus designatur, qui divisus erat in hos tres ordines, Senatum, qui *purpurei patres* hic dicuntur, quia Senatores prætextam gerebant, ac latum clavum: Equites, seu ordinem equestrem, designatum per *turmas;* turmæ enim Equitum: ac Plebem, tandem designatam per *tribus,* quia plebs in plures tribus dividebatur.

27 *Prior annus*] Id est, priores anni, antequam consul esses.

29 *Parva*] Ducta a personis ejusdem fortunæ. Sic Seneca apud Tacitum: 'Utar magnis exemplis, nec meæ fortunæ, sed tuæ.'

31 *Ter Latios deciesque tulit, labentibus annis, Augustus fasces; sed cœpit sero mereri*] Suetonius Augusto: 'Consulatum 20. ætatis anno invasit admotis hostiliter ad urbem legioni-

Tu juvenis prægressus avos. En quanta recusas,
Quanta vetas! flectere tamen; precibusque Senatus
Permittes hanc sæpe diem: manet insuper ordo
Longior, et totidem felix tibi Roma curules
Terque quaterque dabit: mecum altera sæcula condes,
Et tibi longævi revocabitur ara Terenti.

majores tuos; et quanta renuis, et quanta prohibes? Movebere tamen; et semper concedes hanc diem votis patrum. Præterea longior series consulatuum te manet, et fortunata Roma tibi deferet ter et quater totidem curules. Incipies mecum alterum sæculum, et reteges altare antiqui Terenti. Reportabis mille tropæa, permitte

tio nostra est ex emendatione Gronovii.—33 Edd. vett. *Tu juvenis prægressus avos, et quanta, &c.* Marklandus ex conjectura edidit: *Tu juvenis prægressus avos. En! quanta, &c.*—35 *Pro mittes* Parmensis.—38 Heinsius ad Ovid. Fast. I. 501. notat lectionem Parmensis, *renorabitur;* quod habet etiam Romana, et defendi potest ex voce 'instaurati' in Soter. Gall. V. 18. *revocabitur* legit Huschk. ad Tibull. IV. 1. 118. Cf. Achill. I. 593. Pro *Terenti* edd. omnes habent *parentis.* Emendavit primus Turnebus in ora codicis sui; deinde delevit, et aliter h. l. explicavit, dubitante Morello cui lectioni adhæreat. Omnem scrupulum adimit Gevart. Papin. Lect. IV. 2. ubi optime explicat, et probat ex Soter. Gall. l. l. Scribendum vero *Terenti* non *Tarenti.*

NOTÆ

bus. Secundum consulatum post novem annos. Tertium anno interjecto gessit; sequentes usque ad undecimum continuavit: multisque mox cum deferrentur recusatis, duodecimum magno, id est, septemdecim annorum intervallo, et rursus tertium decimum biennio post ultro petiit, ut Caium et Lucium filios amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum.' Vicit igitur Domitianus Augustum, qui tantum tredecim consulatus gessit, cum Domitianus septemdecim suscepit. *Sero mereri*] Augustus enim secundum gessit consulatum anno ætatis 29. (primus non numerandus, qui metu delatus;) Domitianus vero primum obtinuerat multo junior. *Fasces*] Id est, consulatum, cujus fasces præcipuum insigne erant.

33 *Quanta*] Quantos honores.

34 *Quanta vetas*] Quantos prohibes tibi deferri.

35 *Permittes hanc diem*] Id est, sæpe recipies consulatum. *Ordo*] Consulatuum scilicet.

36 *Felix*] Ob talem Imperatorem. *Curules*] Quia Kalendis Januariis novi consules inibant magistratum, et in sella eburnea sedere solebant. Ceterum scriptores, cum loquuntur de consulum insignibus, togam prætextam, fasces, et curulem semper jungunt.

37 *Altera sæcula condes*] Unum enim sæculum condiderat jam editis sæcularibus ludis Domitianus. Altera finiturum illi Janus vaticinatur.

38 *Longævi ara Terenti*] Quia post finitum sæculum, ara Terenti humo condita detegebatur, et ludi sæculares edebantur. Vide Soteriis Rutilii vs. 18. *Longævi*] Quia non nisi post centesimum, aut centum decimum, ut alii volunt, annum detegebatur hæc ara.

Mille tropæa feres: tantum permitte triumphos.
Restat Bactra novis, restat Babylona tributis
Frænari: nondum in gremio Jovis Indica laurus;
Nondum Arabes, Seresque rogant; nondum omnis honorem
Annus habet, cupiuntque decem tua nomina menses.
Sic Janus, clausoque libens se poste recepit.
Tunc omen plausere fores, lætoque dederunt

tantum triumphos. Bactra et Babylon restant summittenda novis vectigalibus. Laurea Indica nondum a te posita est in Jovis gremio. Nondum Arabes et Seres sunt supplices. Nondum totus annus honoratus est, et sunt decem menses qui ambiunt ferre tua nomina. Sic locutus Janus se recondidit obseratis januis. Tunc cuncta templa aperta sunt, et Dii dederunt e cælo signa lætitiæ suæ, et Ju-

Vide Heins. ad Ovidii locum citatum.—40 *Restāt Bactra* Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii.—41 Pro *nondum gremio Jovis*, ut in edd. vett. Livineius et Barthius legunt: *nondum in gremio Jovis*, probante Marklando.—45 Edd. vett. habent: *Tunc omnes patuere fores, lætoque dederunt Signa polo;* Marklandus conj. *Tunc omen plausere fores, lætique dederunt Signa poli;* vel: *Tunc omen plausere fores, lætoque dederunt Signa polo.* In curis vero secundis ulti-

NOTÆ

39 *Mille tropæa feres: tantum permitte triumphos*] Prædicat moderationem Domitiani Papinius, qui cum possit mille tropæa referre, et dare materiam triumphorum, nolit vincere.

40 *Bactra*] Bactra, urbs Bactrianæ celeberrima. Vide Propempticon Metii vs. 136. *Babylona*] Seu Babylon, urbs notissima ad Euphratem sita, imperii Assyrii quondam caput. Vide Genethliacum Lucani vs. 95.

41 *Nondum in gremio Jovis Indica laurus*] Id est, victoria ex Indis nondum fuit reportata. Cum Imperatores nollent triumphare, seu quia ignobiles populi, seu quia nulla molestia victi fuerant, solum lauream de populis victis Jovi Capitolino inferebant. Indi vero Orientis populi.

42 *Arabes*] Nondum victi fuerant, sed tantum sub Severo, unde Horatio, 'Intacti Arabum thesauri.' Arabes autem populi Arabiæ, quæ regio est Majoris Asiæ inter duos sinus, Arabicum et Persicum, Chaldæamque, ac Judæam, et Ægyptum comprehensa. Triplex est, Felix seu thurifera, Deserta, et Petræa. Consule Geographos. *Seresque*] Seres, populi Scythiæ Asiaticæ. Vide Epithal. Stellæ vs. 122. *Nondum omnis honorem Annus habet*] Id est, singuli menses, singulique dies anni vellent insigniri aliqua ex tuis victoriis, tropæis, seu triumphis.

43 *Cupiunt decem tua nomina menses*] September enim et October illius nomina ferebant, hic Domitiani, ille Germanici; quod, ut ait Suetonius, altero suscepisset imperium, altero natus esset. *Tua nomina*] Quæ referes de victis gentibus.

44 *Sic Janus*] Inquit scilicet. *Clauso*] Quia erat clausum Jani templum pacis tempore.

45 *Tunc omen plausere [omnes patuere] fores*] In gaudio enim publico

Signa polo; longamque tibi, Dux magne, juventam
Annuit, atque suos promisit Jupiter annos.

piter, potentissime Imperator, annuit tibi longam juventutem, et pollicitus est suos annos.

mam conjecturam in textum admitti jussit. Huic admonitioni paruerunt Editores Bipontini.—46 *Rex magne* omnes codd. et edd. ante Marklandum, qui correxit ut in textu.

NOTÆ

omnia templa aperiebantur. *Lætoque dederunt Signa polo*] Dii scilicet signa lætitiæ dederunt ob susceptum a Domitiano consulatum.

47 *Suos annos*] Id est, æternos.

II. EUCHARISTICON † AD IMP. AUG. GERMANICUM DOMITIANUM.

Imperatori Domitiano gratias agit, quod lautissimi illius convivii, quo Senatores Equitesque excepit, honore fuerit affectus.

Regia Sidoniæ convivia laudat Elissæ,
Qui magnum Æneam Laurentibus intulit arvis:
Alcinoique dapes mansuro carmine monstrat

Qui advexit ingentem Æneam in Laurentes agros, celebrat regias epulas Elysæ Sidoniæ, et qui fatigavit tarda navigatione revertentem in patriam Ulyssem, refert

Epulum Domitiani Eucharisticon Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Eucharisticon ad Domitianum* Parm. *Eucharisticon ad Imp. Aug. Germanicum Domitia*

NOTÆ

† *Eucharisticon*] Supple carmen. In hoc enim carmine Papinius agit gratias Domitiano, ob honorem mensæ Imperatoriæ, ad quam cum proceribus urbis admissus fuerat. Solebant enim Imperatores Senatui, equestrique ordini, ac plebi etiam interdum epulum præbere. Consule Suetonium, historicosque, in Julio, Tiberio, Caligula; ac de ipso Domitiano hæc idem Suetonius: 'Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit, atque inter spectacula muneris, largissimum epulum. Septimontiali sacro quidem Senatui, equitibusque panariis, plebi sportellis cum opsonio distributis, initium vescendi fecit.' Ut jam retulimus in Saturn. Decemb.

1 *Sidoniæ Elissæ*] Tyriæ Didonis. Vide Virg. Æn. lib. III. et IV.

2 *Qui*] Virgilius. *Magnum Æneam Laurentibus intulit arvis*] Hoc est argumentum Æneidos. *Intulit*] Quia quæ scribunt Poëtæ, facere dicuntur, ut jam diximus.

3 *Alcinoique dapes*] Alcinous rex Phæacum, seu Corcyræ, qui Ulyssem vi tempestatis in Corcyram delatum, naufragumque humaniter hos-

Æquore qui lento reducem consumsit Ulixen:
Ast ego, cui sacræ Cæsar nova gaudia cœnæ
Nunc primum, dominaque dedit consurgere mensa,
Qua celebrem mea vota lyra, quas solvere grates
Sufficiam? non, si pariter mihi vertice læto
Nectat adoratas et Smyrna et Mantua lauros,
Digna loquar: mediis videor discumbere in astris
Cum Jove, et Iliaca porrectum sumere dextra
Immortale merum: steriles transmisimus annos;

victuris versibus convivia Alcinoi. Verum ego, cui Cæsar nunc primum tribuit nova gaudia divinæ cœnæ, et accumbere Imperatoriæ mensæ, qua cithara canam vota mea, quas agere gratias potero? Non digne exequar, etsi Smyrna et Mantua mihi læto pariter connecterent caput sacris suis lauris. Videor mihi recumbere cum Jove in mediis sideribus, et capere divinum nectar oblatum manu Trojani Ganymedis. Hactenus præterivimus inglorios annos: hæc est prima dies

num Gronov. Barth. Veen. et Delph. ex codd.—4 *Æquore qui multo* Parm. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. cett. *Æquore qui lento* Venet. 1. et Rom. quod, jubente Markl. revocaverunt Edd. Bip.—6 *Nunc primum dominique* quidam cod. Pro *consurgere*, quod omnes edd. habent, Marklandus ad Eq. Max. 82. monuit forte legendum esse: *non surgere*, ut mox vs. 17. 'et non assurgere fas est.' Postea vero verius putabat: *dominaque dedit considere mensa;* ut apud Virg. Æn. VII. 176. et Ovid. Fast. VI. 305.—9 Pro *adoratas* Parmensis habet: *odoratas.*—12 Venet. 1. *steriles transivimus annos.*—13 Venet. 1. Parm. et Rom. *hic limina.*

NOTÆ

pitio recepit, ac magnifice tractavit. Vide Odysseam.

4 *Qui*] Homerus. *Æquore lento consumsit Ulixen*] Eleganter *consumsit:* fecit enim illum errare decem annis per diversa maria, antequam reduceret in patriam.

5 *Sacræ*] Id est, Imperatoriæ.

6 *Domina*] Imperatoria, quia Domitianus se dominum voluit appellari.

8 *Vertice læto*] Ob lauros.

9 *Adoratas*] Id est, sacras. An *odoratas? Smyrna*] Patria Homeri, urbs Ioniæ. Vide Lacrymas Etrusci, vs. 60. *Mantua*] Mantua urbs Italiæ, patria Virgilii. Innuit hoc modo loquendi Poëta, etsi haberet Homeri et Virgilii ingenium, non posse digne exprimere suum gaudium, dignasque gratias Imperatori reddere.

10 *Mediis videor discumbere in astris*] Idem loquendi modus, qui Epithalamio Stellæ: 'Ire polo nitidosque errare per axes Visus.' Sic maximum gaudium designabant, ut ibi diximus.

11 *Iliaca dextra*] Id est, manu Ganymedis Iliaci, seu Trojani, quem Jupiter ob pulchritudinem rapuisse dicitur, ut sibi pocula administraret.

12 *Immortale merum*] Nectar Deorum. *Steriles transmisimus annos; Hæc ævi mihi prima dies, &c.*] Eadem mens, quæ horum Soteriis: 'Nemo modum transmissi computet ævi, Hic vitæ natalis erit.' *Steriles annos*] Id est, quibus nihil magni nobis accidit, vel fecimus, quo celebres evaderemus, notique.

Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.
Tene ego, regnator terrarum orbisque subacti
Magne parens, te, spes hominum, te, cura Deorum,
Cerno jacens? datur hæc juxta, datur ora tueri
Vina inter, mensasque, et non assurgere fas est?
Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis,
Sed quantæ Superos cœlumque, Atlante remisso,
Sustentare queant: stupet hoc vicina Tonantis
Regia, teque pari lætantur sede locatum
Numina, ne magnum properes escendere cœlum:
Tanta patet moles, effusæque impetus aulæ

ævi mei, hic incipio vivere. Egone recumbens te video, dominator terræ, et ingens pater domiti orbis, te spes mortalium, te cura numinum? Datur juxta videre hunc vultum inter pocula et mensas, et non fas est assurgere? Domus augusta est et immanis, non tantum innixa centum columnis, sed quot possent portare divos et cœlum, quiescente Atlante. Proximum templum Jovis miratur hanc, et Dii gaudent te parem illis sedem habere, ne festines ascendere ingens cœlum, tam amplum est ædificium, et tam capaci atrio effusa aula protenditur, et multum tecti continet:

—15 Parmensis omittit vocem *hominum*; Romana habet: *te spes et te cura Deorum.*—19 *Sed quam te* Rom.—20 Eadem editio cum Parm. *super hoc.*—22 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. et Grasser. *ascendere cœlum*; Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii: *nec magnum properes excedere*; codd. Rhod. et Salisb. habent etiam, *excedere*; unde Gronovius edidit, *escendere.*—23 Gronovius Diatr. cap. 38. p. 249. tentabat: *effusæ qua impetus aulæ*, improbante Marklando.—

NOTÆ

13 *Hæc ævi, &c.*] Ex hoc tempore solum, quo admissus fuerat ad mensam Imperatoris, vixisse se profitetur.

15 *Cura Deorum*] Solenniter olim antiqui felices vocabant 'curam Deorum,' quod putarent Deos peculiarem illis curam impendere. Ovidius: 'Cura Deum Dii sint; et qui coluere, colantur.' Martialis lib. I. Epig. 83. ad Regulum: 'Quis curam neget esse te Deorum, Propter quem innocens fuit ruina.' Noster Soteriis: 'Es cœlo, Diis es, Germanice, cordi, Quis neget.' Et hoc, Deos sibi propitios habere dicebant.

17 *Assurgere*] Ut principi.

18 *Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis*] Imitatio Virgiliana: 'Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis, Urbe fuit media.'

19 *Quantæ*] Pro quot. *Atlante remisso*] Atlas enim cœlum ferre dicitur.

20 *Vicina Tonantis Regia*] Intelligit templum Jovis Capitolini.

21 *Pari*] Æque magnifica et superba, ac qua ipsi locati sunt.

23 *Effusæque impetus aulæ*] Lege *effusæ qua impetus aulæ.* Notandus ἰδιωτισμὸς Statii, qui molem illam ædificii Cæsarei alte assurgentem, lateque se efferentem, extendentemque *impetum* dixit; ut celsi montes altaque ac lata ædificia 'petere cœlum,' 'protendere se,' 'erigere,' 'incli-

Liberior campi, multumque amplexus aperti
Ætheros, et tantum domino minor: ille penates
Implet, et ingenti Genio juvat. Æmulus illic
Mons Libys Iliacusque nitent, et multa Syene,
Et Chios, et glauca certantia Doride saxa,

Regia solum minor est cœlesti domino. Ille hanc implet et ornat magno genio. Hic marmor Libycum et Iliacum certatim fulgent, hic multus lapis Syennites, Chiusque, ac saxa cærulei coloris, et Lunense, quod tantum adhibetur sustinendis

---

24. 25 *Liberior campi, multumque amplexus aperti, Æthereo et tantum, &c.* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Liberior, campi multumque, &c.* in aliis; *Liberior campi, multumque amplexus operti Æthereo et, &c.* Gronovius ex edd. Rom. et Venet. 2. *Liberior spatii* conj. Marklandus. *Æthereos et tantum* Rom. et vet. Lindenbrogii; *Ætheros* Parm. quod revocavit Marklandus. Heinsius ad Claud. Rapt. Pros. I. 172. legit: *operti Ætheros*, ex Parm. et ex conjectura, *campis* pro *campi*. Lectionem nostram firmat Scriverii conjectura.—27 Pro *nitent*

NOTÆ

nare,' tanquam viventia dicuntur. Virgilius: 'Geminique minantur In cœlum scopuli.' Idem: 'Attollit se diva Lacinia contra.' Lucanus: 'Celso petit æthera colle.' *Gronovius.*

24 *Liberior campi, multumque amplexus aperti* [*operti*] Sic Statius scripsit, non *aperti*, ut aliæ editiones habent. Tanta patet moles, qua substructio aulæ liberior est, late circumjecta campi planitie, multumque *operti*, hoc est, tecti complectitur. Dicit Domitiani domum cinctam esse longo æquore, seu capacissimo atrio, et vastum tectum continere. *Liberior campi*] Ut apud Silium 'liber campi,' id est, quoad campum. *Opertum* vero, quod tecto inclusum est. *Idem.*

25 *Ætheros,* [*Æthereo*] *et tantum domino minor*] *Æthereo domino,* Domitiano, qui se Deum appellari voluit dominumque, unde petenda est ratio epitheti *Æthereo*. *Minor*] Sic Martialis lib. VIII. Epig. 36. ubi de eadem domo loquitur: 'Hæc, Auguste, tamen quæ vertice sidera pulsat Par domus est cœlo, sed minor est domino.' Contraria sententia Pompeius Magnus Tertulliano dicitur 'solo theatro suo minor.'

26 *Ingenti Genio juvat*] Vide Equo Domitiani vs. 58. *Æmulus illic Mons Libys*] Denotat Libycum seu Numidicum marmor. *Æmulus*] Id est, æmuli seu invidi coloris. Nam, ut ait Isidorus lib. XVI. cap. 5. 'Numidicum marmor Numidia mittit, ad cutem succum mittit croco similem, unde et nomen accepit, non in crustis, sed in massa et liminum usu aptum.' Croceus enim color proprius invidorum: unde Balneo Etrusci: 'Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis Purpura.' Et Surrentino: 'Hic Nomadum lucent flaventia saxa.'

27 *Iliacusque*] Id est, Synadicum seu Phrygium marmor. Vide Epithalamio Stellæ. *Multa Syene*] Intelligit lapidem Syennitem. Vide Surrentinum Pollii vs. 86.

28 *Et Chios*] Marmor Chium. Vide ibidem vs. 93. *Et glauca certantia Doride saxa*] Sic Epithalamio Stellæ: 'Et concolor alto Vena ma-

Lunaque portandis tantum suffecta columnis.
Longa super species: fessis vix culmina prendas
Visibus, auratique putes laquearia cœli.
Hic cum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina mille simul jussit discumbere mensis,
Ipsa sinus accincta Ceres, Bacchusque laborant
Sufficere: ætherei felix sic orbita fluxit

columnis. Super has ingens est altitudo; vix attingeres culmina fatigatis oculis, et ea crederes laquearia aurati cœli. Hic cum Cæsar imperavit optimates Romanos, et mille trabeata agmina una mensis discumbere, ipsa Ceres collecta veste, et Bacchus vix possunt sufficere. Sic Triptolemus felici curru vectus sparsit abun-

Parmensis *nitet.*—29 In quibusdam scriptis: *tantum subjecta columnis.*—30 Parmensis: *Longaque super.* Heinsius Not. ad Propert. II. 31. 3. conj. *Longa super series,* vel: *Longamque in seriem.* Vide Advers. p. 708.—31 'Recte omnia: nec quicquam mutandum.' Ita Marklandus; sed quam mutationem ante oculos habuerit nescio.—32 *Hic cum Romuleos equites* Heraldus ad Martial. v. 42.—35 Nic. Heinsius ad Val. Flac. IV. 654. pro *ætherii*

NOTÆ

ri.' Ubi diximus, aliis Porphyreticum designari, aliis Augustæum marmor, quod sit undatim crispum, aliis denique Carystium, quod sit glaucum instar maris.

29 *Lunaque*] Intelligit Lunense marmor. Vide Tiburtino vs. 35.

30 *Fessis vix culmina prendas Visibus, auratique putes laquearia cœli*] Summam altitudinem hujusce aulæ sic designat. Nec Martialis modestior in ea exprimenda. Lib. VIII. Ep. 36. 'Septenos pariter credas assurgere montes: Thessalicum brevior Pelion Ossa tulit. Æthera sic intrat, nitidis ut conditus astris, Inferiore tonet nube serenus apex.'

32 *Romuleos proceres*] Romulei proceres sunt Senatores Romani. *Trabeataque Agmina*] Equites: Trabeæ enim propriæ Equitum. Servius tamen in Æneid. VII. ex Suetonio libro de vestimentis, Trabearum tria genera facit. Unum e sola purpura Diis consecratum: alterum e purpura non sine albo, quo reges utebantur: tertium augurale e purpura et cocco. Fuit et militaris habitus quo consules in bello utebantur. Livius lib. XXXII. 'Consul,' ait, 'cum Corcyræ hybernasset, vere primo in continente trabeatus ad hostem ducere pergit.' Idcirco Equestres turmæ bellicam speciem repræsentantes, Idibus Quintilianis ante censores trabeati transvehebantur, ut discimus ex Valerio Maximo lib. II. Inde factum, ut hæc vestis propria remaneret Equitibus, ad distinctionem ordinis, in diebus solennibus, ut hic videmus, et colligitur ex Tacito Annal. III. Sed et Domitiano decretus per senatum honor, ut quoties consulatum gereret, Equites Romani, quibus sors contigisset, trabeati, et cum hastis militaribus præcederent eum inter lictores apparitoresque. Hæc vestis 'trabea' dicta a specie trabum purpuræ intextarum.

34 *Sinus accincta Ceres*] Ceres, ut Dea frugum; *accincta sinus* ut expeditius ministraret.

Triptolemi: sic vitifero sub palmite nudos
Umbravit colles, et sobria rura Lyæus.
Sed mihi non epulas, Indisve innixa columnis
Robora Maurorum, famulasve ex ordine turmas;
Ipsum, ipsum cupido tantum spectare vacavit
Tranquillum vultus, et majestate serena
Mulcentem radios, summittentemque modeste

dantiam, sic Bacchus opacavit ramis vineæ nudos colles et abstemios agros. Sed non mihi erat cupido spectandi dapes et mensas citreas ex Mauritania advectas, effultas pedibus eburneis, et servorum examina. Tantum oculos fixos habebam in ipsum Imperatorem, placidum fronte; et lenientem comi majestate fulgorem suum,

vult *Actæi*, improbante Marklando.—38 *Indisque* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ: *Indisve* est ex emendatione Marklandi.—41 *Tranquillum vultu sed* edd. vett. 'Olim emendaveram, *Tranquillum vultus et majestate, &c.* et ita Behottius, testante Gronovio Diatr. cap. 38.' *Markl.*—43 Pro *tamen* Par-

NOTÆ

35 *Ætherei felix sic orbita fluxit Triptolemi*] Triptolemus fuit filius Celei et Hyones; a quibus cum Ceres benigne hospitio recepta fuisset ad Eleusinem, illa in gratiam ejus beneficii, Triptolemum eorum filium conjecit in focum, ut, exusto quicquid in eo mortale esset, immortalis fieret. Sed eum superveniens mater eduxit; cui Ceres inquit, Impia es in filium: si enim permansisset in igne, fuisset immortalis. Sed tamen a me habebit, ut primus doceat serere frumentum: atque ita volucri curru abreptus Triptolemus fruges per Atticam disseminavit. Hoc vero loquendi modo Papinius innuit Cererem, in epulo Domitiani, tantis dapibus eduliisque onerasse mensas, ut abundantiam et copiam mirarentur omnes, sicut Athenienses mirati sunt copiam frugum a Triptolemo satarum. Quod idem de Baccho dicendum est. *Orbita*] Curru enim volucri fuit vectus Triptolemus. *Felix*] Quæ portaret fruges loco glandium, quibus prius vescebantur homines.

36 *Nudos*] Nudos antequam palmites vitiferi umbrarent eos.

37 *Sobria*] Eleganter, ante plantatam vitem.

38 *Indisve innixa columnis Robora Maurorum*] Intelligit mensas citreas quæ pedibus eburneis sustinebantur.

39 *Famulasve ex ordine turmas*] Sic Coma Earini: 'Famulumque greges.'

41 *Tranquillum vultus* [*vultu*] Gronovius legit *vultus* ex emendatione Behottii. Imitatus est Claudianus lib. II. de Laudibus Stilichonis: 'Blanda quidem vultus, sed qua non tetrior ulla Interius.' Sic enim duo Mss. non *vultu*. *Majestate serena Mulcentem radios*] Nihil magnificentius dici potest de regio vultu. Ita Plutarchus ex Pompeii vultu et oculis gratiam quandam et venerem, regia tamen dignitate et majestate admixtam, reluxisse ait.

42 *Summittentemque modeste Fortunæ vexilla suæ*] Elegantissime, metaphora sumta ex ritu militari: dictumque,

Fortunæ vexilla suæ: tamen ore nitebat
Dissimulatus honos: talem quoque barbarus hostis
Posset, et ignotæ conspectum agnoscere gentes.
Non aliter gelida Rhodopes in valle recumbit
Dimissis Gradivus equis: sic lubrica ponit
Membra Therapnæa resolutus gymnade Pollux:
Sic jacet ad Gangen, Indis ululantibus, Evan:
Sic gravis Alcides post horrida jussa novercæ
Gaudebat strato latus acclinare leoni.

et modeste deprimentem signa fortunæ suæ: celata tamen dignitas elucebat in ejus vultu. Hostis barbarus et populi, qui nunquam eum viderunt, possent agnoscere, si tantam majestatem conspicerent. Non aliter Mars recumbit in frigida valle Rhodopes relicto curru: sic Pollux expeditus lucta Therapnæa, quiescens, prosternit artus suos oleo unctos: sic Bacchus jacet ad Gangem Indis acclamantibus: sic ingens Alcides regressus post exantlata dira imperia lætabatur imponere fessum

mensis habet *tātū*, i. e. *tantum.*—48 *Membra theramnæa* Ald. 1. *Membra terapnæa* Ald. 2. Colin. et Gryph.—50 *Sic Graius Alcides* Parm. *graius* et *gravis* similia sunt in membranis. Edd. vett. *post horrida jussa reversus;* correxit

NOTÆ

ut illud Latini Pacati in Panegyr. Theod. 'Submissis precabunda vexillis petiit veniam.' Contrarium est 'vexillum erigere' apud Ammianum Marcellinum lib. XXVII.

43 *Tamen ore nitebat Dissimulatus honos*] Imitatio Ovidiana de Helena: 'Luctor celare pudorem, Sed tamen apparet dissimulatus honos.'

44 *Talem quoque barbarus hostis Posset, et ignotæ conspectum agnoscere gentes*] Id est, tanta dignitas majestasque relucet in vultu principis, ut illo conspecto, etiam hostes, et gentes, quæ illum nunquam viderunt, possent agnoscere. Nemini enim tantam posse esse oris commendationem, nisi omnium principi.

46 *Rhodopes*] Rhodope mons Thraciæ. In Thracia enim sedes Martis.

47 *Gradivus*] Mars. *Dimissis equis*] Id est, cum requiescit a pugna, currumque relinquit. Nam curru vehi Martem fingunt Poëtæ. *Lubrica*] Id est, uncta oleo, quo fit ut manus adversarii super cutem labatur, nec firma est apprehensio.

48 *Therapnæa resolutus gymnade Pollux*] Pollux filius Jovis et fortissimus. *Resolutus Therapnæa gymnade*] Id est, resolutus nexibus luctæ, qua se exercebat apud Therapnas oppidum Laconiæ. Ceterum *gymnadem* usurpari pro lucta Papinio, jam observavimus.

49 *Sic jacet ad Gangen, Indis ululantibus, Evan*] Evan, seu Bacchus, Indos vicisse dicitur. *Gangen*] Ganges fluvius Indiæ. *Indis ululantibus*] Id est, orgia celebrantibus. Iudi enim victi a Baccho orgia celebrare didicerant, ut notatur in Thebaide.

50 *Alcides*] Hercules. *Jussa*] Eurysthei. *Horrida*] Quia periculosa, et contra belluas immanesque feras.

51 *Strato leoni*] Id est, stratæ pelli leonis. Hoc modo jacens repræsentabatur Hercules.

Parva loquor, nec dum æquo tuos, Germanice, vultus:
Talis ubi Oceani finem, mensasque revisit
Æthiopum, sacros diffusus nectare vultus,
Dux Superum, secreta jubet dare carmina Musas,
Et Pallenæos Phœbum laudare triumphos.
Di tibi (namque animas sæpe exaudire minores
Dicuntur) patriæ bis terque exire senectæ
Annuerint fines! rata numina miseris astris,

latus stratæ pelli leonis. Parva dico, nec satis exprimo tuum vultum, Germanice. Talis rex Deorum, ubi revisit terminos Oceani, et mensas Æthiopum, diffusus vultum divino nectare, imperat Musas pandere mysticos versus, et Phœbum celebrare victoriam, quam apud Pallenen de Gigantibus reportavit. Dii (num ferunt eos sæpe exaudire preces supplicum) tibi indulserint transgredi bis terque annos pater-

Marklandus.—52 *Parva loquor nondum* Parmensis.—53 'Nihil hoc loco solicitandum esset, nisi novam lectionem præbuisset Parmensis: *mensasque reliquit Æthiopum;* cui favet simillimus locus Achill. I. 52. de Neptuno.' *Markl.* 'Ed. Parm. *mensasque reliquit:* recte omnino; finita enim cœna vacabant veteres rei Musicæ, non ante epulas.' *Heins.* Vide Advers. lib. IV. cap. 11. p. 627. Cf. Theb. v. 436. et Hom. Il. A. 423.—54 Edd. vett. *sacro diffusus nectare.* Mutavit Marklandus.—55 *Dum superum* Parm. *dare carmina mensis* Rom. et vet. Lindenbrogii.—56 Pro *laudare triumphos* legi posse putabat Markl. *cantare triumphos,* ut Theb. VI. 358.—58 Idem Marklandus conj. *Pyliæ bis*

NOTÆ

52 *Parva loquor, nec dum æquo tuos, Germanice, vultus*] Quamvis comparem illos cum vultu Martis, Pollucis, Bacchi, et Herculis. Et imitatus est Ovidium ult. Metamor. loquentem de Julio et Octavio: 'Ægea sic Theseus, sic Pelea vicit Achilles. Denique, ut exemplis ipsos æquantibus utar: Sic et Saturnus minor est Jove.'

53 *Talis*] Id est, eo vultu, ea majestate oris. *Ubi Oceani finem, mensasque revisit Æthiopum, sacros diffusus nectare vultus, Dux superum*] Jam diximus Theb. v. Jovem, Deosque cum se exhilarare vellent epulis, invisere Æthiopas mensasque eorum: quod sumsit noster ex Homero Il. A. Ζεὺς γὰρ ἐπ' ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα. *Jupiter enim in Oceanum ad inculpatos Æthiopas hesternus ivit ad convivium.* Et Odyss. A. Ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης· Ἔνθ' ὅγε τέρπετο δαιτὶ παρήμενος. *Communicans taurorum et agnorum hecatombas; ille delectabatur convivio assidens.* Et Noster Theb. v. 'Arcana sic fama erumpere porta Cœlicolas, si quando domus, littusque rubentum Æthiopum et mensas amor est intrare minores.'

55 *Secreta*] Id est, mystica carmina, quæ soli Dii cantant, nec hominibus communicant.

56 *Et Pallenæos*] Id est, Giganteos: Gigantes enim a Diis victi sunt in campis Phlegræis prope Pallenen Macedoniæ urbem.

58 *Patriæ senectæ*] Nam Vespasianus diu vixit.

59 *Rata numina miseris astris, Templaque des, habilesque* [*habitesque*] *domos*]

Templaque des, habilesque domos! sæpe annua pandas
Limina, sæpe novo Janum lictore salutes;
Sæpe coronatis iteres Quinquennia lustris!
Qua mihi felices epulas mensæque dedisti
Sacra tuæ, talis longo post tempore venit
Lux mihi, Trojanæ qualis sub collibus Albæ
Cum modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

nos, et ipse referas in numerum Deorum, et templorum honore digneris quos volueris, et terram habites, sæpe annum aperias, sæpe salutes Janum cum novis lictoribus: sæpe renoves quinquennales ludos in honorem Jovis Capitolini, in quibus multi coronantur. Hæc dies, qua dignatus es me excipere beatis dapibus et sacris tuæ mensæ, mihi venit longo post tempore, qualis ea fuit, cum tua dextra donavit me sub collibus Albæ Trojanæ corona Palladis, canentem modo bella Germanica, modo certamina Dacica.

terque exire senectæ.—60 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. et Gryph. *habitesque domos.* Correxit Barthius, ejusque correctionem in textum primus recepit Markl.—61 *Lumina sæpe novo* Parm. *littore salutes* Rom.—63 *Quas mihi* Parm.—65 *Lux mihi Romanæ* in quibusdam vett. Vide Heins. ad Ovid. Amor. p. 278.

NOTÆ

Idem sensus, qui primo Theb. 'Maneas hominum contentus habenis, Undarum terræque potens, et sidera dones.' Et qui Equo Domitiani: 'Certus ames terras, et quæ tibi templa dicamus Ipse colas, nec te cœli juvet aula.'

60 *Sæpe annua pandas Limina*] Consules enim magistratum inibant primo anni die, et sic aperire annum dicebantur. XVII. Consul. Germanici: 'Insignemque aperit Germanicus annum.' Claudianus in VI. Honorii Consulatu: 'Jamque novum fastis aperit felicibus annum.'

61 *Sæpe novo Janum lictore salutes*] Quia Kalendæ Januariæ, quibus novi Consules consulatum inibant, Jano sacræ erant. *Novo lictore*] Quia lictores fasces ante consulem ferebant, ut jam diximus.

62 *Sæpe coronatis iteres Quinquennia lustris*] 'Capitolina sacra' vocat Ecloga ad uxorem: 'coronata' dicuntur propter coronas, quibus donabantur victores in ludis Capitolinis, quorum coronas auxit Domitianus, teste Suetonio.

64 *Sacra*] Mensæ enim erant sacræ apud veteres.

65 *Trojanæ*] Quia Alba condita fuit ab Ascanio Trojano. Alii legunt *Romanæ*. Quia Romani ab Albanis oriundi.

66 *Germanas acies*] Cattos Germaniæ populos victos. *Daca*] Vide Theb. I. 20.

67 *Palladio tua me manus induit auro*] Palladium aurum, est oliva aurea data quinquatribus Minervæ; olea autem sacra Minervæ. Ecloga ad uxorem diximus Domitianum instituisse certamina Oratorum ac Poëtarum Minervæ honori in Albano, quorum præmium erat corona oleagina aurea, qua victores Domitianus sua manu coronabat. Quod tangit hic et Martialis: 'Hic colat Albano Tritonida multus in auro.'

III. VIA DOMITIANA.†

Viam Domitianam mira arte describit.

Quis duri silicis gravisque ferri
Immanis sonus æquori propinquum
Saxosæ latus Appiæ replevit?
Certe non Libycæ sonant catervæ,
Nec dux advena, pejerate bello,

Quis horribilis crepitus duri silicis et ponderosi mallei ferrei replevit latus viæ Appiæ lapidibus stratæ, quod vicinum est mari? Certe Africanæ copiæ non strepunt,

1 *Quis duræ silicis* scripti codd. Barthii.—2 *Immanis sonis æquoris* Rom. et vet. Lindenbrogii; *Immani sonis æquori* Parm.—5. 6 Edd. vett. Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. et Gryph. habent: *pejerante bello*

NOTÆ

† *Via Domitiana*] Via, quæ a latere viæ Appiæ, descendens mare versus, Cumas et Puteolos ducebat, tantum cœni contraxerat ex inundationibus vicinorum fluviorum, Vulturni maxime, ut illac sine magno vitæ discrimine transiri non poterat. Hanc igitur Domitianus curari jussit ac lapidibus sterni, Domitianamque ex suo nomine vocavit. Hujus viæ Domitianæ meminit Dio apud Xiphilinum in Domitiano. Reliquiæ adhuc hujus visuntur: nec non lapidei pontis ruinæ in Vulturno, quem pontem construi etiam jusserat Domitianus, ut infra videbitur. Confici etiam curavit Domitianus viam in Hispania, a patre quidem inchoatam, sed nequitia publicanorum infectam: ut videtur ex sequenti inscriptione, quæ legitur Medinæ in columna: IMP. DOMITIAN. VESP. CAES. AUG. GERM. P. M. OPUS PATERN. NEQUITIA. PUBLICANOR. INFECTUM. EA. GENTE. MALE. MULTAT ET. OMNI. IN. POSTERUM. MUNERE. PUBLICO. PRIV. CONFICI. JUSSIT LXXXVIII.

1 *Quis duri silicis, &c.*] Hoc in loco 'silicem' vocat Papinius, quod infra 'saxum' hoc versu 'Illi saxa ligant, opusque nectunt.' Ea solum inter utrumque differentia, quod vocabulum 'saxi' latius sumitur, 'silicis' vero strictius: nam per 'saxum' intelligitur omnis lapis durissimus, per 'silicem' vero is tantum, ex quo ignis excutitur. Hic etiam observandum est, vias in urbe Roma primum silice tantum stratas fuisse, extra vero vel sola glarea, vel partim glarea, partim silice, ut ex Tibullo lib. I. Eleg. 8. et Plinio manifestum est: posterioribus vero temporibus omnes silicibus stratas fuisse, ut earum quæ adhuc tota Italia supersunt vestigia indicant.

2 *Æquori propinquum*] Nam via illa Cumas et Puteolos, urbes ad mare sitas, ducebat; ideo vocat *propinquum æquori latus.*

3 *Appiæ*] Supple Viæ. Vide Surrentinii vs. 12.

4 *Libycæ catervæ*] Carthaginienses exercitus duce Hannibale.

5 *Dux advena, pejerate bello*] Hannibal est, cui, ut scriptores omnes

Campanos quatis inquietus agros :
Nec frangit vada, montibusque cæsis
Inducit Nero sordidas paludes.
Sed qui limina bellicosa Jani
Justis legibus, et foro coronat:
Qui castæ Cereri diu negata
Reddit jugera, sobriasque terras:
Qui fortem vetat interire sexum;

nec dux barbarus et perjurus, bello quatit inquietus agros Campaniæ. Nec Nero perrumpit fluvios, et immittit perfossis montibus turbidos lacus. Sed qui cingit templum bellicosi Jani justis legibus et foro: qui restituit pudicæ Cereri arva diu negata, et terras vitibus succisis: qui vetat sexum virilem perire: et Censor prohi-

NOTÆ

retulerunt, perfidia plusquam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus Deorum metus, nullum jusjurandum, nulla religio inerat: quique bellum Romanis intulit, fœdus, quod erat inter illos et Carthaginienses, frangendo.

6 *Campanos quatis inquietus agros*] Hannibal enim in Campania sedem posuerat. Mens: Certe non Hannibal, nec copiæ Carthaginienses transeunt per Campaniam, tantumque strepitum edunt.

7 *Nec frangit vada, montibusque cæsis Inducit Nero sordidas paludes*] Nec Nero facit fossam, ut possimus suspicari, ex hoc tantum sonitum audiri, et tantam multitudinem operarum convenisse. Nam Nero, ut ait Suetonius Nerone cap. 31. 'Inchoaverat fossam ab Averno Ostiam usque, ut navibus, nec tamen mari iretur, longitudinis per 160. milliaria, latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent.' Vide Plinium lib. XIV. cap. 6. et Tacitum Annal. XV.

9 *Sed qui limina bellicosa Jani Justis legibus, et foro coronat*] Domitianus enim, ut XVII. Consul. dictum est, ædem Jani restituit, juxta forum, quod ipse etiam construxerat. *Bellicosa*] Ob rationem omnibus notam.

11 *Qui castæ Cereri diu negata Reddit jugera, sobriasque terras*] Tangit edictum Domitiani, qui jussit ut vites in provinciis succiderentur. Suetonius Domitiano cap. 7. 'Ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit ne quis novellaret in Italia: utque in provinciis vineta succiderentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte.' Cujus tamen edicti gratiam fecisse dicitur sparsis libellis cum hoc disticho: Κῆν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ. *Si me comederis usque ad radicem, tamen adhuc fructum feram, quantum sufficiet infundi Cæsari immoluto.* Philostratus tamen, quoad Asiam, dicit seditiones, ex ebrietate sæpe ortas, fuisse causam hujus edicti. Hinc servatum videtur sub sequentibus Imperatoribus, ut omnium non esset vitem plantare, sed tantum eorum qui ab Imperatore veniam obtinuissent. Vopiscus in Probo: 'Gallis omnibus, et Hispanis, ac Britannis hic permisit, ut vites haberent, vinumque conficerent.'

13 *Qui fortem vetat interire sexum*] Tangit Poëta aliud edictum Domitiani, quo mares castrari vetuit. Bene *interire*, quia spes prolis omnino tolli-

Et Censor prohibet mares adultos
Pulchræ supplicium timere formæ:
Qui reddit Capitolio Tonantem;
Et Pacem propria domo reponit;
Qui genti patriæ futura semper
Sancit limina, Flaviumque cœlum;
Hic, cœno bibulo viam gravante,
Et campis iter amne detinente,

bet, ne mares adulti metuant secari ob eximiam formam: qui restituit Capitolio Jovem, et Pacem propria sede donavit: qui dicavit æterna templa genti patriæ, et Flaviam ædem, ille tollit longos circuitus, qui gravabant viam publicam cœno, et

---

Campanos quatit. Lectio nostra debetur Marklando.—19 Omnes fere edd. exhibent: *Flaviumque culmen.* Domitiani codd. habebant: *Flaviumque calvum*, et sic etiam Parm. et Rom. *Fluviumque cœlum* est ex emendatione Marklandi.—20. 21 *Hic scenis populi vias gravantes Et c. i. omne detinentes* Aldd. Colin. et Gryph. Domitius tentabat: *cœno hic populeo;* Cruceus: *Hic cœno populi vias gravatus;* Gevartius: *Hic scœnis populi vias gravatas*, i. e. juncis, a Græco χοῖνος· et hac voce utuntur Plautus, Cato, et Columella. Gronovius Diatr. cap. 40. *Hic scenis populi vias gravatas;* et hoc defendit Elench. Antidiatr. cap. 5. in Reliq. vero ad Sylv. quas longo post tempore edidit, legit: *Hic cœnis populi vias gravatas*, eo quod Venet. 2. et codex Rhod. habuerunt *sævis* et *senis*, quod est etiam in Parm. Pro *gravatas* scripti codd. *gra-*

NOTÆ

tur. *Fortem sexum*] Mares. Hinc jocus Apollonii apud Philostratum, audito Domitiani de vitibus succidendis edicto: 'Hic,' inquit, 'præclarus Imperator, qui mares castrari vetuit, terram Eunucham fecit.'

14 *Et Censor prohibet mares adultos*] 'Censor,' sic a Plinio vocatur in Epistolis, et Martialis de eodem: 'Censor maxime, principumque princeps.' Et Dionis Epitome: Domitianus autem, Cæsaris dictatoris exemplo, consulatum in annos decem, et censuram perpetuam assumsit.

15 *Pulchræ supplicium timere formæ*] Crimen erat pulchrum nasci, quia formosi pueri ante illud edictum Domitiani castrabantur. Consol. ad Ursum: 'Quales dubiæ post crimina formæ De sexu transire jubent.' Vide Coma Earini vs. 73.

16 *Qui reddit Capitolio Tonantem*] Domitianus enim novum templum Jovi Capitolino struxerat, priore a Vespasiano excitato, combusto.

17 *Et Pacem propria domo reponit*] Vespasianus quidem templum Pacis construxit, sed Domitianus illud auxit.

18 *Qui genti patriæ* [*Flaviæ*] *futura semper Sancit limina, Flaviumque cœlum* [*culmen*] Declarat hoc P. Victor de regionibus urbis, cum ait: 'Malum Punicum, ad quod Domitianus dedicavit templum Minervæ Flavianæ, seu templum gentis Flaviæ; et erat domus ejus.' Et Suetonius: 'Domo, quam postea in templum gentis Flaviæ convertit.'

20 *Hic, cœno bibulo viam gravante,* [*cœnis populi vias gravantes,*] *Et campis iter omne detinente,* [*omne detinentes,*]

Longos eximit ambitus, novoque
Injectu solidat graves arenas;
Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ,
Gauranosque sinus, et æstuantes
Septem montibus admovere Baias.

omne iter campis intercludebant, et firmat graves arenas, nova terra injecta: lætus ædes Euboicæ Sibyllæ, sinusque Gauranos, et calidas Baias admovere septem Ro-

vantes, ut in Parm. et Rom. Heinsius Advers. I. 10. p. 105. legit: *Hic segnis populi vias gravatus, Et campos iter omne detinentes, &c.* Parmensis habet etiam, *campos.* Lectio nostra debetur ingenio Marklandi.—23 Joannes Clericus Not. ad Ætnam, 206. citat hunc Statii locum; et pro *graves arenas* ex antiquis quibusdam edd. reponit *putres arenas;* sane Parm. Rom. Aldd. 1. 2. Colin. Gryph. 1. 2. Basil. Plant. 1. 2. et Gevart. servant *graves;* alterum verissimum putat Marklandus, qui pro *Injectu* malit *Ingestu.*—26 *Septem collibus* legit Nic.

NOTÆ

Longos eximit ambitus] Oratio ita evolvenda: Hic eximit longos ambitus, qui gravabant vias populi cœnis, et iter omne campis detinebant. Id est, ut verbis Papinii utar in Epist. IV. huic Sylvarum libro præfixa: 'Viam Domitianam miratus sum, quæ gravissimam arenarum moram exemit.' *Cœnis*] Gruterus legit *scenis*, et explicasse videtur, tentoriis; vult enim viatores non potuisse conficere iter diurnum, sed coactos sub scenis noctem transigere, iisque impedire vias agrorum vicinorum. Gronovius *scenas* explicat ex Isidoro, Philostratoque, et Virgilio Æneid. I. arbusta implicata, immissis in alios ramis. Hinc 'scenæ' in comœdiis, quæ initio virides implexæque erant arbores, aut frutices. Et ita Scenopegia Judæorum festum. Ergo *ambitus gravantes viam publicam scenis*, id est, implicatis, et ut forte natis, ita mixtis, et fere imperviis, certe impedientibus arbustis et fruticetis. Gevartius corrigit, *Schœnis*, et explicat juncis, cannis, hancque vocem *Schœnus* pro, junco, canna usurpari Plauto, Catoni, Columellæ dicit. Sed vulgata lectio servanda. Infra enim vocat 'putres arenas,' et in Prosopopeia Vulturni: 'Nec me pulvereum gravemque cœno.' Cœnis vero plurali numero pro cœno, quod familiare est Poëtis. *Vias populi*] Pro publicas, ut in lapide veteri: 'redonatori viæ populi.' Peyraredus vero legit *cœno, gravanti*, et *detinenti*, pro *cœnis, gravantes*, et *detinentes.*

24 *Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ, Gauranosque sinus, et æstuantes Septem montibus admovere Baias*] Elegantissime, loca, ad quæ vicinior et brevior via reperitur, dicuntur *admoveri.* Plinius lib. XII. cap. 5. 'Arbore sulcamus maria, terrasque admovemus.' Plinius Junior in Panegyr. 'Magnificum, Cæsar, et tuum, disjunctissimas terras munificentiæ ingenio velut admovere, immensaque spatia liberalitate contrahere.' *Euboicæ domum Sibyllæ*] Cumas, juxta quas antrum erat Sibyllæ. *Euboicæ*] Quia Cumani a Chalcidensibus Eubœæ insulæ orti. *Gauranos sinus*] Id est, mare adjacens Gauro Campaniæ monti, in quo præstantissimum vinum nascitur. *Æstuantes*] Ob calidos fontes. *Septem montibus*] Urbi Romæ, quæ ideo 'septemgemina' Nostro

Hic quondam piger axe vectus udo
Nutabat cruce pendula viator;
Sorbebatque rotas maligna tellus;
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis:
Nec cursus agiles, et impeditum
Tardabant iter orbitæ tacentes,

mæ montibus. Hic quondam lentus viator, vectus uno axe, suspensus vacillabat. Solum instabile hauriebat rotas, et populus Latinus expavescebat pericula navigationis, in mediis agris. Nec cursus faciles erant, sed intricata via retardabat

Heins. in Advers. lib. I. cap. 14. p. 146.—27 Edd. vett. *axe vectus uno.* Nic. Heinsius ad Val. Flac. VII. 229. et in Advers. lib. I. cap. 10. p. 103. legit: *axe vectus udo,* quod primus in textum recepit Markl.—29 Pro *Sorbebat* multæ edd. *Rodebant*, sc. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. Alterum restituit Bernartius ex libris, ut ille ait: et ita certe est in Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii.—32 Edd. vett. *sed impeditum;* Marklandus correxit: *et impeditum.*—33

NOTÆ

vocatur XVII. Consul. *Baias*] Baiæ, urbs Campaniæ. Dicit vero *admotas septem montibus Baias*, non quod via Domitiana a Baiis Romam duceret; hæc enim solum sex viginti milliarium longitudinem habebat; sed quia via Domitiana ex una parte jungebatur viæ quæ Puteolis Baias tendebat, ab altera vero Viæ Appiæ, quæ Romam usque perducta erat.

27 *Piger*] Quia in tam difficili via lentius incedebat viator. *Axe vectus udo* [*uno*] Quia in via tam inæquali pars currus et altera rotarum depressa jacebat, ita ut unicus axis emineret: et ideo subjungit: 'Sorbebatque rotas maligna tellus.'

28 *Cruce pendula*] Domitius per 'crucem pendulam' intelligit jugum currus, seu potius illud lignum bicorne, quod temoni supponitur, quia speciem crucis efficit. At Cruceo sumitur pro suspensione in loco declivi et præcipiti. Eo sensu 'cruces Caucasorum' dixit Tertullianus, alludens ad Promethei fabulam lib. I. adversus Marcionem, et 'crucem virgineam Andromedæ' Manilius lib. V. quoniam hæc virgo affixa in prærupto scopulo pendebat. Significat ergo Statius hanc viam fuisse difficilem, et periculosam viatoribus, quorum currus ibi diutius hærebant, ac nutabant ob inæqualitatem itineris confragosi et declivis, ut fieri solet: ideo 'crucem pendulam' vocat, quoniam in talibus locis currus et vecti quodammodo pendent. Crux etiam potest sumi pro loco ipso in quo aliquis pendet, et hæret affixus. Vide Lipsium de Cruce lib. I. cap. 20. Locus igitur imminens, et altitudinis spectandæ dici merito potest, 'crux pendula.'

29 *Sorbebatque rotas maligna tellus*] Alii legunt, *Mordebat*, id est, retinebat: alii *Rodebat*.

33 *Orbitæ tacentes*] Ut fit in via cœnosa: non audiuntur enim rotæ, dum immerguntur in cœnosam terram. *Orbita* hic pro rota.

Dum pondus nimium querens sub alta
Repit languida quadrupes statera:
At nunc, quæ solidum diem terebat,
Horarum via facta vix duarum.
Non tensæ volucrum per astra pennæ,
Nec velocius ibitis, carinæ.
Hic primus labor inchoare sulcos,
Et rescindere limites, et alto
Egestu penitus cavare terras:
Mox, haustas aliter replere fossas,
Et summo gremium parare dorso,
Ne nutent sola, ne maligna sedes,

silentes rotas, dum languidum jumentum, haud par nimio oneri, repit sub alta statera. At nunc iter, quod poscebat integrum diem, conficitur minus horis duabus. Non aves tensis alis per aërem volantes, nec naves citius ibitis. Prima opera fuit sulcos ducere, quibus aquæ effluant, et rescindere transversa quæque obstantia, et extrahere altius terras factis profundis fossis: mox replere exinanitas scrobes alia terra, et præparare gremium summæ crustæ, ne terræ cedant, ne sedes maligna sit,

Idem Marklandus pro *tacentes* malit *jacentes.*—36 *Et nunc* Parmensis. '*diem terebat:* recte Apuleius Apolog. 'Sed non est operæ in istis diem terere,' &c. Sic otium et tempus terere, passim. Hæc noto, ne cui adblandiatur *diem tenebat.*' Markl.—42 *Egestu penitas* conj. Barthius.—48 Pro *crebris* Ro-

NOTÆ

35 *Statera*] Per 'stateram' intelligit Domitius lignum, unde vincto fune, et alligata mula currus trahebatur, a similitudine; *statera* enim videtur. Guyetus per 'stateram' suspensionem intelligit.

40 *Sulcos*] Scilicet, per quos aquæ emitterentur.

41 *Limites*] Transversa quæque obstantia, sive muros, sive aggeres, sive sepes, et similia. *Alto Egestu cavare terras*] Id est, solum ad solidum fodere, ut terræ bibulæ, et cedentes egererentur.

43 *Aliter replere*] Ubi hæ terræ egestæ fuerant, fossas replebant arena marina, fluviatili, aut fossitia; (et hoc est quod dicit Noster *aliter replere*;) mox hanc arenam cylindris densabant, et æquabant, aut pavicula spissabant ac solidabant, ut sedes firma et inconcussa pararetur idonea ferendis lapidibus ac silicibus, quæ supra sternerentur. Vide Nicolaum Bergerium in docto opere de Viis Militaribus Imperii Romani Gallice edito lib. II. cap. 9. et 13.

44 *Gremium*] Per *gremium* intelligit idem Bergerius cap. 9. varias materias, quæ aliæ aliis per ordines insternebantur, ut 'summum dorsum,' quod 'lapideam crustam' vocat, Joan. Bapt. Albertus lib. IV. cap. 5. de Re Ædific. sustinerent. *Dorso*] Viæ scilicet; nam viæ lapidibus stratæ prominent.

45 *Maligna*] Quæ cedit, et firma non est.

Et pressis dubium cubile saxis.
Tunc umbonibus hinc et hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis.
O quantæ pariter manus laborant!
Hi cædunt nemus, exuuntque montes,
Hi ferro scopulos trabesque lævant;
Illi saxa ligant, opusque texunt
Cocto pulvere sordidoque topho:

ac solum parum firmum sustinendis junctis lapidibus: et tunc coactis hinc et hinc marginibus alligare viam crebris fibulis ferreis. O quot simul manus operantur. Hi amputant sylvas, et montes spoliant, hi scindunt ferro rupes ac trabes; hi ligant silices, et opus nectunt calce et squalido topho: hi siccant lacunas aquis plenas, et

mana habet *cribris*.—50 Heinsius ad Ovid. Fast. IV. 912. pro *exuuntque* rescribi vult *eruuntque*, quia agitur de saxis ad viam sternendam effossis.—51 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ, *trabesque cædunt*. Idem Heinsius ex Parmensi *trabesque levant*, (ita enim scribendam esse hanc vocem, non *lævant*, cum sit a Græca λεῖος, dicit Burmannus,) quod ex Rom. ante notaverat Gronovius Diatr. cap. 40. et ex sua vet. Lindenbrogius.—53 Idem Heinsius ad Ovid. Fast. II. 24. pro *sordido* legit *torrido;* quod valde probat

NOTÆ

46 *Dubium cubile*] Instabile solum, ac mobile, nec firmum.

47 *Umbonibus hinc et hinc coactis*] Hic sumo 'umbones' pro marginibus ex utraque parte viæ, et secundum ejus longitudinem ductis; hi enim ex majoribus saxis construebantur, quæ simul ligabantur et compingebantur crebris fibulis sive uncis ferreis clavorum instar, ut totum opus firmius esset. Hique via paululum altiores erant, ut illam sustinerent, stabilemque tenerent: unde 'umbones' dicti; nam 'umbo' quicquid prominet.

48 *Et crebris iter alligare gomphis*] Γόμφος Græce, Latine *clavus* proprie. Gomphos ferreas fibulas seu uncos interpretatur idem Bergerius lib. VI. et hanc interpretationem secutus sum. Quidam per 'gomphos' intelligunt juncturam seu compagem lignorum vel saxorum; unde γομφοῦν est *compingere*. Hic ergo *crebris gomphis*, est pro crebra magnorum saxorum junctura aut compage, intervallis quibusdam structa, ut totum opus firmius jungatur ac cohæreat. Vocant Gallice *jambages*.

50 *Exuuntque montes*] Arboribus scilicet. Multa enim materies cædenda erat, ut solum molle et facile cedens frequentibus fistucationibus solidaretur. Solum primo foditur, exinaniturque et palis ustulatis configitur, sublicæque machinis adiguntur quam creberrimæ, et carbonibus explentur intervalla palorum. Illud autem in his locis humidis et palustribus multoties fieri debebat, ac præsertim etiam, cum pons, ut hic, supra fluvium construendus erat, ut et hodie videmus fieri; unde mirum non est, si dicat Papinius montes sylvis exutos.

52 *Ligant*] Calce.

53 *Cocto pulvere*] Coctus pulvis, calx. *Topho*] Tophus genus lapidis,

Hi siccant bibulas manu lacunas,
Et longe fluvios agunt minores.
Hæ possent et Athon cavare dextræ,
Et mœstum pelagus gementis Helles
Intercludere ponte non natanti.
His parvus, Lecheo nihil vetante,
Inous freta miscuisset Isthmos.

repellunt procul exiguos amnes. Hæ manus possent et perfodere Athon montem, et jungere duo littora maris dolentis Helles solido ponte. Per has manus angustus Isthmos (nihil Lechæum prohiberet) confudisset simul Ægeum et Ionium mare.

Marklandus, qui conj. etiam, *lurido topho.*—56 *Hæ possunt et aton* Parm. *Hæ possent et aton* Rom.—59 *His parvus* (*nisi deviæ vetarent*) *&c.* codd. vett. Domitii ; unde ille fecit : *nisi Lechiæ vetarent ;* Scaligerus : *nisi Cenchreæ vetarent ;* Meursius : *nisi res novæ vetassent ;* Alciatus : *nisi Deliæ vetarent*, subintellecta voce 'sortes.' Turnebus : *His palmis, nisi Delius vetaret ;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et Gevart. trajectis verbis : *Lechiæ nisi vetarent ;* Gronovius : *His parvus* (*Lechiæ nihil vetarent*) *&c.* Barth. *Lechiæ nihil vetarint, &c.* Heins. in Advers. lib. IV. cap. 2. p. 567. *His par vix* (*Lechiæ nihil vetarent*) *&c.* vel : *His impar;* vel : *Vix par his*, improbante Markl. qui denique tentabat : *His parvus, Lecheo nihil vetante ;* et ita edidit nisi quod pro *Lecheo* habet *Lechio.* Pro *vetarent*, ut in aliis edd. Parmensis exhibet, *nata-*

NOTÆ

qui facile in arenam resolvitur. *Sordidus* dicitur, quia humidus et sordibus tectus. Ex calce autem sabulo tophoque immixta fiebat glutinum tenacissimum.

54 *Lacunas*] Lacuna, fossa, inquit Servius, in qua aqua stare consuevit. Unde *bibulas* dicit Poëta.

56 *Hæ possent et Athon cavare dextræ*] Alludit ad opera Xerxis Persarum regis, qui Athon Macedoniæ montem perfodit, transnavigavitque, et fecit pervium freto navigabili, fossa facta longitudine mille et quingentorum passuum, ea latitudine, ut duas naves contrarias exciperet.

57 *Et mœstum pelagus gementis Helles Intercludere ponte non natanti*] Idem Xerxes junxit Asiam Europæ, facto ponte navibus supra Hellespontum. Juvenalis de Xerxe : 'Creditur olim Velificatus Athos—contractum classibus isdem Suppositumque rotis solidum mare.' Majus aliquid fecit Caligula, qui, ut Suetonius refert, contabulavit medium intervallum Baiarum usque Puteolos trium millium et sexcentorum passuum fere, ea solum de causa, quod Thrasyllus mathematicus, anxio de successore Tiberio, et in verum nepotem proniori, affirmasset, non magis Caium imperaturum, quam per Baianum sinum equis discursurum. *Gementis Helles*] Vel sub navium pondere ac mole. Vel innuitur quod fecit Xerxes, qui tempestate ac fluctibus disjecto ponte, jussit trecenta verbera Neptuno infligi, et compedes jaci. Juvenalis : 'Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum.' Vide Herodotum, Justinum, aliosque scriptores.

59 *His parvus, Lecheo nihil vetante* [*Lechiæ nihil vetarent*], *Inous freta miscuisset Isthmos*] Mens est : Domitianum his manibus perfodere posse

Fervent littora, mobilesque sylvæ;
It longus medias fragor per urbes:
Atque echo simul hinc et inde fractam
Gauro Massicus uvifer remittit.
Miratur sonitum quieta Cyme,
Et Literna palus, pigerque Savo.
At flavum caput, humidumque late
Crinem mollibus impeditus ulvis

Ripæ et ingentia nemora æstuant. Longus sonitus percurrit media oppida, et Massicus vitium ferax repercutit ad montem Gaurum echo hinc et hinc perruptam. Tranquillæ Cumæ, et palus Linterna, lentusque Savo mirantur fragorem. Verum Vulturnus habens flavum caput et madidum capillum late involutum teneris ulvis,

rent.—61 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. et Grasser. *nobilesque sylvæ;* Heinsius ad Ovid. Fast. II. 24. e Parmensi legit *mobilesque*, quod revocavit Markl.—62 *Et longus* Parm.—63 *Atque Echon* in eadem.—65 Pro *Cyme*, Domitii codd. *Grine;* Parm. *cyrne.*—66 Nic. Heinsius ad Sil. Ital. VI. 654. et ad Ovid. Met. XV. 714. legendum esse docet *Literna;* non *Linterna*, ut in Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. quia Græcis est Λείτερνον, non Λίντερνον. Et ita Cluver. Ital. lib. IV. cap. 2. Pro *Savo*, codd. Domitii Calderini habebant *Sason;* unde ille fecit vulgatam.—68 Pro *ulmis*, quod exhibent edd. vett. Eust. Sivartius Analect. II. 2. legit *ulvis*, quod primus in

NOTÆ

Isthmum, ac miscere duo maria, Ionium scilicet et Ægæum, nec obstare posse Lechias rupes, quæ tot principes deterruerunt ab hoc opere, ut Demetrium regem, Cæsarem dictatorem, Caligulum, ac Neronem, qui has angustias perfodere conati sunt. *Lechiæ*] Rupes altissima, qua clauditur Isthmus ab Occidente, et quæ spectat Corinthiacum sinum. *Inous freta*] Intelligit Ionium hinc, et Ægæum illinc mare, quibus Isthmos Corinthiacus alluitur. *Inous*] Quia Ino imperavit Corintho, quæ dedit nomen Corinthiaco Isthmo. *Isthmos*] Angustiæ, quibus Hellas seu Græcia jungitur Peloponneso, ut jam sæpius diximus.

64 *Gauro*] Mons Campaniæ Gaurus, ut supra diximus, vitibus amictus. *Massicus uvifer*] Massicus mons ejusdem Campaniæ Gauro vicinus optimi vini ferax, quod hinc 'Massicum' vocatur.

65 *Cyme*] Cyme eadem quæ Cuma seu Cumæ. *Quieta*] Sic Cumæ vocantur Juvenali 'vacuæ,' id est, otiosæ et liberæ a curis.

66 *Linterna*] Linterna palus in Campania. Hodie, *Lago della patria. Savo*] Savo fluvius in finibus Campaniæ. *Piger*] Quia placide ac lente fluit. Sic 'segnem' Ararim vocat Lucanus. Mentionem vero horum locorum facit Papinius, quia hæc vel viæ Domitianæ adjacebant, vel ei proxima erant.

67 *Flavum*] Ob juncos et ulvas.

68 *Ulvis*] Sic Theb. IX. de Ismeno: 'Et nexa virentibus ulvis Cornua concutiens.' Ovidius de Rheno: 'Viridi mare tectus ab ulva.'

69 *Vulturnus*] Vulturnus fluvius Campaniæ, qui interfluit Venafrum

Vulturnus levat ora, maximoque
Pontis Cæsarei reclinis arcu
Raucis talia faucibus redundat:
CAMPORUM bone conditor meorum,
Qui me vallibus aviis refusum
Et ripas habitare nescientem
Recti legibus alvei ligasti:
Et nunc ille ego turbidus minaxque,
Vix passus dubias prius carinas,
Jam pontem fero, perviusque calcor;
Qui terras rapere, et rotare sylvas
Assueram (pudet), Amnis esse cœpi:
Et grates ago, servitusque tanti est,

attollit vultum, et innixus maximo fornici pontis Cæsaris, effudit hæc verba incurvo ore: Optime cônditor meorum agrorum, qui me astrinxisti legibus recti fluenti, prius restagnantem in inaccessis vallibus, et nescientem contineri intra ripas: et ego, qui prius eram turbidus feroxque, et qui vix patiebar periclitantes naves, jam fero pontem, et pervius calcor. Qui solitus eram auferre terram et avellere nemora, (erubesco,) fluvius esse cœpi. Sed repressus ago gratias, et tanti est, quod coactus

textum recepit Barthius. *Crinem collibus* in Parm.—71 *Pandis talia, &c.* edd. vett. *Paucis* Parm. unde Heinsius ad Ovid. Met. xv. 397. conj. *Raucis.* Marklandus tentabat, *Blandis;* sed Heinsii conjecturam in contextum, ut verissimam, intulit.—74 *In ripis* Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii.—76 *At nunc* Turnebus in ora codicis sui notarat, vel, *En nunc;* quod ultimum approbat Morellus. Pro *turbidus minaxque* Heins. ad Ovid. Fast. I. legit: *turbidus minarum.* 'Alio ordine hos quinque versus (76-80.) exhibet Rom. sed mendose.' *Markl.*—81 *Sed grates ago servitusque tanti est* codd. Politiani, cum

NOTÆ

ac mediam Campaniam, alluit Capuam ac Vulturnum oppidum, et infunditur in mare inferum.

70 *Pontis Cæsarei*] Pontem etiam supra Vulturnum construi curarat Domitianus.

71 *Raucis* [*pandis*] Id est, incurvis, quià ostia amnium fere incurva et sinuosa. *Redundat*] Ob aquas compressas. Inducit Poëta Vulturnum gratias agentem principi, quod se intra legitimum alveum contraxerit, ac pati pontem jusserit.

72 *Camporum conditor meorum*] Quia ante non erant campi, sed cœnum late occupabat agros. Supra: 'Hic cœnis populi vias gravantes.'

73 *Qui me vallibus aviis refusum Et ripas habitare nescientem Recti legibus alvei ligasti*] Constructa enim et munita via, fluvius non effundebatur ex alveo in subjectas valles, sed rectum cursum tenere cogebatur.

76 *Turbidus*] Cœno agrorum. *Minaxque*] Nam inundabat sæpe subjectos agros.

78 *Pervius*] Ponte scilicet.

80 *Amnis esse cœpi*] Id est, non amplius exundo, sed intra alveum me contineo, ut amnes solent.

Quod sub te duce, te jubente, cessi;
Quod tu maximus arbiter, meæque
Victor perpetuus legere ripæ.
Et nunc limite me colis beato,
Nec sordere sinis, malumque late
Deterges sterilis soli pudorem;
Nec me pulvereum, gravemque cœno
Tyrrheni sinus obruet profundi,
(Qualis Cinyphius tacente ripa,

in ordinem fui sub te principe, et tuo jussu, quod tu legeris maximus dominus, et æternus domitor mei littoris. Et nunc decoras me pulchra via, nec permittis me squalere, et exsiccas dedecus infœcundæ terræ, ne sinus maris Tyrrheni sorbeat me pulvere et cœno repletum, qualis Libycus Bagrada serpit silenti littore per Africæ

Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et Gevart. &c. *Sed grates ago structus quia tanti est* Parm. et Rom. *Sed grates ago strictus atque tanti est* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, probante Gronovio Diatr. cap. 40. et firmat ex versu 75. *Et grates ago* Marklandus.—82 Parmensis omittit priorem *te;* Romana et vet. Lindenbrogii *jam jubente* exhibent; non, *nunc jubente,* quemadmodum scribi voluit Gronovius.—87 Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *sterilis soli putorem;* Turnebus correxit *pudorem;* et sic est in Parm. et ita ediderunt Gevart. Gronov. Barth. et recentiores.—88 *Ne me* edd. vett. *Nec me* Marklandus ex conjectura: et sic Venet. 1.—89 Idem pro *obruat,* quod habent Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. edidit *obruet;* Venet. 1. *obruit.*—90 Nonnulli

NOTÆ

81 *Et* [*Sed*] *grates ago, servitusque tanti est*] Ita Aldina editio. Sed Romanus et Venetus codex habent: *Sed grates ago strictus, atque tanti est.* Pro verbo *strictus* facit quod dicit supra: 'Qui me vallibus aviis refusum Et ripas habitare nescientem Recti legibus alvei ligasti.' Et Theb. I. 'Et Thetis arentes assuetum stringere ripas Horruit ingenti venientem Ismenon acervo.' Et Lucanus: 'Nec ripis alligat amnem.' Nempe 'ligare' supra hic, quod ibi 'stringere.' Ego amnis strictus, legibus ligatus, etiam grates ago: atque tanti est, seu magni æstimo, tibi cessisse.

82 *Quod sub te duce, te jubente, cessi*] Romanus codex *te* alterius loco, *nunc* habet; *Quod sub te duce, nunc jubente, cessi.*

84 *Victor*] Quidam codices, *Vinctor,* et respondet τῷ *strictus. Legere*] In inscriptione scilicet arcus triumphalis constructi in aditu viæ Domitianæ. Infra: 'Hujus janua, prosperumque limen Arcus, belligeri ducis tropæis Et totis Ligurum nitens metallis.'

86 *Malumque late Deterges sterilis soli pudorem*] Vulturno enim extra suum alveum exundante, agri fiebant steriles. Itaque Domitianus, cum restrinxit eum in alveum, bene dicitur detersisse malum pudorem seu dedecus sterilis soli, reddita ei fertilitate, abactis aquis.

89 *Tyrrheni sinus profundi*] Intelligit Sinum Baianum, partem Tyrrheni maris, in quem Vulturnus influit.

Pœnos Bagrada serpit inter agros;)
Sed talis ferar, ut nitente cursu
Tranquillum mare proximumque possim
Puro gurgite provocare Lirim.
Hæc Amnis: pariterque se levabat
Ingenti plaga marmorata dorso:
Hujus janua, prosperumque limen
Arcus, belligeri Ducis tropæis

campos; sed talis fluam, ut possim nitido cursu et limpidis aquis contendere cum quieto mari et vicino Lyri. Hæc fluvius ait, et via marmore strata per extensum dorsum pariter erexerat se. Hujus viæ porta et auspicatus aditus, arcus est fulgens

---

jacente ripa.—91 *Pœnos Bagadra* Rom. quod reposuit Lindenbrogius.—94 *Duro gurgite* Parm.—95 Venet. 1. Parm. Rom. vet. Lindenbrogii, Til. et Cruc. *levabat;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Gronov.

NOTÆ

90 *Cinyphius*] Id est, Libycus, a Cinyphe fluvio Libyæ seu Africæ. *Tacente ripa*] Quia fluit lente Bagrada, nec obstrepit aquis. Lucanus lib. IV. 'Primaque castra locat cano procul æquore, qua se Bagrada lentus agit siccæ sulcator arenæ.'

91 *Pœnos agros*] Id est, Africanos, a Pœnis seu Carthaginiensibus. *Bagrada*] Nunc *Megrada* Castaldo, maximus Africæ minoris fluvius, ex Numidia, vulgo, *Biledulgerid*, haud procul infra desertum Thebesse ortus, longo cursu latus in Mare Mediterraneum juxta Uticam seu Portum farinæ se exonerat. Strabo scribit eum inundare proximas regiones, et æstuaria facere, quo lux huic loco Silii lib. VI. 'Turbidus arentes lento pede sulcat arenas Bagrada, non ullo Libycis in fontibus amne Victus limosas extendere latius undas, Et stagnante vado patulos involvere campos.'

94 *Puro gurgite*] Puro alveo, vel puris aquis. *Provocare*] Quasi in certamen. *Lyrim*] Lyris fluvius Campaniæ ortus in Apennino et agro Vestino præter Fragellas, mox prætérlapsus Minturnas, receptoque Tibreno, prope Tiphanum in sinum Formianum effunditur: Clanis olim etiam vocatus. Hodie, *Garigliano* dicitur. Hujus aquas frigidissimas dicit Cicero.

95 *Hæc Amnis*] Supple dixit. *Se levabat*] Ad agendas etiam gratias principi.

96 *Plaga marmorata*] Domitiana via marmoribus strata.

97 *Hujus*] Viæ.

98 *Arcus, belligeri Ducis tropæis*] Ad initium enim hujus viæ arcus triumphalis marmoreus erectus erat in honorem Domitiani, occurrebatque ingredienti hanc viam ex Appia. Triumphalis arcus a Senatu populoque Romano erigi solitus Imperatoribus, qui vias militares muniendas curaverant, aut repaverant, quique pontes, portusque, ac alia ædificata publica construxerant, ut discimus ex Dione Cassio, qui lib. LIII. refert duos arcus Triumphales honori Cæsaris Augusti erectos, in memoriam operum quæ per Flaminiam viam a Roma Arimi-

Et totis Ligurum nitens metallis,
Quantus nubila qui coronat imbri.
Illic flectitur exitus viarum;
Illic Appia se dolet relinqui.
Tunc velocior acriorque cursus,
Tunc ipsos juvat impetus jugales.
Ceu fessis ubi remigum lacertis
Primæ, carbasa ventilatis, auræ.

tropæis bellicosi imperatoris, et totis fodinis Ligurum, par illi, qui circumdat nubes pluvia. Illic divertit invitatus viator. Illic via Appia queritur deseri. Tunc citatior vehementiorque cursus: tunc ipsi equi sponte accelerant, ut cum cessantibus remigum brachiis, primi flatus vela impletis. Ergo agite cuncti populi in Oriente,

et Barth. *levarat*. Alterum revocabat Markl.—99 Hunc et duos sequentes versus ita legit Heinsius Not. in Auctor. Carminis de Phœnice, qui Claudiano subjungitur, p. 913. *Et totis Ligurum nitet metallis Quantus nubila quo coronat Iris. Illic flectitur exitus viarum.* In secundo et tertio versu Heinsio assentitur Marklandus. Memoriæ vero falsus fuit Heinsius cum existimaret vulgatam Statii lectionem fuisse: *Quantus nubila qui coronat arcus.* Rom. et vet. Lindenbrogii, *Quantis.* Pro *exitus viarum* omnes edd. ante Marklandum habent *excitus viator*, præter Venet. 1. in qua est *exitus viator.*—106 *Prima carbasa ventilantur aura* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Primæ carbasa ventilantis auræ* codd. Domitii, Parm. et Rhod. *Primæ carbasa ventilatis auræ*

NOTÆ

num usque restituerat, unum Romæ, alterum Arimini. Cujus etiam moris fidem faciunt tot inscriptiones apud Gruterum aliosque, in quibus nomina Vespasiani, Domitiani, Trajani, multorumque imperatorum leguntur. Nec solum arcus erecti, sed etiam nummi a Senatu populoque Romano eorum honori percussi, ut videtur in quibusdam Augusti et Trajani nummis, ob vias munitas. Nescio vero an hujus arcus Domitiano erecti adhuc extent vestigia.

99 *Ligurum metallis*] Plures enim fodinæ marmoris erant in Liguria, et maxime in Alpibus, ut docet Plinius lib. XXXVI. in Proœmio : 'Nunc ipsæ Alpes cæduntur in mille genera marmorum.' Ligures autem populi Italiæ, quorum regio majori sui parte montibus assurgens, Macro fluvio ab Etruria, Varo a Gallia dividitur, ab altero latere Padum amnem, ab altero Apenninum habens, et Liguria dicitur ; mare vero quod ejus oram alluit, Ligusticum. Hodie, *Riviera di Genoa.*

100 *Quantus nubila qui coronat imbri*] Tantus, ait, ille est arcus triumphalis, quantus iris seu arcus cœlestis. *Nubila coronat imbri*] Cum enim arcus cœlestis pingitur in nubibus, signum est futuræ pluviæ.

101 *Exitus* [*excitus viator*] Visendi studio, et viæ commoditate.

102 *Illic Appia se dolet relinqui*] Nam ad hunc arcum via Appia relinquebatur.

103 *Velocior acriorque*] Ob facilitatem viæ.

106 *Primæ, carbasa ventilatis, auræ*] Per Apostrophen.

Ergo omnes, age, quæ sub axe primo
Romani colitis fidem parentis,
Prono limite commeate gentes.
Eoæ citius venite laurus;
Nil obstat cupidis, nihil moratur.
Qui primo Tyberim reliquit ortu,
Primo vespere navigat Lucrinum.
Sed quam fine viæ recentis imo,
Qua monstrat veteres Apollo Cumas,
Albam crinibus infulisque cerno?
Visu fallimur? an sacris ab antris

qui revereremini fidem parentis Romani, advenite via facili. Laureæ orientales velocius accedite; nihil obstat vestræ cupiditati; nihil retardat vos. Ille, qui sub ortum solis Roma discedit, primo vespere navigat Lucrinum. Sed quæ illa est, canitie et albis infulis venerabilis, quam video in imo novæ viæ limite, qua Apollo

Salisb. et Excerpta Lindenbrogii apud Gronovium, qui sic edidit.—112. 113 Hos versus uncinis inclusit Marklandus, certus, ut ait, eos non esse hujus loci, aut ullo modo cum præcedentibus aut subsequentibus connectendos.—

NOTÆ

107 *Axe primo*] Id est, Oriente.

108 *Romani parentis*] Sic 'Latius parens' in pluribus Sylvarum locis.

110 *Eoæ laurus*] Intelligit victorias reportatas de populis Eois, seu Orientalibus. Et tangit morem, quo nuntiaturi res bene gestas non solum cum tabellis laureatis, sed etiam summis hastis lauro vestitis adveniebant. Dicit ergo, eos qui nuntiabunt victorias de populis Orientalibus relatas, citius venturos, cum via tam sit facilis. Eoas autem laurus seu Orientales designat, quia solus Oriens debellandus erat, jam victis Septemtrione et Occidente. XVII. Consulatu Germanici: 'Restat Bactra novis, restat Babylona tributis Frænari, nondum gremio Jovis Indica laurus: Nondum Arabes Seresque parent.'

112 *Tyberim*] Romam, quam per Tyberim designat.

113 *Lucrinum*] Intelligit lacum Lucrinum in Campania prope Puteolos.

114 *Sed quam*] Inducit Cumanam Sibyllam in fine viæ Domitianæ apparentem, et immortalem gloriam Imperatori promittentem ac vaticinantem. *Viæ recentis*] Domitianæ.

115 *Apollo*] Templum Apollinis. *Veteres Cumas*] Cumæ enim urbs antiquissima.

116 *Albam crinibus infulisque cerno*] Sibyllam Cumanam notat, quæ et vetustissima, et infulis candidis caput cincta, ut Apollinis sacerdos. Th. IV. 217. 'Albaque puniceas interplicat infula cristas.' Loquitur de Amphiarao Apollinis antistite.

117 *Sacris ab antris*] Sibyllæ Cumanæ antrum erat prope Cumas. *Sacris*] Quia Sibylla sacerdos.

Profert Chalcidicas Sibylla laurus?
Cedamus; chely, jam repone cantus;
Vates sanctior incipit: tacendum est.
En! et colla rotat, novisque late
Bacchatur spatiis, viamque replet.
Tunc sic virgineo profatur ore:
Dicebam, veniet (manete campi,
Atque amnis) veniet, favente cœlo,
Qui fœdum nemus et putres arenas
Celsis pontibus et via levabit.
En! hic est Deus; hunc jubet beatis
Pro se Jupiter imperare terris:
Quo non dignior has subit habenas,
Ex quo, me duce, præscios Averni
Æneas, avide futura quærens,
Lucos et penetravit et reliquit.

ostendit antiquas Cumas? Decipiunturne oculi? An Sibylla emigrat e sanctis speluncis, proferens laurus Chalcidicas? Cedamus cithura. Jam dimitte carmina. Vates sanctior orditur: silendum est. En jactat cervicem, et late bacchatur per novam aream, et replet viam. Tunc sic loquitur virgineo ore: Veniet, aiebam, (expectate agri, amnisque,) veniet, annuente cœlo, qui tollet turpem sylvam et sordidas arenas altis aggeribus et strata lapidibus via. Ecce hic Deus est, de quo loquebar. Jupiter jubet hunc dominari pro se felici orbi; quo nullus dignior hoc imperium rexit, ex quo tempore Æneas scrutans cupide res venturas subiit ac dese-

114 Pro *imo* nonnulli codd. *uno.*—130 Barthius scribendum putat: *subIt*

NOTÆ

118 *Chalcidicas*] Cumanas, quia Cumani a Chalcidensibus orti. *Sibylla*] Cumana. Plures enim fuerunt. Vide Epithal. Stellæ vs. 177. *Laurus*] Gestabat laurum, ut Apollinis sacerdos, cui laurus sacra.

119 *Cedamus; chely, &c.*] Alloquitur citharam suam Papinius.

120 *Sanctior*] Nobis.

121 *En! et colla rotat*] Ut facere solent, qui furere incipiunt. Vide initio Æneid. VI. de eadem Sibylla.

122 *Viamque replet*] Nimirum, dum furens huc et illuc agitur.

123 *Virgineo*] Quia Sibylla virgo.

124 *Campi*] Qui estis cœno repleti.

125 *Amnis*] Vulturne.

126 *Fœdum nemus*] Ob juncos herbasque palustres ibi ortas. *Et putres arenas*] Intelligit cœnum, quo campi obruti erant.

128 *Deus*] Domitianum designat, qui se Deum volebat appellari. *Beatis*] Eo regnante scilicet.

131 *Ex quo, me duce, præscios Averni Æneas, avide futura quærens, Lucos et penetravit et reliquit*] Tangit hic descensum Æneæ in Inferos duce Sibylla, per Averni fauces. Fabula nota ex Æn. VI. *Averni*] Avernum

Hic paci bonus, hic timendus armis,
Natura melior potentiorque.
Hic si flammiferos teneret axes,
Largis, India, nubibus maderes,
Undaret Libye, teperet Æmus.
Salve, dux hominum, et parens Deorum,
Prævisum mihi cognitumque numen.
Nec jam putribus evoluta chartis
Solenni prece Quindecim virorum
Perlustra mea dicta; sed canentem
Ipsam cominus (ut mereris) audi:

ruit, me duce, præsagos lucos. Hic in pace bonus, et in bello metuendus, natura melior validiorque. Hic si potiretur stellatis cœlis, India humectaretur copiosis imbribus, Africa haberet aquas, Hæmus caleret. Salve princeps mortalium, et pater Deorum, cujus numen prævidi et cognovi. Nec nunc exquire mea verba evoluta solennibus precibus Quindecimvirum in mucidis chartis, sed audi me ipsam propius

habenas.—137 Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. et Grasser. *maderet*; codd. Rhod. Salisb. et Barth. cum Parm. *maderes*, quod revocavit Markl.—134 *Et paci bonus et timendus armis* legit Adrianus Turnebus, probante Barthio.—139 ' Mallem : *Salve Dux hominum, parens Deorum*, omissa

NOTÆ

sic describit Virgilius ibidem : 'Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu, Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris : Quam super haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis : talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat : Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum.' *Lucos*] Quia Avernus nemoribus cingebatur. *Præscii* dicuntur ob vicinitatem antri Sibyllæ, quæ vates erat. *Penetravit*] Descendendo ad Inferos. *Reliquit*] Redeundo ad superas auras.

134 *Hic*] Domitianus.

136 *Flammiferos axes*] Cœlum.

137 *Maderes* [*maderet*] Rhod. et Salisb. codices habent *maderes*. *India*] Regio ad Orientem spectans.

138 *Libye*] Africa. *Hæmus*] Mons Thraciæ.

139 *Parens Deorum*] Filius Domitiani, qui infans extinctus est, inter Deos relatus fuerat.

140 *Prævisum mihi cognitumque numen*] Equo Domitiani : 'Salve magnorum proles genitorque Deorum, Auditum longe numen mihi.'

141 *Nec jam putribus evoluta chartis Solenni prece Quindecim virorum Perlustra mea dicta*] Librorum Sibyllinorum custodia demandata fuit Quindecimviris, nihilque magni momenti, domi seu foris, pace seu bello agebatur, nisi his inspectis. Et hoc Pontifex Maximus faciebat, Magistro collegii Quindecimvirum solennibus quibusdam precibus præeunte. *Putribus chartis*] Quia hæ chartæ vetustissimæ erant, et rancidæ. *Perlustra*] Quia Domitianus summus Pontifex erat.

144 *Ipsam*] Sibyllam. *Cominus*] Prope et sine interprete.

Vidi quam seriem morantis ævi
Pronectant tibi candidæ sorores:
Magnus te manet ordo sæculorum:
Natis longior abnepotibusque,
Annos perpetua geres juventa,
Quot fertur placidos obisse Nestor,
Quot Tithonia computat senectus,
Et quantos ego Delium poposci.
Juravit tibi jam nivalis Arctos;
Nunc magnos Oriens dabit triumphos.
Ibis qua vagus Hercules et Evan,

canentem, ut dignus ès. Vidi quem numerum longorum annorum albæ sorores tibi nent. Ingens series sæculorum te expectat. Superabis ætate natos et abnepotes, et vives in perpetua juventute annos, quos Nestor proditur tranquille egisse, quos Tithoni senectus numerat, et quot ego ab Apolline petii. Jam nivosus Septemtrio juravit in tuas leges. Nunc Oriens præbebit ingentes triumphos. Vades, qua errabundus Hercules et Bacchus ierunt, ultra plagas ubi astra et igneus sol oriuntur,

conjunctione *et*, quæ ingratam versui moram injicit.' *Markl.*—145 Pro *morantis* Parm. et vet. Lindenbrogii habent *merentis.*—146 Parm. *Provectant.* —150 *Quos fertur placidus odisse Nestor* Parm. *Quos fertur placidos obisse* Rom. Aldd. Colin. et Gryph. Mutavit Marklandus.—151 *Quos Tithonia competat* Rom. *Quos Tithonia computat* Venett. Parm. Aldd. Colin. et Gryph.

NOTÆ

145 *Morantis*] Quia lentius fluet pro te tempus.

146 *Candidæ sorores*] Parcæ, quæ vellera alba felicibus nere dicuntur. Vide Epithal. Stellæ vs. 24. Noster alibi: ‘ Atropos alba.’

148 *Natis longior abnepotibusque*] Id est, ultra quartam generationem.

152 *Et quantos ego Delium poposci*] Hoc ipsa Sibylla fuse explicat apud Ovid. Met. XIV. seqnentibus versibus: ‘ Lux æterna mihi, cariturаque fine dabatur, Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti. Dum tamen hanc sperat,dum præcorrumpere donis Me cupit: Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes; Optatis potiere tuis. Ego pulveris hausti Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulvis, Tot mihi natales contingere vana rogavi.’ *Delium*] Apollinem in Delo natum.

153 *Juravit*] In verba tua, victis Sauromatis ac Dacis populis Septemtrionalibus. *Nivalis Arctos*] Septemtrio. *Nivalis*] Ob nives, quibus per totum fere annum hi tractus teguntur.

154 *Nunc magnos Oriens dabit triumphos*] Cum viceris Babylona, et Bactra, Serasque, qui restant subigendi.

155 *Ibis qua vagus Hercules*] Hercules enim dicitur peragrasse plerasque terræ partes, ut monstra tyrannosque extingueret. Et in Indiam usque penetravit, auctoribus Curtio et Plinio. *Evan*] Seu Bacchus pervenisse dicitur ad extremos Orientis terminos, ac subegisse Indos, cete-

Ultra sidera, flammeumque solem,
Et Nili caput, et nives Atlantis:
Et laudum cumulo beatus omni
Scandes belliger, abnuesque currus:
Donec Troicus ignis, et renatæ
Tarpeius Pater intonabit aulæ;
Hæc donec via, te regente terras,

et ultra fontem Nili et nives Atlantis. Et cumulatus omni laudum genere, triumphator ascendes et abnues currus; donec erit Trojanus ignis, et Tarpeius pater reædificati Capitolii tonabit; donec hæc via, te gubernante orbem, plus senescat

Hoc etiam mutavit Marklandus.—159 Edd. vett. *Scandes belliger obviosque currus;* Parmensis habet: *obviusque;* Salisb. *abimesque;* Venet. 2. *annuesque;* quod amplexus est Heins. ad Sil. Ital. VI. 545. *abnuesque* Gronovius. *Belligeros piosque currus* Turnebus Advers. lib. XX. cap. 32.—160 Venet. 1. *Troicus;* Heins. Burm. alii malint *Troius,* ut exhibet eadem Venet. 1. I. Sylv. 1. 35.

NOTÆ

rasque gentes orientales.

156 *Ultra sidera, flammeumque solem*] Imitatur Virgilium: 'Ultra anni solisque vias.'

157 *Nili caput*] Quod huc usque incognitum erat. *Nives Atlantis*] Atlas mons Africæ altissimus, perpetuis nivibus etiam æstate opertus. Hunc, teste Plinio, Suetonius Paulinus, qui consul fuit, primus Romanorum ducum transgressus est aliquot millium spatio, decumisque eo castris pervenit, et ultra ad fluvium, qui Niger vocatur.

159 *Scandes belliger, abnuesque [obviosque] currus*] Corrigit Turnebus: *belligeros piosque currus.* Laudem fortitudinis ac clementiæ tribuendo Imperatori. Pavillonius ex Cruceo corrigit. *Obvius*] Obvius enim est civilis, comisque, ut apud Plinium lib. I. Ep. 10. de Euphrate Philosopho: 'Est,' ait, 'obvius et expositus, plenusque humanitate.' Codex Venetus: *annuesque.* Quod optimum potest censeri, et sic explicari: *Scandes currus* triumphales, *annuesque* precibus senatus toties scandere, quoties tibi vincere contigerit. Sed Gronovius mavult, *abnues.* Id est, noles triumphare, cum possis jure. Unde Martialis: 'Sæpe recusatos parcus duxisse triumphos.' Et Noster in Lacrymis Etrusci laudat manum, quæ 'Sauromatas non erat dignata triumpho.' Inde et in XVII. Consulatu: 'Tantum permitte triumphos.'

160 *Troicus ignis*] Intelligit ignem æternum Vestalium. Equo Domitiani: 'An tacita vigilet face Troicus ignis.' Vide ibidem. *Renatæ*] Denuo ædificatæ, ut 'templa renata' alibi.

161 *Tarpeius Pater*] Jupiter Capitolinus seu Tonans, *Tarpeius* dictus, quia in monte Tarpeio, seu Capitolino, templum habebat superbissimum. Qui quidem mons Tarpeius vocatus fuit a Tarpeia Virgine Vestali, quæ arcem Capitolinam Sabinis prodidit, quæque ab ipsis in proditionis præmium scutis obruta, nomen monti dedit, qui prius 'Saturnius' dicebatur.

162 *Hæc via*] Domitiana.

Annosa magis Appia senescat.

quam longæva Appia.

NOTÆ

163 *Annosa*] Nam Appia erat vetustissima.

IV. AD VICTORIUM MARCELLUM † EPISTOLA.

Hac Epistola hortatur Marcellum ut paululum studia intermittat ac otio fruatur.

Curre per Euboicos non segnis, epistola, campos;
Hac ingressa vias, qua nobilis Appia crescit
In latus, et molles solidus premit agger arenas.
Atque ubi Romuleas velox penetraveris arces,
Continuo dextras flavi pete Tybridis oras,

Epistola curre cito per Euboicos agros, illac capiens iter, qua via celebris Appia erigitur in latus, et agger solidus premit molles arenas. Et cum velox subieris muros Romuli, continuo pete dextrum marginem cærulei Tybridis, qua

Edd. vett. *Ad Marcellum;* Parm. cum Salisb. *Ad Victorium Marcellum;* Rhod. *Ad Victorium Marcellum Epistola;* et ita dederunt Gronov. Barth.

NOTÆ

† *Victorium Marcellum*] Est hic ipse cui Quintilianus Institutiones suas dicavit. Lib. I. 'Quod opus, Marcelle Victori, tibi dicamus.' Lib. V. 'Hæc, Marcelle Victori, ex tua voluntate maxime ingressus.' Eidem Papinius hunc librum quartum suarum Sylvarum inscripsit.

1 *Curre*] Alloquitur Poëta Epistolam suam. *Euboicos*] Cumanos seu Neapolitanos. Cumani enim et Neapolitani ab Eubœa profecti.

2 *Nobilis Appia*] Vocat 'reginam viarum' in Surrentino vs. 12. et Onuphrius omnium maximam et laudatissimam.

3 *In latus*] Addita scilicet via Domitiana. *Solidus agger*] Via lapidibus strata, quia eminentior reliquo solo, *Agger* vocabatur: unde 'agger publicus' et via publica unum idemque scriptoribus. Ammianus lib. XIX. 'Ubi lux excanduit tertia, morarum impatiens, percursis aggeribus publicis, Succos, nemine auso resistere, præsidiis occupavit.' Alibi vocat 'aggerem itinerarium.' Sidonius Apollinaris: 'Antiquus tibi nec teratur agger; Cujus per spatium satis vetustis Nomen Cæsareum nitet columnis.' Sic apud Flodoardum lib. V. S. Gibrianus dicitur sepultus juxta 'aggerem publicum,' id est, juxta viam publicam: sepulcra enim ex more juxta vias publicas constructa.

4 *Romuleas arces*] Urbem Romam, a Romulo conditore.

5 *Flavi Tybridis*] Tyberis fluvius Romam præterfluens. *Flavi*] Flavi dicuntur fluvii ob juncos, ulvasque. Sic super. libello 'flavum caput Vulturni' dixit.

Lydia qua penitus stagnum navale coërcet
Ripa, suburbanisque vadum prætexitur hortis.
Illic egregium formaque animisque videbis
Marcellum, et celso præsignem vertice nosces.
Cui primum solito vulgi de more salutem,
Mox inclusa modis hæc reddere verba memento:
JAM terras volucremque polum fuga veris aquosi
Laxat, et Icariis cœlum latratibus urit:
Ardua jam densæ rarescunt mœnia Romæ.
Hos Præneste sacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuscula protegit umbra:

Lydium littus penitus coarctat navalem lacum, et amnis prætenditur suburbanis hortis. Illic cernes Marcellum eximium forma et animo, et agnosces illum conspicuum sublimi statura. Quem primum salutabis vulgari more. Mox recordare hæc verba in hunc modum ei referre. Discessus veris pluviosi jam solvit tellurem et cœlum volubile, et torret aërem latranti canicula. Alti muri densæ Romæ jam vacuantur. Hos sanctum Præneste, hos frigida Dianæ sylva, aut rigens Algidus, aut umbra Tuscula defendit a calore. Hi quæ-

Veen. et Delph.—10 *Quoi primam* Parmensis, antiquo more. *primam* habent etiam Venet. 1. et Rom.—13 'Non sequimur Adrianum Behottium, *Lassat*

NOTÆ

6 *Lydia*] Quia Lydi seu Tyrrheni oram occidentalem Tyberis accolebant. Vide Epith. Stellæ vs. 190. *Stagnum navale*] Naumachiam Domitiani intelligit, cujus et meminit Suetonius. Hujus adhuc aliqua creduntur extare vestigia post Sylvestri fanum, inter Flaminiam viam, et Pincianum collem, vinetis cooperta. Veterem Naumachiam Augustus construxit circa Tyberim cavato solo, ut discimus ex Julio Frontino de Aquæ ductibus urbis Romæ lib. I. Erat in quarta-decima urbis regione, quæ Transtyberina est. In iis Naumachiis navalis prælii spectacula dabantur.

7 *Vadum*] Naumachiæ. *Hortis*] Veteri Naumachiæ horti etiam subjacebant, ut testatur Frontinus ibidem et Strabo.

10 *Solito vulgi de more salutem*] Ave, seu χαῖρε. Et supple, Dabis, seu Avere jube.

13 *Icariis latratibus*] Intelligit sidus caniculæ, in quam Poëtis conversa dicitur fuisse canis Erigones filiæ Icarii. Vide Theb. IV. 692. Noster Tiburtino: 'Illum nec calido latravit Sirius ostro.' Claudianus: 'Gravidis allatrat Sirius uvis.' *Urit*] Diebus enim canicularibus æstus maximus esse solet.

15 *Præneste*] Præneste urbs Latii haud procul Roma. *Sacrum*] Ob oracula et sortes. Vide Tiburtinum Manlii vs. 80. *Nemus glaciale Dianæ*] Intelligit Nemus Aricinum prope Romam. *Glaciale*] Ob frigidum aërem. *Dianæ*] Quia hoc nemus sacrum erat Dianæ, in quo ei dicatum templum. Vide Hercul. Surrent. vs. 55.

16 *Algidus aut horrens*] Algidus

Tiburis hi lucos, Anienaque frigora captant.
Te quoque clamosæ quænam plaga mitior urbi
Subtrahit? æstivos quo decipis aëre soles?
Quid, tuus ante omnes, tua cura potissima Gallus,
Nec non noster amor, (dubium morumne probandus
Ingeniine bonis,) Latiis æstivat in oris?
Anne metalliferæ repetit jam mœnia Lunæ
Tyrrhenasque domos? quod si tibi proximus hæret,
Non ego nunc vestro procul a sermone recedo:
Certum est: inde sonus geminas mihi circuit aures.

runt saltus Tyburis, et frigora Anieni. At quænam est lenior regio, quæ te subducit a strepenti civitate? qua aura mitigas æstivos calores? Quid tuus Gallus, tua præ ceteris maxima cura, necnon nostræ deliciæ, (æque laudandus morum ac ingenii dotibus,) transigitne æstatem in Latio? Anne redit Lunam, quæ fert marmora, et ad ædes Tyrrhenas? Quod si una estis, non ego longe absum a vestris sermonibus. Hoc certum est. Hinc tinniunt mihi duæ aures. Tu igitur, dum terribilis juba

reducere molientem Apoph. lib. I. cap. 1.' *Barth.*—22 *Ingeniive* Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Ingeniine* ex ingenio suo edidit Marklandus.—26 Parmensis: *Certum est, unde, &c.* ceteræ omnes, *inde.*

NOTÆ

mons Latii haud longe ab urbe Roma, in quo est Algidum oppidum, ab aëris algore sic dictum. Nunc *Roca del Papa* vocatur ex veteris situs descriptione apud Volaterranum. Item nemus in Latio, vulgo, *Selva del' Aglio.* Horatius: 'Quicumque aut gelida prominet Algido.' *Aut Tuscula protegit umbra*] Tuscula, a Tusculo oppido Latii, condito a Telegono. Vide Tiburt. vs. 83.

17 *Tiburis hi lucos, &c.*] Tibur oppidum juxta Romam. Vide Villam Tiburt. vs. 1. In hæc autem loca, quorum hic mentionem facit Poëta, secedere soliti Romani æstivo tempore, et per gravissimos calores, ob aërem frigidum et temperatum. *Aniena*] Anien, seu Anio, fluvius Latii. Vide Villam Tiburt. vs. 1.

18 *Clamosæ*] Horatius: 'Omitte mirari Fumum et opes strepitumque Romæ.' *Urbi*] Romæ. Sic Atheni-enses Athenas vocabant ἄστυ, id est, *urbem.*

23 *Metalliferæ Lunæ*] Luna, urbs Etruriæ marmoris fodinis nota, ut jam diximus.

24 *Tyrrhenasque domos*] Etruriam, a Tyrrhenis incolis.

26 *Certum est*] Epiphonema in omine læto, ut καρτερόν ἐστι, νημερτὲς, κάρτα. *Inde sonus geminas mihi circuit aures*] Tangit hic veterum superstitionem, quæ etiam nunc viget, qua putabant aures tinnire et resonare iis, de quibus alibi sermo fiebat. Vetus Poëta inter Catalecta Virgilii: 'Garrula quid totis resonas mihi noctibus auris, Nescio, quem dicis nunc meminisse mei. Hic quis sit quæris? resonant tibi noctibus aures? Et resonant totis? Delia te loquitur.' Aristænetus lib. II. Epist. 13. Οὐκ ἐβόμβει σοι τὰ ὦτα, ὅτε σου μετὰ δακρύων ἐμεμνήμην; *Nonne tinniebant tibi au-*

Sed tu, dum nimio possessa Hyperione flagrat
Torva Cleonæi juba sideris, exue curis
Pectus, et assiduo temet furare labori.
Et sontes operit pharetras, arcumque rètendit
Parthus; et Eleos auriga, laboribus actis,
Alpheo permulcet equos: et nostra fatiscit
Laxaturque chelys: vires instigat, alitque

signi Cleonæi ardet occupata nimio sole, amove curas animo, et te surripe continuo studio. Et Parthus condit theca venenatas sagittas, et laxat arcum, et auriga refovet in Alpheo flumine equos defunctos laboribus ludorum Eleorum. Nostra quoque cithara lassatur, et solvitur. Quies opportuna recreat, et fovet vires: major

—31 *Elæis auriga laboribus actos* Venet. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ. Marklandus correxit: *Eleos auriga laboribus actis*, vel *Eleis auriga laboribus actis*; sed prius verum putat.—32 *Alpheos permulcet equos* Parmensis.—37 Edd. vett. omnes *flam-*

NOTÆ

res, quando cum lacrymis mentionem tui facerem? Sappho: βομβεῦσιν δ' ἀκοαί μοι. Quod Catullus convertit: *Sonitu suopte tintinant aures.* Vide Plinium et Lucianum 'Εταίρ. 14. Supercilii subsultationem inter omina etiam retulerunt veteres, rerum vel minimarum superstitiosi observatores.

27 *Dum nimio possessa Hyperione flagrat Torva Cleonæi juba sideris*] Id est, dum sol est in signo leonis, qui ille esse dicitur, quem Hercules occidit in Nemea Sylva prope Cleonas, unde 'Clæoneus leo' dictus est, et in cœlum receptus. Quo tempore calor major est. Unde *flagrare* dicit Poëta. *Hyperione*] Id est, sole, qui Poëtis Hyperion vocatur. Vide Tiburtin. Maulii vs. 6. Ausonius: 'Sirius ardentem non augeat igne leonem.' Nam et mense Julio, quo sol est in signo leonis, canicula seu Sirius oritur. Unde semper Leo et canicula a Poëtis junguntur, ut hic. Supra: 'Et Icariis cœlum latratibus urit.' Et Tiburtino: 'Illum nec calido latravit Sirius astro Nec gravis aspexit Nemees frondentis alumnus.'

30 *Et sontes operit pharetras, arcumque retendit Parthus*] Imitatus est hunc locum Papinii in Cynegetico Nemesianus: 'Imbellemque fugam referam, clausasque pharetras Parthorum, laxosque arcus, et spicula muta.' Alludit vero Poëta ad thecas, quibus arma includi solebant, ubi a bello requiescebant. Cæsar lib. II. de Bello Civili: 'Meridiano tempore cum alius discessisset, alius ex diuturno labore in ipsis operibus quieti se dedisset, arma vero omnium reposita contectaque essent.'

31 *Eleos* [*Elæis*] *laboribus*] Per labores Elæos intelligit ludos curules in honorem Jovis celebrari solitos quinto quoque anno apud Olympiam in Elide, et juxta Alpheum fluvium, ut sæpius diximus.

32 *Alpheo permulcet equos*] Abluendo scilicet eos in Alpheo fluvio, fatigatos laboribus, quos in ludis sustinuerunt.

33 *Vires instigat alitque Tempestiva*

Tempestiva quies: major post otia virtus.
Talis cantata Briseide venit Achilles
Acrior, et positis erupit in Hectora plectris.
Te quoque flammabit tacite repetita parumper
Desidia, et solitos novus exultabis in actus.
Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges,

post otium virtus. Sic Achilles redit acrior post cantatam Briseida, et irruit in Hectorem dimisso pectine. Te quoque repetitum parumper otium mire accendet, et novus exultabis ad solitos actus. Nunc certe Latinæ leges non strepunt litibus. Et



mabit tacite; Marklandus suspicabatur *Marcelli* nomen latere sub his syllabis: *mabit tacite re;* et Statium scripsisse: *Te quoque flammabit, Marcelle, petita parumper.*—38 Editiones omnes etiam: *et solidos.* Correxit Barthius, ejusque correctionem sibi arrogat Marklandus. Pro *novus*

NOTÆ

quies; major post otia virtus] Seneca cap. ult. de Tranquillitate Vitæ: 'Danda est remissio animis: meliores acrioresque requieti surgent. Ut fertilibus agris non est imperandum; cito enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas; ita animorum impetus assiduus labor frangit. Vires recipiunt paulum resoluti, et remissi. Nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quædam et languor.' Et Seneca Rhetor Controv. lib. I. 'Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare: excitatur enim otio vigor.' Est tamen monitum veteris auctoris, arcum studii sapientiæ ἀνέσει, id est, *remissione*, solvendum non esse, ut Laërtius refert Epigrammate in Theophr. Οὐκ ἄρα τοῦτο μάταιον ἔπος μερόπων τινὶ λέχθη, 'Ρήγνυσθαι σοφίης τόξον ἀνιέμενον. *Certe non hoc vane dictum est a quodam: Rumpitur arcus sapientiæ remissus.*

35 *Cantata Briseide*] Hippodamia, Briseis vocata a patre Brise, in divisione prædæ facta inter duces Græcos, Achilli obvenerat. Agamemnon autem coactus Chryseida patri Chrysæ reddere, illam Achilli eripuit: unde gravi simultate inter eos orta, Achilles intra tentorium se continuit, nec induci potuit, ut arma sumeret, licet Trojani magnis cladibus Græcos afficerent. Reddita tandem Briseide, et occiso ab Hectore Patroclo, Achilles ad vindictam excitatus est, sumtisque armis Hectorem interfecit. *Cantata*] Lyra scilicet, quam optime pulsabat Achilles, ut videbimus in Achilleide. *Achilles*] Pelei filius et fortissimus Græcorum.

36 *Hectora*] Hector filius Priami, Trojanorum fortissimus.

37 *Flammabit tacite repetita parumper Desidia*] Sic supra: 'Major post otia virtus.' *Desidia*] Hic *desidia* sumitur in bono sensu pro honesto otio, seu pro remissione laboris, qua vires reparantur.

38 *Solitos*] Legunt aliqui, *solidos. Novus*] Restauratis viribus.

39 *Jam Latiæ*] Romanæ. *Non miscent jurgia leges*] Tertullianus: 'Jura non conturbo.' Ob ferias scilicet et rerum judicandarum vacationem, ut loquitur Seneca in Apocolocynthosi.

Et pacem piger annus habet; messesque reversæ
Dimisere forum: nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulive rogant exire clientes.
Cessat Centeni moderatrix Judicis hasta,
Qua tibi sublimi jam nunc celeberrima fama
Eminet, et juvenes facundia præterit annos.
Felix curarum! cui non Heliconia cordi
Serta, nec imbelles Parnasi e vertice laurus:
Sed viget ingenium, et magnos accinctus in usus
Fert animus quascumque vices: nos otia miti
Solamur cantu, ventosaque gaudia famæ
Quærimus. En egomet somnum, et geniale secutus

segnis annus captat quietem, et redeuntes messes clauserunt forum. Nec turba reorum est in tuo vestibulo, et queruli clientes petunt dimitti. Hasta judicialis Centumvirum otiatur, ubi tua eloquentia jam nunc notissima ingenti fama enitet, et superat juvenilem ætatem. Felix studiis, cui coronæ Heliconiæ non placent, nec inertes laurus e jugo Parnassi! sed ingenium viget, et animus expeditus ad magnos usus, sustinet quamcumque mutationem. Nos mulcemus carmine desidiosam vitam, et captamus gaudia ventosæ famæ. En egomet sectatus quietem, et voluptuosam

Parmensis habet *vomis.*—48 Parm. *accingit in visus.*—49 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ: *otia vitæ.*—Lectio nostra est ex ingenio Marklandi.—51 Rom. et vet. Linden-

NOTÆ

40 *Pacem*] Inducias litium, ut dicit Plautus. *Piger annus*] Id est, tempus anni, quo feriæ erant, propter maximos æstatis calores. *Messesque reversæ Dimisere forum*] Quia feriæ dabantur ob messes, et vindemias, ut ex jure colligitur. De æstivis messium feriis Gellius lib. IX. Plinius lib. VIII. Ep. 21. 'Julio mense,' inquit, 'maxime lites interquiescunt.' De feriis vero vindemiarum vide Epistolam S. Cypriani ad Donatum initio. Vide et Lampridium in Heliogabalo, et Paulum Diaconum Longob. lib. III. cap. 6.

43 *Cessat Centeni moderatrix Judicis hasta*] Intelligit centumviralem hastam. *Centeni Judicis*, Id est, Centumvirum. Vide Soter. Rutilii vs. 24.

46 *Heliconia Serta*] Id est, coronæ quæ dabantur Poëtis, qui vicerant in ludis Gymnicis. *Cordi*] Innuit Papinius, Marcellum non exercuisse artem poëticam, sed totum se dedisse eloquentiæ. Eloquentissimum enim fuisse Marcellum patet ex Institutionibus Quintiliani.

47 *Imbelles*] Id est, pacificæ, non clamosæ, nec turbulentæ, ut exercitationes forenses, et judiciales. *Parnasi*] Parnassus mons Phocidis, Musis et Apollini sacer.

49 *Fert animus quascumque vices*] Aptus est ad omnia tam civilia quam bellica munia. Infra: 'Ausonias ibis frænare cohortes.'

50 *Ventosaque*] Id est, quæ nihil habent solidi; fluxa, caduca.

51 *Geniale*] Vel, natale. Quia Genius nativitati cujusque præesse cre-

Littus, ubi Ausonio se condidit hospita portu
Parthenope, tenues ignavo pollice chordas
Pulso, Maroneique sedens in margine templi
Sumo animum, et magni tumulis adcanto magistri:
At tu, si longi cursum dabit Atropos ævi,
(Detque, precor,) Latiique ducis si numina pergent,
(Quem tibi posthabito studium est coluisse Tonante,
Quique tuos alio subtexit munere fasces,
Et spatia antiquæ mandat renovare Latinæ,)

oram, ubi advena Parthenope recepit se in portum Ausonium, percutio ignavo pollice tenues chordas, et sedens in limine templi Virgilii sumo ejus animum, et cano prope sepulcrum ingentis magistri. At tu, si Atropos indulget tibi longam annorum seriem, (indulgeatque oro,) et sic continuet numen principis Romani tibi gratificari, quem præ Jove colis, quique addit aliud munus tuis fascibus, et tibi committit

brogii *somno geniale*, omisso τῷ *et*.—57 Edd. vett. *Detque precor Latiique ducis sic numina pergant.* 'Præcessit: *At tu, si longi cursum dabit Atropos ævi;* unde patet hic quoque legendum: (*Detque precor!*) *Latiique Ducis si numina pergent, Forsitan, &c.* tribus mediis versibus parenthesi inclusis.' *Markl.*—60 *Et spatia obliquæ* edd. vett. *Et spatia antiquæ* sola Romana. Nonnulli codd.

NOTÆ

debatur, vel voluptuosum, quia Neapolitani genio admodum indulgebant. Sic 'genialiaque arva Canopi' Ovidio Amor. lib. II. Eleg. 13. Eidem 'festum geniale,' Fast. III. 'Annæ festum geniale Perennæ.' Et 'festum genialiter agere' Met. XI. de Bacchi sacris.

52 *Ausonio*] Italo.

53 *Parthenope*] Neapolim enim condidisse tradunt Parthenopen Eumeli filiam, nomenque dedisse huic urbi. *Ignavo*] Supra: 'Imbelles Parnassi e vertice lauros.'

54 *Maronei*] Id est, Virgiliani. Ossa enim Virgilii Brundusio, ubi obierat, Neapolim translata sunt, ac condita tumulo, qui est Via Puteolana intra secundum lapidem. *Templi*] Id est, sepulcri. Templum hic generalius sumitur, ut jam monuimus. Illud sepulcrum, ut templum adire solebat Silius Italicus, teste Plinio juniore lib. III. Ep. 7.

55 *Magistri*] Virgilii, quem sibi imitandum proposuerat Statius.

56 *Atropos*] Atropos, una ex Parcis.

58 *Posthabito Tonante*] Sic Equo Domitiani: 'Contemto Phœbo.'

59 *Quique tuos alio subtexit munere fasces*] Itaque Marcellus aliquem magistratum, cui jus erat fascium, gerebat. Fasces enim nostro designant magistratum.

60 *Et spatia antiquæ mandat renovare Latinæ*] Cura viarum publicarum non committebatur nisi summis viris. Hinc Domitianus declaravit quanti Marcellum faceret, illi mandando curam viæ Latinæ. Unde Plinius Epist. lib. V. gratulatur Cornuto de eo munere: 'Recesseram jam in municipium; cum mihi nuntiatum est Cornutum Tertullum accepisse Æmiliæ viæ curam. Expri-

Forsitan Ausonias ibis frænare cohortes,
Aut Rheni populos, aut nigræ littora Thules,
Aut Istrum servare latus, metuendave portæ
Limina Caspiacæ: nec enim tibi sola potentis
Eloquii virtus; sunt membra accommoda bellis,
Quique gravem tardi subeant thoraca lacerti.
Seu campo pedes ire paras, est agmina supra
Nutaturus apex: seu fræna sonantia flectes,

reparandam viam Latinam, forsitan reges Romanos exercitus, aut gentes Rheni, aut ripas caligantis Thules, aut defendes oram Dunubii, et formidabiles portas Caspias. Nec enim tibi sunt solæ dotes efficacis facundiæ; sunt artus apti ad bellum, et brachia, quæ induant gravem loricam. Seu velis pedes in campo incedere, apex tuæ galeæ eminet supra copias: seu regas crepitantes habenas, acer equus obsequetur

revocare Latinæ.—62 Parmensis: *littora tiles.*—66 *Quique gravem tardi* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Quique gravem tarde* Parm. et Rom. *Quique gravem haud tarde*, vel *intarde* conj. Barthius, improbante Marklando, qui

NOTÆ

mere non possum quanto sim gaudio affectus, et ipsius, et meo nomine.' Noster infra ad Plotium: ' Te Germanicus arbitrum sequenti Annonæ dedit, omniumque late Præfecit stationibus viarum.' Et in lapidibus passim inter alios honores insculptum ' Curatori viarum,' aut plurimum, Curatori Viæ Appiæ, Salariæ, &c. Olim Censores vias curabant. Postea quatuor viri instituti, ' Viocuri,' dicti Varroni, additique duo ' Seviri.' Hæc munera perpetua fecit Augustus. Quatuorviri curabant vias urbis; curatores eas, quæ extra muros. Et curatores erant digniores, quia in vias illas grandes extra urbem sumtus et moles major. Vide Lipsium ad Taciti Annal. III. Ceterum Via Latina initium habebat a porta ejusdem nominis, et per Ferentum oppidum, Algidum nemus, Frusinum, Fabrateriam urbes ad Casinum ducta, ibi Appiæ conjungebatur. A Capua 19. stadiis distabat. Media erat inter Valeriam et Appiam, et modo Ausonia et modo Latina a Martiali dicitur. *Antiquæ*] Quia viarum publicarum antiquissima. Gronovii codex habet *obliquæ*, quia non recta erat, sed obliqua.

61 *Ausonias*] Romanas.

62 *Rheni*] Rhenus Europæ fluvius Galliam a Germania dividens. *Nigræ Thules*] Vide Eclogam ad uxorem vs. 20.

63 *Istrum*] Ister, alio nomine Danubius, fluvius Hungariæ. Vide Theb. I. 19. *Metuenda*] Ob inundationem barbararum nationum, quæ illac transeunt e Scythia in Persiam et Asiam minorem. *Portæ Caspiacæ*] Portæ Caspiacæ, nunc *Demir Capi*, seu ferreæ portæ, vocantur, sunt fauces angustæ prope Mare Caspium, qua e Scythia iter in Armeniam, Persiam, et Asiam Minorem est. Vide Theb. VIII. 292.

66 *Tardi*] Ob crassitudinem scilicet, qua ægre subeunt thoracem.

68 *Apex*] Galeæ scilicet crista.

Serviet asper equus. Nos facta aliena canendo
Vergimur in senium: propriis tu pulcher in armis
Ipse canenda geres, patriæque exempla parabis.
Magna pater, dignosque etiamnum belliger actus
Poscit avus, præstatque domi novisse triumphos.
Surge agedum, juvenemque puer deprende parentem,
Stemmate materno felix, virtute paterna.
Jam te blanda sinu Tyrio sibi Curia felix
Educat, et cunctas gaudet spondere curules.
Hæc ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam
Littoribus, fractas ubi Vesbius erigit iras,
Æmula Trinacriis volvens incendia flammis.

tibi. Nos celebrando gesta aliorum tendimus in senectutem. Tu conspicuus in propriis armis ipse ages celebranda, et præparabis exempla patriæ. Geres magna, et strenuus avus efflagitat a te digna facinora: et utile est videre domi triumphos. Cresce agedum, et puer æqua juvenem parentem, beatus materno genere, paterna virtute. Jam blanda gloria educat sibi te felicem in purpureo gremio, et læta tibi promittit omnes curules. Ego hæc scribebam ad te, Marcelle, ex oris Chalcidicis, ubi Vesuvius impellit erumpentem furorem, rotans flammas imitantes Trinacriæ

pro *tardi* malit *validi*, vel etiam *fortes*.—72. 73 Parmensis habet: *Magna getæ dignos quem jam nunc belliger actus Noscit avos;* Romana: *Magna gente es dignus quem jam belliger actus Noscit avus;* et ita ed. vet. Lindenbrogii; Aldd. Colin. Gryph. &c. *Magna geres, dignosque etiamnum belliger actus Poscit avus.* Lectio nostra debetur Marklando, qui pro *dignosque* mallet etiam, *magnosque;* et mox: *veterisque domus renovare triumphos.*—76 *Tyrio sibi gloria* edd. vett. Correxit Marklandus.—79 *Vesuvius eggerit iras* Ald. 1. Gronovius Diatr. cap.

NOTÆ

73 *Avus*] Vir triumphalis. *Præstatque domi novisse triumphos*] Non major ad virtutem stimulus, quam præclara majorum facta.

74 *Deprende*] Imitando scilicet.

75 *Stemmate*] Stemma proprie nobilium, qui jus imaginum habebant; notatque hic Marcellum ex latere materno nobiliorem esse, quam ex paterno.

76 *Sinu Tyrio*] Id est, purpureo; et intelligit vel prætextam, vel latum clavum, quæ vestis Senatoria.

77 *Curules*] Summos magistratus. Nam qui gerebant summas Reip. dignitates, sellis curulibus sedebant.

78 *Chalcidicis*] Neapolitanis.

79 *Vesbius*] Vesbius contracte pro Vesuvius. *Erigit* [*egerit*] Romanus, Venetusque codex, *erigit iras;* quod melius quibusdam, imitatione Virgilii, qui de Ætna: 'Interdum scopulos, avulsaque viscera montis Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras Cum gemitu glomerat.' Silius Italicus lib. II. 'Erigit atro Undantem fumo rogus alta ad sidera nubem.'

80 *Trinacriis flammis*] Id est, Siculis, et Ætnæ flammas intelligit. Sicilia enim dicta Trinacria a tribus promontoriis, quæ ἄκρα Græce dicuntur.

Mira fides! credetne virum ventura propago,
Cum segetes iterum, cum jam hæc deserta virebunt,
Infra urbes populosque premi, proavitaque toto
Rura abiisse mari? nec dum letale minari
Cessat apex: procul ista tuis, Tifata, Teate,
Nec Marrucinos agat hæc insania montes.
Nunc si forte meis quæ sint exordia Musis

ignes. Res creditu difficilis. Futurane posteritas credet, cum denuo sata orientur, cum hæc inculta loca jam virebunt, obrutas esse infra civitates et gentes? ac agros majorum adjacentes mari periisse? Necdum ejus cacumen desinit minari quid mortiferum. Longe sint ista a Tiphata et Theate, tuis villis; nec sic sæviant Marrucini montes. Nunc si forte velis noscere quid agant meæ Musæ, jam Thebais

41. ex Rom. et Venet. 2. legit, *erigit iras*; et sic etiam in Parm.—84 *Rura deesse* Venet. 1. et Florent. Gronovii. Hunc locum corruptissimum putat Markl.—85 Venet. 1. *procul ista tuos infata reate*; Parm. *procul ista tuo sint futa theano*, vel *teano*; et sic legit Heins. in Advers. lib. III. cap. 12. p. 487. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *procul ista tuis, Tifata, Teate*; nec quicquam mutandum censet Gevartius Papin. Lect. IV. 7. Alii legunt: *procul ista tuis sint fata, Teate.* In Domitii codd. erat *tumfata*, unde ille fecit *Tifata.* Marklandus legi jussit: *procul ista tibi sint fata Teate.*—92

NOTÆ

83 *Proavitaque toto Rura abiisse mari*] *Proavita rura* dicit respectu futuræ posteritatis, quæ ipsa, quæ rura avita possidebit, vix credet ita periisse. Ms. Florentinus: *Rura deesse mari.* Sensus utriusque lectionis est hic, ut optime notat Gronovius: Mirabitur, ait, posteritas, et vix credet, omnia illa *proavita rura*, quæ tunc forte restituta erunt, et arabuntur, mari Vesuvioque adjacentia, periisse, abiisse, invisa nostro hoc sæculo facta esse. Martialis de iisdem: 'Cuncta jacent flammis, et tristi mersa favilla.' *Abiisse*] Sic utitur Seneca Medea: 'Mecum omnia abeant: trahere, cum pereas, libet.'

85 *Apex*] Vesuvii scilicet. *Tifata*] Tifata, locus prope Capuam, de quo Festus et Livius. In Latio collocat Tifata Plinius. *Teate*] Teate oppidum Marrucinorum in Italia. Hodie *Tieti* dicitur. His in locis prædia habebat Marcellus.

86 *Nec Marrucinos montes*] Marrucini populi Italiæ, quos Plinius collocat inter Ferentanos et Vestinos. Illic prædia habebat Marcellus; ideo optat Poëta, ut montes Marrucini non emittant flammas ac incendia, ut Vesuvius. Et sane agri Marrucini possessi a Vectio Marcello (forte is nostri pater) mentionem facit Plinius lib. XVII. cap. 27. et memorabile quid de iis refert: 'Super omnia,' inquit, 'quæ unquam audita sunt, etiam prodigium in nostro ævo Neronis principis, ruina factum in agro Marrucino Vectii Marcelli e primis equestris ordinis, oliveto universo viam publicam transgresso, arvisque inde a contrario in locum oliveti profectis.'

87 *Quæ sint exordia Musis*] Id est, quid jam meditentur Musæ meæ, quid componant.

Scire petis, jam Sidonios emensa labores
Thebais optato collegit carbasa portu:
Parnasique jugis, sylvaque Heliconide festis
Thura dedit flammis, et virginis exta juvencæ,
Votiferaque meas suspendit ab arbore vittas.
Nunc vacuos crines alio subit infula nexu:
Troja quidem, magnusque mihi tentatur Achilles;

defuncta opera Sidonia contrahit vela in petito portu, et in cacuminibus Parnassi, et in nemore Heliconio obtulit thura, et exta intactæ juvencæ, et suspendit promissas vittas ab arbore. Nunc alia infula nectit vacuas meas comas. Troja sane et in-

Pomiferaque Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Votiferaque* ex codd. manuscripto restituit Bernartius, et illustravit Gevart. Papin. Lect. IV. 7. idque habent Sen. et Venet. 1. Vide Syllog. Epist. Tom. v. p. 536. *Doniferaque* conj. Barthius.—93 Venet. 1. *Nunc alios crines.*—94 Rom. et ed. vet.

NOTÆ

88 *Sidonios*] Thebanos.

89 *Thebais optato collegit carbasa portu*] Innuit se absolvisse Thebaida, metaphora sumta a nautis, qui cum ad portum appulerunt, vela colligunt. Sic sub finem Thebaidos: 'Et mea jam longo meruit ratis æquore portum.'

90 *Parnasique jugis, sylvaque Heliconide festis Thura dedit flammis, et virginis exta juvencæ*] Tangit morem, quo artifices, absolutis operibus, sacra facere Diis solebant, in quorum tutela erant artes, quas profitebantur. Sic Papinius thure ac sacrificata virgine juvenca grates agit Musis et Apollini de absoluta Thebaide. *Jugis*] Quia Parnassus habebat duo cacumina, ut alibi diximus. *Flammis, et virginis exta juvencæ*] Quia exta victimæ flammis adolebant. Theb. I. 'Lustraliaque exta Lacte novo perfusus edet Vulcanius ignis.'

92 *Votiferaque meas suspendit ab arbore vittas*] Solebant etiam homines cujusvis ordinis et artis, absoluto opere, instrumenta sua Diis, in quorum tutela erant, consecrare; sic Poëtæ vittas suas ac laurus Apollini vovebant, eique ex arbore suspendebant. Ita et pastores fistulas suas Pani consecrabant. Tibullus lib. II. El. 5. 'Pendebatque vagi pastoris in arbore votum, Garrula sylvestri fistula sacra Deo.' Ita et Tragœdi larvas suas Baccho, emeriti milites Marti, gladiatores rude donati Herculi gladios suos suspendebant, ut eleganter observavit Joannes Meursius lib. II. Mantissæ suæ ad librum de luxu Romanorum.

93 *Vacuos crines*] Vacuos, depositis scilicet vittis, et ab arbore votifera suspensis. *Alio nexu*] Nempe ob susceptam a Poëta Achilleidem. Achill. I. 'Da fontes mihi, Phœbe, novos, ac fronde secunda Necte comam.'

94 *Troja quidem, magnusque mihi tentatur Achilles*] In Achilleide sibi proponebat Poëta describere totam vitam Achillis, et quæ ad Trojam usque ad suam mortem gesserat, ut innuit initio libri primi Achill. 'Nos ire per omnem (Sic amor est) heroa velis, Scyroque latentem Dulichia proferre tuba; nec in Hectore tracto Sistere, sed tota juvenem deducere Troja.' Hujusce operis tantum duos

Sed vocat arcitenens alio pater, armaque monstrat
Ausonii majora ducis: trahit impetus illo
Jam pridem, retrahitque timor: stabuntne sub illa
Mole humeri? an magno vincetür pondere cervix?
Dic, Marcelle, feram? fluctus an sueta minores
Nosse ratis, nondum Ioniis credenda periclis?
Jamque vale, et penitus noti tibi vatis amorem
Corde exire veta: nec enim Tirynthius almæ

gens Achilles a me præluditur; at Apollo me ciet alio, et ostendit illustriora arma principis Romani: jamdudum animus illo me rapit, at metus me revocat. Humerine mei firmi erunt sub tanto onere? an collum curvabitur sub ingenti pondere? Dic, Marcelle, sustineam? an navis, quæ tantum experta est minores undas, committenda sit procellis Ionii maris. Et jam vale, et prohibe, ne amicitia, qua dignaris Poëtum tibi probe cognitum, discedat e tuo corde. Nec enim Hercules, si

Lindenbrogii: *cantatur Achilles.*—99 *Dic Marcelle ferat fluctus adsueta* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Dic Marcelle feram* Venet. 1. Parm. et Rom. et ita conjecerat Gruterus in schedis. Pro *adsueta* Marklandus edidit *an sueta* ex conjectura Gruteri.—101 Venet. 1. *voti tibi vatis honorem;* Gronov. et Barth. *voti tibi vatis amorem;* Parm. *noti tibi vatis honorem;* ceteræ edd. *noti tibi vatis amorem.*—102 'Citra controversiam scripsit Statius: *nec enim retinentius.* Laudat enim a fide erga se Marcellum, etiam insequentibus versibus. Ita emendavit Hugo Grotius, referente Gevartio, qui omissis salebris claram hanc gemmam recipere debebat.' *Barth.* Markl. tentabat:

NOTÆ

libros absolvit Papinius. *Tentatur*] Alludit eo Poëta Achilleidis initio: 'Magnusque tibi præludit Achilles.'

95 *Arcitenens pater*] Apollo, cujus proprium epithetum *Arcitenens. Alio*] Id est, ad canendas res gestas Domitiani.

96 *Majora*] Facinoribus Achillis. *Trahit impetus illo Jam pridem, retrahitque timor*] Innuit Poëta, et summo desiderio teneri decantandi res gestas Imperatoris, sed deterreri difficultate operis.

97 *Stabuntne sub illa Mole humeri*] Metaphora sumta a bajulis qui humeris magna onera ferunt: in humeris enim præcipuum robur corporis. Unde Sesostris apud Herodotum, volens indicare se animo viribusque corporis regionem aliquam subegisse, suis statuis, quas in quaque regione domita erigi sibi curabat, insculpi jussit hæc verba: 'Εγὼ τήνδε τὴν χώραν ὤμοῖσι τοῖς ἐμοῖς ἐκτησάμην. *Hanc regionem humeris meis subegi.*

99 *Fluctus an sueta minores Nosse ratis, nondum Ioniis credenda periclis*] Innuit per *fluctus minores* Thebaidem et Achilleidem, et per *Ionia pericula*, res gestas Imperatoris, qui tantum eminet supra Achillem et Thebanos duces, quantum Ionium mare præstat fluvio. *Ioniis periclis*] Ionium enim mare gravissimis tempestatibus obnoxium est. De Ionio mari vide Theb. I. 14.

102 *Nec enim Tirynthius almæ Pectus amicitiæ*] Subauditur, est, quod frequenter omittit Papinius. Sic in Pietate Abascantii: 'In eodem an-

Pectus amicitiæ: cedit tibi gloria fidi
Theseos, et lacerum qui circa mœnia Trojæ
Priamidem, cæso solatia traxit amico.

tecum conferatur, erit exemplum almæ amicitiæ. Gloria fidi Thesei tibi cedit, et illius, qui raptavit circa muros Trojæ discerptum Hectorem Priami filium, in solatium doloris, quem recipiebat morte occisi amici.

mihi enim Tirynthius, almæ Pectus amicitiæ, cedit, &c. vel: *mihi enim Tirynthius alma Victus amicitia cedit;* Cruceus vero: *nec enim te rectius almæ, &c.*

NOTÆ

gusta phaselus Æquore.' Supple, est. Sic alibi: 'Expositi census, et docto fruendi temperies.' Nempe, sunt tibi. Nec hic locus absolute intelligendus est, sed comparate accipiendus. Ait enim Poëta tantam esse inter se et Marcellum amicitiam, ut si Hercules cum ipso compararetur, amplius amicitiæ exemplum non sit futurus. Notandum est enim apud antiquos maxime celebrari tria amicorum paria, Herculis et Telamonis, Thesei et Pirithoi, Achillis et Patrocli, quæ hic recenset Poëta. Adde Pyladis et Orestis, Tydei et Polynicis. Eleganter autem dixit *pectus amicitiæ* pro amico. Sic Martialis lib. IX. Epig. 15. In fictos amicos: 'Hunc, quem cœna tibi, quem mensa paravit amicum, Esse putas fidæ pectus amicitiæ?' Manilius Astron. II. 'Quo circa nihil ex se natura creavit Pectore amicitiæ majus, nec rarius unquam. Unus erat Pylades, unus qui mallet Orestes Ipse mori.' Est enim religionis et fidei sedes in pectore. Seneca de Benef. lib. VI. cap. 34. 'In pectore amicus, non in atrio. Hic recipiendus est, illic retinendus, et in sensum recondendus.' Symmachus lib. IV. Epist. 42. 'Nostra caritas adyto pectorum recondatur.'

103 *Cedit tibi gloria fidi Theseos, et lacerum qui circa mœnia Trojæ Priamidem, cæso solatia traxit amico*] De Theseo vide quæ diximus Theb. I. de Achille vide initio lib. I. Achilleid. *Qui*] Id est, Achilles. *Lacerum circa mœnia Trojæ Priamidem*] Tangit fabulam, qua dicitur Achilles corpus Hectoris trajectis per calcaneos loris currui alligasse, ac traxisse ter circa Trojæ mœnia. *Priamidem*] Hectorem Priami filium. *Cæso amico*] Patroclo occiso ab Hectore.

V. LYRICUM† AD SEPTIMIUM SEVERUM.‡

Eloquentiam in Septimio probitati junctam, et pacis studium in eo commendat.

PARVI beatus ruris honoribus,

Felix honorifico dono exiguæ villæ, sitæ qua Alba antiqua veneratur Trojanos

† *Lyricum ad Sep. Severum* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Carmen Lyricum* Parm. *Carmen Lyricum ad Septimum Severum* Marklandus. *Serenum* legeret

Qua prisca Teucros Alba colit lares,
Fortem atque facundum Severum
Non solitis fidibus saluto.
Jam trux ad Arctos Parrhasias hyems
Concessit altis obruta solibus:

Penates, impertio salutem, non usitato carmine, magnanimo et eloquenti Severo. Jam gravis hyems expulsa alto sole commigravit ad Arctos Parrhasias. Jam mare

NOTÆ

† *Lyricum*] Supple, carmen.

‡ *Septimium Severum*] Gens Septimia apud Romanos primum regia, deinde plebeia, postremo consularis fuit, et patricia. In primis enim invenitur Septimius Mesius Æquicolarum rex. Inde in variis marmorum inscriptionibus leguntur ordinis militaris viri: 'T. Septimius Felicissimus Cohortis 2. et L. Flavius L. F. Septimius Afer Octavianus C. V. Turm. Equitum Roman. Xuir st. litibus judicandis, aliique.' Et Consulares sub Augusto, 'P. Septimius.' 'Trajano Cæsare Septimius Agnidinus V. C. agens per Hispanias V. C. P. T. vice sacra cognosceus. Sub Marco Imperatore Septimius Severus. Sub Imperatore Vero M. Septimius Getæ filius postmodum Imperator,' aliique. Ceterum Septimius ille Severus, ad quem misit hoc Lyricum Papinius, reponendus est inter avos vel affines Septimii Severi Imperatoris. Nam patria, nomenque, ac dignitas equestris conveniunt. Et Spartianus notat in ejus vita, Severum latum clavum accepisse a M. Aurelio, favente sibi Septimio Severo affine suo bis consulari, qui erat probabiliter aut filius aut nepos nostri.

1 *Honoribus*] Honores, parvum rus vocat, quod ei illustre testimonium benevolentiæ Cæsaris, ac proinde gloriæ erat: Domitianus enim nostro Poëtæ id prædium dono dederat, ut patet ex his versibus Herculis Surrentini: 'Ast ego Dardaniæ quamvis sub collibus Albæ Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens Unda, domi curas mulcere, æstusque levare Sufficerent.' Potest etiam accipi de reditibus vel fructibus, sicut apud Horatium in Sat. v. 'Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores.' Eademque hoc sensu usurpata vox priscis historiographis Francis, cum de Abbatiis, quæ militibus dabantur, loquuntur. Nam sic dicunt: 'Accepit abbatiam N. cum suis honoribus.'

2 *Prisca Alba*] Alba urbs Latii quondam caput. *Prisca*] Quia ab Ascanio condita est multis annis ante Romam. *Teucros colit Lares*] Lares, Dii domestici. *Teucros*] Quia Troja advecti ab Ænea. Lucanus: 'Servat et Alba lares et quorum lucet in aris Ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta virorum Pallas.'

3 *Fortem atque facundum Severum*] Hunc Noster, Ep. ad Marcellum præposita huic quarto Sylvarum libro, vocat 'juvenem inter ornatissimos secundi ordinis.'

4 *Non solitis fidibus*] Quia Papinius hoc carminis genere nihil condere assuetus erat.

5 *Arctos Parrhasias*] Intelligit Septemtrionalem plagam, quæ subjacet duabus ursis, majori et minori, Græce ἄρκτοις dictis, in quæ sidera mutata Calysto Poëtis dicitur cum filio Arcade. *Parrhasias*] A Parrhasiis oppido Arcadiæ.

Jam pontus, ac tellus renident,
Jam Zephyris Aquilo refractus.
Nunc cuncta vernans frondibus annuis
Crinitur arbos; nunc volucrum novi
Questus, inexpertumque carmen,
Quod tacita statuere bruma.
Non parca tellus, pervigil et focus,
Culmenque multo lumine sordidum
Solantur, exemtusque testa,
Qua modo ferbuerat Lyæus.
Non mille balant lanigeri greges,
Nec vacca dulci mugit adultero:
Unique si quando canenti
Mutus ager domino reclamat.

et terra rident. Jam Aquilo retusus est Favoniis. Nunc omnis arbor vestitur annuis veris frondibus. Novæ nunc querelæ avium resonant, et novi cantus, quos meditatæ sunt silentes per hyemem. Parvum vero prædium, ignisque assiduus, et domus multo fumo nigra, et vinum expromtum amphora, in qua modo ferbuerat, nos solantur. Mille lanatæ oves non balant mihi, nec juvenca mugit ad blandum amatorem; et uni mihi, si cano aliquando, tacitus campus domino respondet. Sed

Gronovius in Obss. III. 6.—8 Parm. et Rom. *Jam Zephyrus Aquilone fractus.* —9 *Nunc cuncta veris* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. Mutavit Marklandus.—15 *Solatur* ed. vet. Lindenbrogii.—16 *Quomodo ferverit* Parm. *Qui modo ferverat* Rom. et vet. Lindenbrogii.—17 *Non mille balant Iapigeri* Parm. et Rom.—18 *Nec vacca dulce* Romana. Heinsius ad Ovid. Fast. v. 400. legi vult: *admugit adultero.*

NOTÆ

8 *Zephyris*] Zephyrus seu Favonius veris initio flare incipit. *Aquilo*] Ventus Septemtrionalis, qui hyeme flat. His autem loquendi modis innuit Papinius, hyemem transactam, verque venisse.

11 *Inexpertum*] Quia illud nondum cecinerant.

13 *Parca tellus*] Supra 'parvum rus.' *Pervigil et focus*] Perennis etiam focus solatur Tibullum: 'Dum meus assiduo luceat igne focus.' Martiali 'perennis.' Apud Homerum enim: Αἰθομένοιο πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι. *Lucente foco domus pulchrior visu.*

14 *Culmenque multo lumine sordidum*] *Multo lumine*, interpretatur Morellus 'multis fenestris' apertum ac patens culmen. Sed fallitur; intelligendum est enim, multo ignis fumo, seu fuligine nigrum. Sic Virgilius Æn. VIII. 'Hic focus, et tædæ pingues, hic plurimus ignis Semper, et assidua postes fuligine nigri.'

17 *Non mille balant lanigeri greges*] Imitatio Virgiliana: 'Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.'

18 *Adultero*] Admissario.

19 *Unique*] Mihi scilicet.

20 *Mutus ager*] Quia in eo nulli

Sed terra primis post patriam mihi
Dilecta curis: hic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæsareo decoravit auro:
Cum tu sodalis dulce periculum
Connisus omni pectore tolleres;
Ut Castor ad cunctos tremebat
Bebryciæ strepitus arenæ.
Tene in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit? jam feret Indicas

hæc terra habet meos primos affectus post patriam. Hic Dea præses bellorum decoravit meos versus aurea Cæsaris corona; cum tu meus sodalis participares dulce periculum, connixus animo mecum, ut Castor tremebat ad cunctos strepitus arenæ Bebriciæ. Anne inaccessa Leptis te peperit in longe dissitis Syrtibus? Nunc por-

—19 Romana pro *canenti,* exhibet *camenti.*—22-24 *Huic mea carmina R. b. v. Cæsareo perararit auro* Venet. 1. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. Barthius conjectaverat: *hinc mea c. R. b. v. C. penetravit auri;* ex eo quod in libro suo invenerat: *penetrabit auro.* Codd. manuscripti, teste Dodwello Annal. Statian. cap. 49. habent *peramavit;* unde ille conj. *perarrhavit.* Lectio nostra debetur Marklaudo.—26 *Connixus* Parmensis.—37 *Hæc mira virtus*

NOTÆ

balant lanigeri greges.

22 *Hic*] In Albano scilicet. *Mea carmina Regina bellorum virago Cæsareo decoravit [perararit] auro*] Gronovius suæ Diatribes capite 42. *perararit* interpretatur 'exornavit:' 'perarare' enim, ait, significat scribere, et 'scribere' pingere, 'pingere' autem significat exornare, et harum omnium significationum testimonia ex auctoribus affert. Hanc interpretationem secutus sum. Ceteri interpretes hunc locum inexplicabilem dicunt.

25 *Cum tu sodalis dulce periculum Connisus omni pectore tolleres*] Tangit consuetudinem, qua certantibus amicis gestu et motu corporis opem ferre credimus, eisque certamen minus arduum reddere. Dicit *dulce,* quia summa voluptate descendebat in hanc poëticam arenam Papinius, ex qua tantum gloriæ adipisci sperabat. De ejusmodi autem faventis spectatoris motu vivum exemplum extat apud Thucydidem lib. VI. quamvis in re magis seria.

27 *Ut Castor ad cunctos tremebat Bebryciæ strepitus arenæ*] Notat certamen Pollucis et Amyci regis Bebryciæ, coram Castore Pollucis fratre et aliis Argonautis. Vide Apollonium Argonauticorum lib. IV. et Valerium Flaccum Argon. lib. IV. *Arenæ*] Pro *arenæ,* legunt quidam *habenæ,* id est, cæstus. *Bebryciæ*] Quia in Bebrycia hoc certamen gestum est.

29 *Syrtibus*] Syrtes, duo sinus periculosi in mari Libyco, quod Africam proprie dictam alluit, major et minor. Vide Theb. I. 687. Dicit remotas, in extrema Africa sitas.

30 *Leptis*] Leptis, oppidum Africæ situm inter duas Syrtes, conditum

Messes, odoratisque rara
Cinnama præripiet Sabæis.
Quis non in omni vertice Romuli
Reptasse dulcem Septimium putet?
Quis fonte Juturnæ, relictis
Uberibus, neget esse pastum?
Nec mira virtus: protinus Ausonum
Portus, dolosæ nescius Africæ
Intras, adoptatusque Tuscis
Gurgitibus puer innatasti.

tabit Indicas segetes, et præripiet pretiosa cinnama odoratis Sabæis. Quis non credat facundum Septimium repsisse in cunctis Romuli collibus? Quis inficiabitur eum bibisse aquas Juturnæ dimissis mammis? Hoc opus miræ virtutis. Statim intras portus Ausoniæ, et oblivisceris vadosæ Africæ, et puer ascitus a Romanis

edd. vett. *Nec mira virtus* Venet. 1. quod revocavit Marklandus.—38 Parm. *vadosæ nesciet Africæ;* Rom. *vadosæ nesciit Africæ;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ: *vadosæ nescius Africæ.* Correxit Marklandus.—39 Pro *Intras,* quod erat in omnibus codicibus, Domitius fatetur se fecisse *Lutras;*

NOTÆ

a Sidoniis patria profugis ob discordias civiles. Eadem Straboni Neapolis dicitur. Plinius tamen diversam facit, et collocat utramque inter duas Syrtes. Hæc fuit patria Septimii nostri. *Jam feret, &c.*] Leptis, cum tam politum ac elegantem virum tulit ut Septimium, jam feret messes Indiæ et thura Arabiæ. *Indicas Messes*] Ut costum, et cetera aromata Indiæ.

31 *Odoratis Cinnama præripiet Sabæis*] Cinnamum frutex, cujus lignum inter pretiosiora aromata numeratur: nascitur in Æthiopia et in Arabia Felici. Vide Theb. VI. *Odoratis Sabæis*] Sabæi populi Arabiæ, apud quos etiam thus et myrrha nascuntur, unde *odorati* dicuntur. Vide Plinium lib. XII. cap. 14. et 15. 17. et 19.

33 *In omni vertice*] Septem erant montes in urbe Romæ, ut jam diximus.

34 *Reptasse dulcem Septimium putet*] Id est, natum fuisse Romæ.

35 *Fonte Juturnæ*] Juturna fons in agro Latino influens in amnem Numicum. Nomen traxisse a Juturna Turni sorore, in hunc fontem mutata, fabulantur Poëtæ. *Relictis Uberibus*] Quia hic fons saluberrimus erat extraneorum corporibus; et de hoc fonte Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueverat, ut refert Servius Æneid. XII.

37 *Ausonum*] Id est, Italorum. Itali enim prius 'Ausones' dicti.

38 *Dolosæ* [*vadosæ*] *nescius Africæ*] Africa tertia pars orbis antiqui. *Vadosæ*] Ob Syrtes, de quibus supra. Allegorice vero hæc dicta sunt, ut ostendat Septimium jam a pueritia in disciplinis et lingua Romanorum educatum fuisse, nihilque ex Africanorum moribus retinuisse.

39 *Adoptatusque*] Supple, Romanus ex Afro. *Tuscis Gurgitibus puer innatasti*] Horatius: 'Tusco denatat al-

Hic parvus, inter pignora Curiæ,
Contentus arcto lumine purpuræ,
Crescis; sed immensos labores
Indole patricia secutus.
Non sermo Pœnus, non habitus tibi,
Externa non mens: Italus, Italus.
Sunt Urbe Romanisque turmis,
Qui Libyam decorant alumni?
Est et frequenti vox habilis foro,
Venale sed non eloquium tibi;

natasti in undis Tuscis. Hic adolescis parvus inter filios senatorum, contentus angusto clavo, sed amplexus immensos labores indole patricia. Non sermo tibi Pœnus est, non habitus, non mens externa; Italus, Italus es. Sunt alumni Romæ, et inter equites Romanos, qui Libyci haberentur. Est tibi vox grata in clamoso foro,

ut *nesciit Lutras* sit, 'oblitus erat immundarum aquarum Libyæ, et innatavit Tiberi.'—41 Venet. 1. et Parmensis: *Hinc parvus.*—42 *Contentus alto* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Contentus raro* Rom. *Contentus lumine, &c.* Parmensis, secunda voce omissa. *Contentus arcto* correxerunt Turneb. Advers. lib. I. cap. 2. Lipsius Elect. cap. 14. Passeratius ad Propert. IV. 3. p. 590. Casaubon. ad Sueton. Aug. cap. 38. alii.—47 *Sunt turbæ Romanisque turmis* Romana.—48 *Qui Libyam doceant* Parm. et Rom. *deceant* Aldd. Colin. Gryph. &c. *decorant* ex conjectura edidit Marklandus.—49 *Est et frementi*

NOTÆ

veo.' *Tuscis*] Tyberinis, quia oram occidentalem Tyberis Tusci seu Tuscani tenebant.

41 *Inter pignora Curiæ*] Inter filios Senatorum.

42 *Arcto*] Id est, angusto clavo. Vestis Senatoria ab equestri distincta erat clavi magnitudine: laticlavii enim Senatores.

44 *Indole patricia*] Natales quidem equestres habebat Septimius, sed animi magnitudine moribusque patricius erat.

47 *Romanisque turmis*] Id est, inter Equites Romanos; nam turmæ Equitum.

48 *Libyam*] Africam. *Decorant* [*deceant*] Libyæ ornamento sint. *Guietus.* Sed male: nam sensus horum versuum est: Ut tu, Septimi, natus in Africa, nihil habes de patriis moribus, neque sermonem nec habitus patrios, sed prorsus et mente et indole Romanus es; sic e contra in urbe nati sunt, et ex equestri etiam loco, qui redolent magis Libyam, quam Romam.

49 *Frequenti* [*frementi*] Ob litigatorum et advocatorum clamores.

50 *Venale sed non eloquium tibi*] Sequebatur Septimius exempla veterum advocatorum, qui, ut habetur apud Tacitum Annal. IX. 'Famam in posteros, præmia eloquentiæ cogitabant optima: alioqnin bonarum artium principem sordidis ministeriis fœdari.' Unde et Plinius piraticum hunc paciscendi morem improbat.

Ensisque vagina quiescit,
Stringere ni jubeant amici.
Sed rura cordi sæpius et quies,
Nunc in paternis sedibus et solo
Veiente, nunc frondosa supra
Hernica, nunc Curibus vetustis.
Hic plura pones vocibus et modis
Passu solutis: sed memor interim
Nostri, verecundo latentem
Barbiton ingemina sub antro.

sed non venalis tibi facundia; et gladius cessat in vagina, nisi amici rogent illum extrahere. Sed rus sæpius placet et quies, nunc paternis in ædibus et agro Veiente, nunc supra sylvas Hernicas, nunc in antiquis Curibus. Hic scribes plura soluta et libera oratione: sed interim recordatus nostri, sæpius pulses barbiton, reconditus in verecunda spelunca.

vox hilaris edd. vett. correxit Marklandus.—57 *Hic plura promes* conj. Lindenbrog. *Hic plura panges* Gronov. Obss. III. 16. *Hic plura ponis* Romana; Markl. conj. *ponas*.—58 *Passim solutis* edd. vett. omnes; *Passu* est ex emendatione Marklandi.—60 Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *ingeminas;* Barthius conj. *ingemines;* Gevart. Amstel. Gronov. &c. *ingemina.*

NOTÆ

51 *Ensisque vagina quiescit, Stringere ni jubeant amici*] Sic C. Caligula peroraturus 'stricturum se lucubrationis suæ telum' minitabatur. Suetonius Cal. cap. 54.

54 *Solo Veiente*] Agro Veientano, a Veiis oppido Etruriæ, non procul ab urbe Roma, quam Camillus post decennalem obsidionem tandem expugnavit, soloque æquavit.

56 *Hernica*] Hernici populi supra montes Prænestinos Pitulum oppidum habebant. *Curibus vetustis*] Cures urbs præcipua Sabinorum, qui populi totius Italiæ vetustissimi.

59 *Verecundo*] Hypallage, pro tu verecundus. Verecundia autem maxime decet juvenem.

VI. HERCULES[†] EPITRAPEZIOS[‡] NONII[§] VINDICIS.[‖]

Describit Herculem æneum a Lysippo artificiose effictum, qui substrata leonis pelle sedens, dextera pateram, sinistra autem clavam sustinebat.

FORTE remittentem curas, Phœboque levatum

Cum forte, dimissis curis, et pectore Apolline vacuo, vagurer otiosus in spatiosis

Vindicis Hercules Epitrapezios Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Herculis ep. novi vindicis* cod. Salisb. *Herc. Epitr. Nonii vindicis* Rhod. *Epitra-*

Pectora, cum patulis tererem vagus otia Septis
Jam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis: hæc imos animi perlapsa recessus
Inconsumta manet: neque enim ludibria ventris
Hausimus, aut epulas diverso e sole petitas,
Vinaque perpetuis ævo certantia fastis.
Ah miseri! quos nosse juvat, quid Phasidis ales

Septis sub finem diei, benignus Vindex duxit me ad cœnandum secum. Hæc cœna delata in penitissimas mentis latebras restat integra: non enim comedimus cupedia, aut cibos avectos e variis regionibus, et bibimus vina, quæ contendebant vetustate cum æternis fastis. Ah infelices, qui curant scire, quid avis Phasidis differat ab

---

pesion Parmensis.—7 *Vinaque centenis ævo, &c.* conj. Marklandus; sed *per-*

NOTÆ

† *Hercules*] Id est, signum Herculis.

‡ *Epitrapezios*] Id est, mensis appositus. Veteribus enim sacræ erant mensæ impositione salinorum et sigillorum, quæ ἐπιτραπέζια vocabant. Unde Arnobius lib. II. 'Sacras facitis mensas salinorum appositu, et simulacris Deorum:' hoc est, θεῶν ἐπιτραπεζίων, cujusmodi hic Hercules Epitrapezios Papinio et Martiali celebratus. Inde 'sacra mensæ' apud veteres. Inde et in ὁμοτραπέζοις religio. Herculis autem signum illud Lysippi manu factum initio Alexandri fuerat; mox venerat in manus Hannibalis; deinde Syllæ, ac tandem Nonii Vindicis.

§ *Nonii*] Nonia gens Romæ plebeia et consularis. In qua Nonius Asprenas consul cum Laterano ann. ab Urbe condita 846. fuit et alter Nonius consul cum Valentiniano Cæsare, ann. Urb. cond. 1198. fuit et Nonius Marcellus grammaticus, cujus libri extant de Latinorum nominum origine.

‖ *Vindicis*] Cognomen plurium familiarum Vindex, ut constat ex scriptoribus.

2 *Septis*] Septa locus in Campo Martio, non tantum comitiis, sed etiam deambulationi civium destinatus, ut qui vicino Tyberi apricus esset, cœloque salubriori invitaret.

5 *Inconsumta manet*] Plato in Phædro 'sermones convivia' vocat, et Cicero in Topicis 'epulas discendi.' Sermo enim est pastus animorum suavissimus. *Ludibria ventris*] Sic vocat lautas epulas et cupedia.

7 *Vinaque perpetuis ævo certantia fastis*] Quo enim vetustiora erant vina, eo laudabiliora. Tangit autem morem ascribendi nomina consulum amphoris, seu testis, cadisve, ad notandam vini ætatem. *Fastis*] Quia nomina consulum fastis inscribebantur *perpetuis*, id est, æternis, ut imperium Romanum credebant æternum.

8 *Ah miseri*] Perstringit gulam ac luxuriam sui temporis. Manilius: 'Ventri jam longius itur, Quam modo militiæ.' Plinius: 'Alvi gratia præcipue avaritia expetitur. Huic luxuria conditur: huic navigatur ad Phasin: huic profunda vadis exquiruntur.' *Phasidis ales*] Phasianus. Vide Satur. vs. 78.

Distet ab hyberna Rhodopes grue: quis magis anser
Exta ferat: cur Tuscus aper generosior Umbro:
Lubrica qua recubent conchylia mollius alga.
Nobis verus amor, medioque Helicone petitus
Sermo, hilaresque joci brumalem absumere noctem
Suaserunt, mollemque oculis expellere somnum;
Donec ab Elysiis prospexit sedibus alter

hyemali grue Rhodopes: quis anser habeat majus jecur: cur aper Tuscus gratioris sit saporis, quam Umber: qua alga lubrica ostrea mollius jaceant. Sincera amicitia, et sermones petiti e medio Helicone, et læti joci invitarunt nos exigere hybernalem noctem, et abigere ab oculis blandum somnum, donec alter e Castoribus

petuis testantur omnes edd.—9 Pro *hyberna* Venet. 1. *hicterica;* unde Marklandus conj. *Distet ab harctoa Rhodopes grue,* i. e. *Arctoa.*—13 Pro *absumere*

NOTÆ

9 *Grue*] Ætate nostri Poëtæ grues expetebantur inter primas aves. *Hyberna Rhodope*] Rhodope mons Thraciæ frigidus, unde *hyberna* dicitur. Meminit autem Rhodopes, quia in Thracia ut plurimum nascuntur grues, ibique æstivant. *Magis*] Id est, majora. Lurcones autem et lauti palati homines jecur anseris inter delicata cupedia posuerunt. Unde Plinius lib. x. cap. 22. 'Jecur fartilibus in magnam amplitudinem crescit, exemtumque lacte mulso augetur: nec sine causa in quæstione est, quis primus tantum bonum invenerit, Scipio, an Marcellus vir consularis, an M. Sestius eques Romanus eadem ætate.' Juvenalis Sat. v. 'Anseris ante ipsum magni jecur.' Martialis lib. XIII. 'Aspice quam tumeat magno jecur ansere majus.' Athenæus lib. IX. cap. 8. Χηνὸς ἧπαρ περισπουδαστὸν κατὰ τὴν Ῥώμην. *Jecur anseris multum Romæ æstimatur.*

10 *Cur Tuscus aper generosior Umbro*] Tusci et apri meminit Juvenalis: 'Mævia Tuscum Figat aprum.' Sed et Umbriam hoc animali celebrem notat Catullus Epig. in Egnatium hoc versu: 'Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus.'

11 *Lubrica qua recubent Conchylia mollius alga*] Qua alga, an Lucrino fundo, an Britannico, an Baiano. In his enim maribus piscabantur ostrea, suavioraque credebant. Juven. Sat. v. 'Circæis nata forent an Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo Ostrea callebat primo deprehendere morsu.' Et Petronius: 'Ingeniosa gula est, Siculo scarus æquore mersus Ad mensam vivus deducitur: inde Lucrinis Eruta littoribus veniunt conchylia cœnis, Ut renovent per damna famem. Jam Phasidos unda Orbata est avibus.' Vide et Senecam Consolatione ad Helviam, et Latinum Pacatum in Panegyr. Aliunde certe allata ostrea in Lucrino compascebant: ita enim gratioris saporis fore credebant. Vide et Plinium lib. IX. cap. 54. *Lubrica*] Quia facile manibus elabuntur ostrea.

12 *Medioque Helicone*] Id est, e mediis Musis, quibus Helicon sacer.

15 *Elysiis*] Id est, infernis sedibus. *Alter Castor*] Nam alternis diebus Castor et Pollux oriuntur et occidunt. *Castor*] Hic nomen commune Castori et Polluci fratribus.

Castor, et hesternas risit Tithonia mensas.
O bona nox! junctaque utinam Tirynthia luna!
Nox et Erythrææ Thetidis signanda lapillis,
Et memoranda diu, geniumque habitura perennem.
Mille ibi tunc species ærisque eborisque vetusti,
Atque locuturas mentito corpore ceras
Edidici: quis namque oculis certaverit usquam
Vindicis, artificum veteres cognoscere ductus,
Et non inscriptis auctorem reddere signis?

ortus est ab Elysiis locis, et aurora risit hesternas epulas. O nox bona! et utinam geminata fuisset, qualis fuit cum Hercules conceptus est! Nox et notanda calculis Erythræi maris, diuque recolenda, et conservatura æternam voluptatem, in qua tunc edidici cujus auctoris sunt mille imagines æris et eboris vetusti, et tabellas tam mire exprimentes personas, ut loqui crederes. Nam quis unquam contenderit cum oculis Vindicis de cognoscendis manibus antiquorum artificum; et dicendo auctore, licet

Parmensis præbet, *assumere.*—16 *Titonia* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. &c. *Tithonia* Parm. quod revocavit Marklandus.—18 Parmensis: *Nox et heritreis tethidis.* Pro *Erythræis*, quod omnes aliæ edd. exhibent, Marklandus edidit *Erythrææ*, ut sibilum vitaret.—19 Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii: *habitumque perennem.*—20 *Mille ubi nunc* Rom. et vet. Lindenbrogii; *Mille ubi tunc* Parm. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *ibi* ex conjectura edidit Markl.—23 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *agnoscere ductus;* Parm. Rom. et vet. Lin-

NOTÆ

16 *Tithonia*] Aurora, a Tithono marito.

17 *Junctaque utinam Tirynthia luna*] Mens: Utinam illa nox geminata ac continuata fuisset, qualis fuit cum Hercules, qui et *Tirynthius* dicitur, conceptus fuit, Alcmena a Jove compressa. Tunc enim geminata nox est, ut est apud Plautum. Alibi triplicatam dicit Noster Theb. XII. 'Ter noctem Herculeam.'

18 *Erythrææ* [*Erythræis*] *Thetidis signanda lapillis*] Hypallage, pro signanda lapillis maris Erythræi. Alludit ad veterum morem, quem alii Thracibus, alii Scythis assignant, qui candidis et atris lapillis soliti numerare, vel distinguere dies lætos a tristibus, ut colligitur ex Plinio lib. VII. cap. 40. Plinius Junior lib. VI. Ep. 11. 'O diem lætum, notandumque mihi candidissimo lapillo.' Martialis lib. x. Epig. 38. 'O nox omnis et hora, quæ notata est Caris littoris Indici lapillis.' Persius Sat. II. 'Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo.' *Thetidis*] Maris. Thetidem pro mari sumi omnibus notum est. *Erythrææ*] Id est, Rubræ. Vide Theb. IV.

20 *Ibi* [*ubi*] In qua. *Species ærisque eborisque*] Imagines æreas et eburneas.

21 *Ceras*] Tabellas.

24 *Et non inscriptis auctorem reddere signis*] Notat Plinius in præfatione Historiæ Naturalis, pingendi fingendique conditores absoluta opera pendenti titulo inscripsisse, 'Apelles faciebat,' 'Polycletus faciebat.'

Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni
Æra, laboriferi vivant quæ marmora cælo
Praxitelis, quod ebur Pisæo pollice rasum,
Quod Polycleteis jussum est spirare caminis,
Linea quæ veterem longe fateatur Apellem,

nomen ejus operi non sit inscriptum? Hic te docebit æra, quæ fuerunt multum elaborata a perito Myrone, et marmora spirantia cælo laboriosi Praxitelis, quod ebur sculptum sit Pisæa manu, quod vitam accepit in fornacibus Polycleti, et quæ

denbrogii *cognoscere ductus,* quod admisit Marklandus.—25 Parmensis: *Hæc tibi quæ docto multum laborata Myroni.*—26 Parm. *juvant quæ marmora cæli;* Romana etiam, *cæli.*—28 *Quod Polycletæis visum est spirare* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et Gevart. *jussum est spirare* codex Sen. cum Parm. Rom. et Venett. *jussum spirare* Gronov. Barth. Veen. et Delph.—29 *Linea*

NOTÆ

25 *Myroni*] Myron statuarius maxime nobilitatus vacca. Vide Tiburtinum Manlii, vs. 50.

26 *Æra*] Id est, æreæ imagines. *Vivant quæ marmora*] Id est, tam bene efficta sunt, ut non imagines, sed personæ ipsæ esse credantur.

27 *Praxiteles*] Praxiteles marmoris sculpendi insignis artifex, natus est in extrema Italiæ ora, quam Magnam Græciam olim vocabant. Sed cito claruit, ac civitate Romana donatus, urbem Romam ornavit quam plurimis egregiis signis. Sed præcipue duobus nobilitatus fuit, Venere Coa, et Cnidia. Plinius lib. XXXVI. cap. 5. his verbis: ‘Duas fecerat, simulque vendebat, alteram velata specie, quam ob id quidem prætulerunt optione, quorum conditio erat, Coi, cum alteram etiam eodem pretio detulisset, severum id ac pudicum arbitrantes: rejectam Cnidii emerunt, immensa differentia famæ. Voluit eam postea a Cnidiis mercari rex Nicomedes, totum æs civitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum se promittens: omnia perpeti maluere: nec immerito: ille enim signo Praxiteles nobilitavit Cnidum. Ædicula tota ejus aperitur, ut conspici possit undique effigies Deæ, favente ipsa, ut creditur, facto: nec minor ex quacumque parte admiratio est.’ Vide eundem lib. XXXIV. cap. 8. et lib. XXXVI. cap. 5. *Pisæo pollice*] Id est, Phidiæ. Phidias enim illum celeberrimum Pisæum, sive Olympium Jovem fecit. Vide Equo Domit. vs. 102.

28 *Quod Polycleteis jussum est spirare caminis*] De Polycleto nobili statuario vide Surrent. Pollii vs. 67. Ibidem: ‘Aut Polycleteo jussum est quod vivere cælo.’

29 *Linea quæ veterem longe fateatur Apellem*] Hic locus illustratur a Plinio lib. XXXV. cap. 10. cujus hæc sunt verba: ‘Scitum est, inter Protogenem et Apellem, quod accidit. Ille Rhodi vivebat: quo cum Apelles adnavigasset, avidus cognoscendi opera ejus, fama tantum sibi cogniti, continuo officinam petiit: aberat ipse, sed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ, anus una custodiebat: hæc Protogenem foris esse respondit, interrogavitque, a quo quæsitum diceret: ab hoc, inquit Apelles: arreptoque pe-

Monstrabit: namque hæc, quoties chelyn exuit ille,
Desidia est; hic Aoniis amor avocat antris.
Hæc inter, festæ Genius tutelaque mensæ
Amphitryoniades, multo mea cepit amore
Pectora, nec longo satiavit lumina visu:
Tantus honos operi, finesque inclusa per arctos

linea cognoscendum præbeat priscum Apellem. Nam hæc est illius occupatio, quoties deposuit citharam; hoc studium illum avertit a speluncis Aoniæ. Hæc inter signa, Hercules Amphitryonis filius, Genius et tutela pudicæ mensæ, cepit meum animum plurimo amore, nec replevit oculos meos, quamvis diu contemplatus fuissem: tam mire elaboratum erat opus, et tanta majestas comprehensa inter angustos ter-

quæ rerum tentabat Marklandus.—30 *Monstravit* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Monstrabit* correxit Gevartius, eumque secuti sunt Heins. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Idem Gevartius pro *ille* legi jussit *illi*, hac distinctione: *quoties chelyn exuit, illi Desidia est, hic, &c.*—32 *Hæc inter castæque genus* Parmensis; *Hæc inter castæ Genius* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *festæ Genius tutelaque mensæ* ex ingenio edidit Markl.—35 Parm. *firmosque inclusa per arctus;* Rom. *firmos inclusa per arctus*, omisso τῷ *que;* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii *finesque inclusa peractos;* Salisb. *finesque inclusa per artus;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et Gevart. *firmosque inclusa per artus.* Lectio nostra est a Gronovio.

NOTÆ

nicillo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam. Reverso Protogeni, quæ gesta erant anus indicavit: ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem, dixisse Apellem venisse: non enim cadere in alium tam absolutum opus: ipsumque alio colore tenuiorem lineam in illa ipsa duxisse, præcepisseque abeuntem, si rediisset ille, ostenderet, adjiceretque, hunc esse, quem quæreret: atque ita evenit: revertitur enim Apelles, sed vinci erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum: at Protogenes victum se confessus, in portum devolavit hospitem quærens. Placuitque sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed præcipuo artificum miraculo. Consumtam eam constat priore incendio domus Cæsaris in Palatio, avide ante a nobis spectatam, spatiosiore amplitudine, nihil aliud continentem, quam lineas visum effugientes, inter egregia multorum opera inani similem, et eo ipso allicientem, omnique opere nobiliorem. Apelli fuit alioquin perpetua consuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem: quod ab eo in proverbium venit.'

30 *Ille*] Vindex scilicet.

31 *Desidia*] Hic *desidia* sumitur in bonam partem pro honesto otio, ut alibi diximus. *Aoniis*] Musarum.

33 *Amphitryoniades*] Signum Herculis Amphitryonis filii.

34 *Nec longo*] Quamvis longo.

35 *Finesque inclusa per arctos Majestas*] Arcti fines, pes unus. Infra: 'Et cum mirabilis intra stet mensura pedem.'

Majestas! Deus ille, Deus; seseque videndum
Indulsit, Lysippe, tibi, parvusque videri
Sentirique ingens: et cum mirabilis intra
Stet mensura pedem, tamen exclamare libebit,
(Si visus per membra feras,) Hoc pectore pressus
Vastator Nemees; hæc exitiale ferebant
Robur, et Argoos frangebant brachia remos.
Hoc spatio, tam magna, brevi, mendacia formæ!
Quis modus in dextra, quanta experientia docti

minos. Deus ille, Deus est, et sese tibi præbuit spectandum, Lysippe. Exiguus videtur, sed sentitur magnus. Et licet mirabilis mensura restricta sit intra pedem, tamen libebit exclamare, (si oculis ejus artus perlustres,) populator Nemees hoc pectore elisus est: hi lacerti gerebant exitiosam clavam, et rumpebant remos cum remigarent in nave Argo. Hac tam parva mensura vultus tam mire exprimitur! Quis modus in manu, quæ experientia laboribus docti artificis, eodem tempore for-



—39 *Stet mensura pedum* Parmensis; et ita legebat Domitius.—40 Eadem editio pro *feras* exhibet *fores.*—42 Eadem *frangebat* pro *frangebant.*—43 *An*

NOTÆ

36 *Seseque videndum Indulsit, Lysippe, tibi*] Sic Philippus Epigrammatum scriptor in signum Jovis Olympii Anthol. Epig. T. II. Ἢ Θεὸς ἦλθ' ἐπὶ γῆν ἐξ οὐρανοῦ εἰκόνα δείξων, Φειδία, ἢ σύ γ' ἔβης τὸν Θεὸν ὀψόμενος. *Aut Deus descendit e cœlo, ut se tibi videndum præberet, Phidia, aut tu ascendisti in cœlum, ut Deum aspiceres.* Sic vetus epigramma Græcum in Venerem Cnidiam Praxitelis: 'Α Κύπρις τὰν Κύπριν ἐνὶ Κνίδῳ εἶπεν ἰδοῦσα· Φεῦ, φεῦ, ποῦ γυμνὴν εἶδέ με Πραξιτέλης; Sic transtulit Ausonius Ep. LVI. *Vera Venus Cnidiam cum vidit Cyprida, dixit: Vidisti nudam me, puto, Praxiteles.* De Lysippo, vide Equo Domit.

38 *Sentirique ingens*] Illud *que*, pro sed, accipiendum est hic, id est, *sed sentiri ingens.* Notabile autem verbum 'sentire,' de iis, qui, ut Tullius ait in Paradoxis, eruditos oculos habent in imaginibus æstimandis. 'Intelligere' alii dicunt.

40 *Hoc pectore pressus Vastator Nemees*] In hoc signo Herculis describendo capit occasionem Poëta narrandi præcipua illius facinora. Hic autem intelligit leonem Nemæum, quem suffocavit Hercules elidendo illum in suum pectus. Noster Theb. VI. 'Primus anhelantem duro Tirynthius angens Pectoris attritu sua frangit in ossa leonem.' *Hoc pectore*] Tali quale hoc est.

42 *Robur*] Clavam, quam etiam Geminus epigrammatum scriptor vocat, πτόρθον μέγαν, *magnum ramum. Et Argoos frangebant brachia remos*] Tanta enim vi Hercules remum agebat in navi Argo, ut illum frangeret.

43 *Hoc spatio, tam magna, brevi, mendacia formæ*] Admirantis est, quod in tam parvo signo tanta repræsentetur forma, quanta est Herculis.

44 *Quis modus in dextra, quanta experientia docti Artificis, &c.*] De Lysippo præsignis est Posidippi versus

Artificis curis, pariter gestamina mensæ
Fingere, et ingentes animo versare colossos?
Tale nec Idæis quicquam Telchines in antris,
Nec solidus Brontes, nec qui polit arma Deorum
Lemnius, exigua potuisset ludere massa.
Nec torva effigies, epulisque aliena remissis;
Sed qualem parci domus admirata Molorchi,
Aut Aleæ lucis vidit Tegeæa sacerdos:
Qualis ab Œtæis emissus in astra favillis

mare signa mensarum, et mente agitare enormes colossos? Nec Telchines in speluncis Idæis, nec durus Brontes, nec ipse Vulcanus, qui fabricatur arma numinum, potuissent ludere quicquam tale in tam parva massa. Non est torva imago, nec aliena ab hilaritate conviviorum, sed talis ille qualem admirata est casa pauperis Molorchi, et antistita Tegeæa conspexit in lucis Aleæ; et qualis emissus ad sidera

spatio Romana; *Ac spatio* Parmensis.—45 Marklandus legi vult: *docti Artificis, curtæ pariter gestamina mensæ;* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii: *gestantia mensæ.*—48 Parm. et Rom. *stolidus Brontes.*—52 Domitius invenit in omnibus suis codicibus, *Ut Tiliæ;* unde edidit: *Aut Eleæ*, reclamante Politiano Epist. VI. 1. propter metrum violatum; *Aut teleæ* Parmensis; *Aut Aleæ lucis* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—53 *Qualis et Œteis*, vel *Œtæis*, edd.

NOTÆ

encomiasticus in cippum Alexandri Magni: Λύσιππε, πλάστα Σικυώνιε, θαρσαλεὴ χεὶρ, Δάϊε τεχνῖτα. *Lysippe, sculptor Sicyone, audax manus, perite artifex.*

46 *Et ingentes animo versare colossos*] Hoc de Myrone prius dixerat in Tiburtino Manlii: 'Quicquid in argento primum, vel in ære Myronis Lusit, et enormes manus est experta colossos.'

47 *Telchines*] Summi artifices. Vide Theb. II. 274. *Idæis in antris*] Plures enim confundunt Telchines cum Curetibus ac Idæis Dactylis. *Idæis*] Ab Ida Phrygiæ monte, vel Cretæ.

48 *Brontes*] Unus e ministris Vulcani. Vide Equo Domit. vs. 4.

49 *Lemnius*] Vulcanus faber Deorum, *Lemnius* dictus, quod officinam in Lemno insula habere credebatur. *Exigua massa*] De eodem Martialis: 'Exiguo magnus in ære Deus.'

51 *Molorchi*] Molorchus pauper pastor agri Cleonæi, qui Herculem ad interficiendum leonem Nemæum euntem hospitio suscepit. Vide Theb. IV. 160.

52 *Aut Aleæ lucis vidit Tegeæa sacerdos*] Antistita enim Palladis Aleæ, Herculem illac iter facientem hospitio recepisse dicitur. *Tegeæa*] Quia Alea est oppidum Arcadiæ juxta Tegeam. Vide Pausaniam de Minerva Alea.

53 *Ab Œtæis emissus in astra favillis*] Jam diximus Herculem, induta Nessi tunica, tantos calores sensisse, ut impatientia doloris sibi strui jusserit pyram in monte Œta, seseque ipsum combussisse; exuta demum mortalitate Deos relatum fuisse. Vide Theb. XI. 234. et Hercule Surrent. vs. 7. 'Ceu tædis iterum lustratus

Nectar adhuc torva lætus Junone bibebat:
Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens
Hortetur mensas: tenet hæc marcentia fratris
Pocula, at hæc clavæ meminit manus: aspera sedes
Sustinet occultum Nemeæo tegmine saxum.
Digna operi fortuna sacro: Pellæus habebat
Regnator lætis numen venerabile mensis,
Et comitem Occasus secum portabat et Ortus:

ab Œtæ pyra, gaudens potabat nectar, quamvis torva Junone. Sic lenis ejus vultus est, ut si ipse læto animo excitaret convivas ad hilaritatem. Hæc manus gerit ebrios crateres fratris Bacchi; altera gerit clavam, qua recordatur adhuc fecisse crudeles cædes: lapis stratus pelle Nemeæi leonis illum sustinet. Digna sors obtigit sacro operi. Dominator Pellæus Alexander colebat hoc numen reverendum in jucundis mensis, et secum ferebat socium expeditionum Orientis et Occidentis; et

vett. *ab Œtæis* correxit Marklandus.—55 Heinsius Advers. lib. I. cap. 10. p. 99. legit: *velut udo pectore.*—56 *Hortatur* Parmensis.—57 *Pocula adhuc sævæ meminit manus altera cædis* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. In codd. antiquis invenit Domitius: *et hæc leve meruit manus aspera sedis;* pro qua, ut ipse fatetur, vulgatam dedit. Parmensis præbet: *at hæc lævæ meminit manus aspa setis.* Lectio nostra debetur Marklando.—60 Heinsius Not. ad Ovid. Met. IV. 762. legit: *Regnator lautis.* Parmensis: *numen memorabile;* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii: *lumen venerabile.*—61 *Et comitem casus secum portabat in omnes* conjectabat Marklandus. Heinsius l. l. *Et comitem*

NOTÆ

honesti Ignis, ab Œtæa conscenderis æthera flamma.'

54 *Torva Junone*] Sic semper depingitur a Poëtis respectu Herculis et ceterorum Jovis filiorum, quos ex pellicibus suscepit Jupiter. Unde ab Archia Poëta vocatur *μισόνοθος*. *Lætus*] Quia factus immortalis.

56 *Hortetur mensas*] Id est, convivas ad bibendum. *Fratris*] Bacchi.

57 *Meminit manus: aspera sedes* [*altera cædis*] Clavam scilicet tenendo, qua tot cædes fecit. Martialis de eod. signo: 'Cujus læva calet robore, dextra mero.'

58 *Sustinet occultum Nemeæo tegmine saxum*] Repræsentabatur enim Hercules sedens super saxum substratum leonis Nemæi pelle.

59 *Digna operi fortuna sacro*] Id est, opus nobilis statuarii, signum nobilis Dei, incidit etiam in manus nobiles, ut Alexandri, Hannibalis, Syllæ, et Vindicis. *Pellæus regnator*] Alexander Magnus, natus Pellæ, quæ caput erat Macedoniæ. Unde Poëtis passim vocatur 'Pellæus juvenis.'

60 *Lætis numen venerabile mensis*] In mensa enim collocabantur statuæ Deorum, velut tutela mensæ, ut dicit supra Papinius.

61 *Occasus et Ortus*] Id est expeditionum tam in occasum, quam in ortum. Nam Triballos initio sui regni vicit Alexander, Illyricos, Getas, et accolas Istri seu Danubii: postea vero dux declaratus Græcorum, transmisit exercitum in Asiam, Persasque vicit, aliosque Orientis populos.

Prensabatque libens modo qua diademata dextra
Abstulerat dederatque, et magnas verterat urbes.
Semper ab hoc animos in crastina bella petebat,
Huic acies victor semper narrabat opimas,
Sive catenatos Bromio detraxerat Indos,
Seu clausam magna Babylona refregerat hasta,
Seu Pelopis terras libertatemque Pelasgam
Obruerat bello: magnoque ex agmine laudum
Fertur Thebanos tantum excusasse triumphos.
Ille etiam, magnos fatis rumpentibus actus,

lætus id tenebat eadem manu, qua jamjam ademerat, et præbuerat coronas, et diruerat ingentia oppida. Semper ab illo poscebat animos ad prælia crastina: semper ei narrabat victorias, quas referebat, sive eripuerat Baccho Indos catenis oneratos, seu perruperat ingenti hasta portas obseratas Babylonis, sive oppresserat suis armis Peloponnesum et libertatem Græcam: et inter tot laudanda facinora dicitur tantum excusasse victoriam Thebanam. Ille etiam, fatis frangentibus ejus præclara

Occasu secum portabat et Ortu.—62 *Præstabatque libens* Parmensis.—64 Eadem editio pro *ab hoc* exhibet *ad hoc.*—65 *Huic acies semper victor* Parmensis; *Huic acies semper victor referebat*, vel: *Huic epulas semper victor sacrabat* malit Marklandus.—66 Idem Marklandus conjectabat: *Bromio devicerat Indos*, vel: *Bromio dejecerat Indos.*—69 Idem pro *magnoque* lege-

NOTÆ

62 *Modo qua diademata dextra Abstulerat dederatque*] Abstulit coronam seu regnum Dario Persarum regi, dedit Abdelyonimo Tyri regnum, Poro, et Taxili reddidit regna, quæ prius habebant. Vide Curtium, aliosque Alexandri vitæ scriptores.

65 *Acies opimas*] Id est, ex qua spolia opima, magnifica, ampla referebat.

66 *Sive catenatos Bromio detraxerat Indos*] Alexander enim, domitis Persis, vicit et Indos, qui prius subacti fuerant a Baccho, qui et *Bromius* dicitur, ut jam observavimus. *Catenatos*] Quia victis catenæ injici solitæ.

67 *Babylona*] Babylon urbs supra Euphratem sita. Vide Genethliac. Lucani vs. 95. et Protrepticon Metii vs. 137. Non tamen Alexander expugnavit Babylonem, sed cives se ipsos dediderunt. Vide Curtium.

68 *Seu Pelopis terras*] Intelligit Peloponnesum subactam, ac victos Spartanos ab Antipatro Alexandri præfecto. *Libertatem Pelasgam*] Libertas Græciæ Chæronensi acie non penitus fuerat oppressa a Philippo Macedone; sed post ejus mortem hæres Alexander omnino illam obruit, Atheniensibus, Thebanis, ac Corinthiis, qui defecerant, in ordinem redactis, expugnatis etiam Thebis dirutisque, ac civibus sub corona præter paucos venditis. *Pelasgam*] Id est, Græcam, a Pelasgis Græciæ populis.

69 *Magnoque ex agmine laudum*] Id est, ex innumeris præclaris facinoribus, quibus tot laudes merebatur.

70 *Fertur Thebanos tantum excusasse triumphos*] Quia Thebæ patria Herculis.

Cum traheret letale merum, jam mortis opaca
Nube gravis, vultus alios in numine caro
Æraque supremis tenuit sudantia mensis.
Mox Nasamoniaco decus admirabile regi
Possessum; fortique Deo libavit honores
Semper atrox dextra perjuroque ense superbus
Hannibal. Italicæ perfusum sanguine gentis,
Diraque Romuleis portantem incendia tectis
Oderat, et cum epulas, et cum Lenæa dicaret

facta, cum biberet mortiferum vinum in supremo convivio, jam gravis densa mortis caligine, timuit, videns mutatam faciem dilecti Dei ac signum ejus sudare. Mox egregium opus incidit in manus principis Nasamonii, et Hannibal semper sævus, et tumidus perjuro gladio, effudit vinum in honorem magnanimi Dei; sed aversabatur illum respersum cruore nationis Italicæ, et inferentem diras flammas in domos Romuli: et quamvis illi dapes consecraret, ac vina libaret, Deus doluit, se illum

ret, *tantoque*, vel, *totoque*, vel denique *longoque*.—74 Edd. vett. *Æraque*

NOTÆ

72 *Cum traheret letale merum*] Dolo extinctum Alexandrum referunt, et quidem veneno, Plutarchus, Curtiusque, ac alii. Quidam, ut Vitruvius ac Tertullianus, necatum aqua Stygia, quæ fluit ex rupe Nonacrina Arcadiæ, solaque mulæ ungula contineri potest. Vitruvius lib. VIII. 'Est in Arcadia Nonacris nominata terræ regio, quæ habet in montibus e saxo stillantes frigidissimos humores. Hæc autem aqua, Stygos hydor nominatur, qua neque argenteum, neque æreum, neque ferreum vas potest subsistere, sed dissilit, et dissipatur. Conservare autem eam et continere, nisi mulina ungula potest: quæ etiam memoratur ab Antipatro, in provinciam, ubi erat Alexander, per Iollam filium perlata esse, et ab eo ea aqua regem esse necatum.'

73 *Vultus alios in numine caro Æraque supremis tenuit sudantia mensis*] Vultus mutati in signis Deorum, sudorque erant infausta omina ac præsagia, ut observavimus in Thebaide. *Æra*] Signum æreum.

75 *Nasamoniaco regi*] Hannibali, Afro, qui Nasamonius dicitur a Nasamonibus Africæ populis, licentia Poëtis familiari. Hoc etiam tradidit Martialis epigrammate infra ascripto; *Rex* vero dicitur, lata significatione, pro Duce.

76 *Forti Deo*] Herculi. *Libavit honores*] Sic VI. Thebaid. 'Certavit honorem,' pro 'in honorem.' Libare autem vinum in honorem Deorum solebant veteres.

77 *Semper atrox dextra perjuroque ense superbus Hannibal*] Vide viam Domitianam vs. 5.

78 *Italicæ perfusum sanguine gentis*] Quam ad Thrasymenum, ad Trebiam, et ad Cannas horrenda internecione vicerat.

79 *Romuleis*] Romanis.

80 *Lenæa Dona*] Intelligit vinum, munus seu inventum Bacchi, qui Lenæus dicitur ἀπὸ τοῦ λήνου, quæ vox *torcular* Græce significat.

Dona, Deus castris mœrens comes isse nefandis.
Præcipue cum sacrilega face miscuit arces
Ipsius, immeritæque domos ac templa Sagunti
Polluit, et populis furias immisit honestas.
Nec post Sidonii letum ducis ære potita
Egregio plebeia domus: convivia Syllæ

comitatum fuisse in scelesta castra. Præcipue cum impius delevit facibus injectis arces ipsi sacras, et contaminavit domos ac fana innoxiæ Sagunti, et immisit civibus furorem gloriosæ mortis. Post mortem ducis Sidonii, vulgaris domus non possedit

supremis timuit; correxit Marklandus.—81 Parmensis: *Dona decus mœrens comes esse nefandis;* Rom. *comes isse nefandis;* Markl. conj. *ire*, ut ap. Horat. II. Sat. 5. 17.—82 Edd. vett. *sacrilegus;* Parm. *Præcipue castris sacrilegas face miscuit.* In codice Salisb. et Excerpt. Lindenbrog. *sacrilegas;* unde Gronovius Reliq. ad Sylv. legit, *sacrilega*, quod in textum primus admisit Marklandus.—83 Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *immeritasque domos ac templa Sagunti;* Parm. *meritæque domos ac templa tonantis;* Romana etiam *tonantis;* Domitius tamen in notis agnoscit *Sagunti.* Codex Salisb. Exc. Lindenbrog. et Venet. 2. *meritæque domos ac templa Sagunti;* unde Gronovius legit: *immeritæque domos ac templa Sagunti.*—85 Parm. *ære petita.*—86 Vet. Lindenbrogii, codd. Domitii, Parm. et Venet. 2. *conviva Sibyllæ:* Parm.

NOTÆ

81 *Comes isse*] Hellenismus. *Castris nefandis*] Quia contra jus omne Hannibal intulit bellum Saguntinis, deinde Romanis.

82 *Sacrilega*] Quia, ut sequenti versu dicitur, templa Sagunti polluit. *Face miscuit arces Ipsius*] Quia compulit ad desperationem Saguntinos, coëgitque seipsos comburere. *Ipsius*] Dicitur enim Hercules Saguntum condidisse, sepulto illic Zacyntho comite, qui secum ab expeditione in Geryonem revertebatur.

83 *Immeritæ Sagunti*] Saguntum civitas, ut ait Livius, longe opulentissima Hispaniæ, ultra Iberum fuit, sita passus mille ferme a mari. Oriundi a Zacyntho insula dicuntur: mistique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis. *Immeritæ*] Quia contra jus, ac fas omne illi intulit bellum Hannibal.

84 *Furias honestas*] Quia Saguntini his æternam fidei et constantiæ gloriam adepti sunt: maluerunt enim omnia experiri, quam fidem Romanis datam frangere.

85 *Sidonii ducis*] Hannibalis Carthaginiensis: Carthaginienses enim erant Tyriorum vel Sidoniorum coloni. *Ære*] Æreo signo.

86 *Syllæ*] Cornelius Sylla clarior est, quam ut indicari debeat. Sufficiet dicere eum Patricio genere ortum, fortunam semper faventem habuisse, Felicisque inde nomen assumsisse, rebusque in bello contra Samnites, Hirpinosque ac Mithridatem præclare gestis, devictis etiam propriis ac Reipublicæ hostibus æmulisque, ad summas opes, summamque in patria dignitatem, quam Dictaturam vocabant, pervenisse. Felix vere si moderate potentia sua usus fuisset, nec illam in perniciem civium convertisset. Nam primus exemplum proscriptionis invenit, qua in omne genus hominum ætatumque

Comebat, semper claros intrare penates
Assuetum, et felix dominorum stemmate signum.
Nunc quoque (si mores humanaque pectora curæ
Nosse Deis) non aula quidem, Tirynthie, nec te
Regius ambit honos: sed casta, ignaraque culpæ
Mens domini, cui prisca fides, cœptæque perenne
Fœdus amicitiæ: scit adhuc florente sub ævo
Par magnis Vestinus avis, quem nocte dieque
Spirat, et in caræ vivit complexibus umbræ.
Hic igitur tibi læta quies, fortissime Divum
Alcide: nec bella vides pugnasque feroces,

eximium æs. Signum semper assuetum subire illustres lares, et fortunatum dominorum nobilitate, ornabat mensam Syllæ. Nunc etiam (si Dii curant noscere mores et mentes hominum) non equidem Palatia, nec reges te possident Tirynthie, sed vir, cujus castus animus, et sceleris purus, cui prisca fides, et juge fœdus amicitiæ semel inchoatæ: testis hujus adhuc Vestinus, qui in juvenili ætate æquabat ingentes avos, quem noctu diuque in mente habet, et in cujus dilectæ umbræ amplexibus vivit. Hic ergo læta tibi est sedes, Alcide Deorum generosissime: nec cernis



Egregias p. domos.—87 *Cænabat* Rom. vet. Lindenbrogii et Venet. 2. *Cænabit* Parm. et codd. Domitii; *Ornabat* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Canebat* codex Senensis; unde Scaligerus *Comebat*, quod primus edidit Marklandus.—90 *Tirynthia* Parm. Till. et Cruc. *Tirynthie* vet. Lindenbrogii, Rom. Venet. 2. Aldd. &c.—92 *Mens Nonii cui, &c.* tentabat Marklandus.—93 Parmensis: *sit adhuc.*—94 Eadem editio: *Permagnis Vestinus aquis;* Domitii Calderini codd. *Per magnis Vestinus aquas;* unde ille fecit: *Par magnis Vestinus aquis*, ut in Rom. Lectionem nostram exhibent Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et recentt.—97 Pro *Alcide* Parmensis, Venet. 2. et vet. Linden-

NOTÆ

summa cum inhumanitate ac crudelitate sævitum est. Tandem Republica composita Dictaturam deposuit: unde, sperni cœptus, Puteolos commigravit, ubi morbo, qui Phthiriasis appellatur, periit.

87 *Claros penates*] Ut regum ac summorum ducum, ut vidimus.

88 *Stemmate*] Id est, nobilitate ac splendore generis.

89 *Si mores humanaque pectora curæ Nosse*] Similis locutio Epicedio Glauciæ: 'Nec pectora novit.'

90 *Tirynthie*] Hercules a Tirynthe oppido Argolidis, in quo natus sive altus dicitur.

91 *Regius*] Non solum cum possidebatur ab Alexandro, sed etiam Hannibale et Sylla summis ducibus.

94 *Vestinus*] Ille est Atticus Vestinus consul, quem Nero occidi jussit, nullius tamen criminis compertum, sed ob ferociam animi, quam metuebat. Vide Tacitum Ann. xv.

96 *Hic*] In domo Vindicis.

97 *Alcide*] Hercules ab Alceo avo. *Nec bella vides pugnasque feroces*] Quæ videbas, cum eras inter manus Alexandri, Hannibalis, et Syllæ.

Sed chelyn, et vittas, et amantes carmina laurus.
Hic tibi solenni memorabit carmine, quantus
Iliacas Geticasque domos, quantusque nivalem
Stymphalon, quantusque jugis Erymanthon aquosis
Terrueris: quem te pecoris possessor Iberi,
Quem tulerit sævæ Mareoticus arbiter aræ.
Hic penetrata tibi spoliataque limina Mortis
Concinet, et flentes Libyæ Scythiæque puellas.
Nec te regnator Macetum, nec barbarus unquam

bella, et dira prælia, sed citharam, vittasque, ac laurus Poëtarum amicas. Ille tibi narrabit solenni carmine, quantus eras, cum terrueris Iliacas et Geticas ædes, et nivosum Stymphalum, ac juga humida Erymanthi: qualem te dominus armenti Iberi, et præses Mareoticus crudelis altaris senserint. Ille tibi cantabit, ut subieris Inferos, et spoliaveris mortis fores, et plorantes virgines Lybiæ ac Scythiæ. Nec

brogii *Alcides.*—98 Marklandus non dubitat quin Statius scripserit: *vittas et amantes tempora laurus.*—99 'Posset legi *solenni pectine;* sed alterum multo magis mihi placet.' *Markl.*—101 Parmensis: *Stymphalion.*—105 *Concitet et flentes Libyæ Scithiæque* Parm. *Concinet et flentes Libyæ Scythiæve* in ceteris.—106 Parmensis: *Nec te regnator Macetum;* Rom. Venett. Aldd. Colin. Gryph. omnesque aliæ: *Non te regnator Macedum.* Vide Drakenborch. ad Sil. Ital. XVII. 633.

NOTÆ.

98 *Vittas*] Quia poëtæ, ministri ac sacerdotes Apollinis, vittas et laurus gerebant. Ex quo conjicimus Nonium Vindicem fuisse poëtam.

100 *Iliacas*] Cum Hercules Trojam vi expugnavit. *Geticasque*] Cum Diomedem Thracum sive Getarum regem propriis equis, quos ille humana carne alebat, epulandum tradidit. *Quantusque nivalem Stymphalon*] Cum Stymphalidas aves humana carne vescentes a lacu Arcadiæ Stymphalide abegit, vel occidit, secundum alios.

101 *Quantusque jugis Erymanthon aquosis*] Cum aprum Erymanthium occidit in Erymantho monte Arcadiæ, cujus jugum aquosum Poëta vocat, quia multi fluvii Arcadiæ fontes habent in vertice hujus montis.

102 *Pecoris possessor Iberi*] Geryonem Hispanum intelligit, quem occidit, et cujus boves abduxit Hercules.

103 *Sævæ Mareoticus arbiter aræ*] Busiris, rex Ægypti, qui super aras advenas immolabat, quique ab ipso Hercule immolatus et occisus fuit. *Mareoticus*] Ægyptius, a Mareotide regione Ægypti.

104 *Spoliataque limina Mortis*] Abducto scilicet ab Hercule Cerbero.

105 *Flentes Libyæ puellas*] Hesperides, quarum mala aurea abstulit Hercules, interfecto eorum pervigili dracone. Hesperides autem colebant illum celeberrimum Africæ seu Libyæ hortum, in quo erat arbor, quæ mala aurea ferebat. *Scythiæque puellas*] Amazones, quæ a Scythis oriundæ, et quas vicit Hercules, earumque reginæ Hippolyte baltheum detraxit.

106 *Regnator Macetum*] Alexander Magnus, rex Macedonum, qui et 'Macetæ' dicti. *Barbarus*] Tam re-

Hannibal, aut sævi posset vox horrida Syllæ
His celebrare modis: certe tu muneris auctor
Non aliis malles oculis, Lysippe, probari.

rex Macedonum, nec ferus Hannibal, aut vox terribilis Syllæ possent unquam te pari carmine celebrare. Certe nulli alii sunt oculi, quibus tu, Lysippe doni auctor, malles probari.

NOTÆ

spectu credulitatis ac sævitiæ, quam gentis, quia Afer. Afri autem 'barbari' Græcis et Romanis vocati.

107 *Sævi Syllæ*] Ob proscriptionem. *Vox horrida*] Qua jubebat tot cædes.

109 *Aliis oculis*] Supple, quam Vindicis: oculos enim eruditos (τεχνικὰ ὄμματα vocat Ælian. lib. XIV. cap. 47.) habebat Vindex, ut scribit Noster sup. vs. 22. *Lysippe*] Et hoc signum hujus opus fuisse testatur Martialis lib. IX. Epig. 45. 'Alciden modo Vindicis rogabam, Esset cujus opus laborque felix. Risit, nam solet hoc: levique nutu, Græce numquid, ait, poëta, nescis? Inscripta est basis, indicatque nomen. Λυσίππου lego, Phidiæ putavi.' Alio Epigrammate ejusdem lib. IX. celebravit illud signum Martialis, quod ascribendum hic operæ pretium puto, quod illud epigramma et Hercules Epitrapezios sibi mutuam lucem præstant: 'Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone Mitigat exiguo magnus in ære Deus, Quæque tulit, spectat resupino sidera vultu, Cujus læva calet robore, dextra mero: Non est fama recens, nec nostri gloria cœli; Nobile Lysippi munus opusque vides. Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni, Qui cito perdomito victor in orbe jacet. Hunc puer ad Libycas juraverat Hannibal aras: Jusserat hic Syllam ponere regna trucem. Offensus variæ tumidis terroribus aulæ, Privatos gaudet nunc habitare lares. Utque fuit quondam placidi conviva Molorchi, Sic voluit docti Vindicis esse Deus.'

VII. LYRICUM AD MAXIMUM JUNIUM.†

Maximum Junium in Dalmatia diutius morantem ad Urbem revocat, eique natum filium amice gratulatur.

JAMDIU lato spatiata campo

Erato, quæ jam diu spatiaris in lato campo, interrumpe labores magnanimi

Parmensis: *Ode Lyrica ad Maximum Junium;* in ceteris: *Lyricum ad Maximum Junium.*—1 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *satiata campo;* Morellus correxit: *spatiata campo.*—

NOTÆ

† *Junium*] Gens Junia Romæ antiquissima et celeberrima multos Consules tulit, inter quos L. Brutus, qui libertatem et consulatum instituit, jure primus numerandus est. Junii pluribus cognominibus distincti, ut Brutorum, Bubulcorum, Scævarum, Silanorum, ac Maximorum.

1 *Lato campo*] Achilleidis.

Fortis heroos Erato labores
Differ: atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.
Tuque regnator Lyricæ cohortis
Da novi paulum mihi jura plectri,
Si tuas cantu Latio sacravi,
Pindare, Thebas.
Maximo carmen tenuare tento:
Nunc ab intonsa capienda myrto

Herois, et coarcta in breviores orbes magnum opus. Et tu, Pindare princeps catervæ Lyricæ, da mihi copiam novi plectri, si celebravi Latinis versibus tuas Thebas. Conor tenuare carmen in honorem Maximi: nunc colligendæ coronæ ab inamputata

2 Domitius legit: *Fortis herois;* et ita Venet. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et Gevart. *Fortis heroos* Heins. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—3 Marklandus legendum putabat: *atque ingens epos,* ut Epithal. Stell. 251.—9 Parmensis: *Maximum carmen.*—11 *Nunc major sitis et bidendus* Ald. 1. *nunc*

NOTÆ

2 *Fortis*] Id est, quæ celebras facta fortium virorum. *Heroos*] Achillis. Propertius lib. III. El. 2. 'Quis te Carminis Heroi tangere jussit opus.' *Erato*] Una e Musis.

3 *Ingens opus*] Achilleidem. *In minores Contrahe gyros*] Metaphora ducta ab equestri arte, in qua, equi majores, mox breviores orbes seu gyros facere docentur.

5 *Regnator Lyricæ cohortis Pindare*] Lyricorum enim Pindarus facile princeps, ut ait Quintilianus. *Lyricæ cohortis*] Lyrica cohors sunt novem Poëtæ Lyrici. Primus Pindarus Thebanus, de quo vide Tiburtinum Manlii vs. 101. Alcæus Mitylenæus, qui scripsit Æolica dialecto. Sappho Scamandronymi ex Cleide uxore filia, Lesbia. Stesichorus Euphemi filius Catanensis, in cujus infantis ore lusciniam cecinisse proditum est: bella scripsit et magnanimos duces Dorica dialecto. Anacreon Teius Parthenii filius, qui acino uvæ passæ suffocatus est: scripsit Ionica lingua. Ibycus Rheginus, seu Messenius, qui Dorice scripsit. Bacchylides Ceus Milonis filius. Alcman Dimantis filius Spartanus, qui Dorice scripsit, et pediculari morbo extinctus est. Simonides ex Iulide oppido Ceæ insulæ. Eorum omnium scripta fere perierunt.

6 *Novi plectri*] Sic Lyrico ad Septimium Severum: 'Non solitis fidibus.' Quia hoc genus poëmatis novum erat Papinio.

7 *Si tuas cantu Latio sacravi, Pindare, Thebas*] Composita Thebaide.

9 *Carmen tenuare*] Deducere, unde 'deductum carmen' pro tenui et subtili eleganter positum est a Virgilio Ecl. VI. teste Macrobio lib. VI.

10 *Intonsa myrto*] Quia corona myrtea donabantur Lyrici Poëtæ et Elegiaci. *Intonsa*] Id est, intacta, ex qua nondum ramus decerptus est, quo alius coronatus sit.

Serta; nec major sitis; et bibendus
Castior amnis.
Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes? ubi Dite viso
Pallidus fossor redit, erutoque
Concolor auro.
Ecce me natum propiore terra
Non tamen portu retinent amœno
Desides Baiæ, liticenve notus
Hectoris armis.

myrto, nunc major sitis est, et potandus castior fluvius. Quando Dalmatiæ montes te reddent grato Latio? ubi fossor pallidus, et ejusdem coloris ac extractum aurum, revertitur e fodina, aspecto Plutone. Ecce ego, quamvis natus sim prope segnes Baias, illæ tamen non me retinent in grato portu, nec tubicen celebris armis Hec-

major sitis et bibendus Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Brix. Vicent. Ald. 2. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. Lectio nostra est ex ingenio Marklandi.—17 Parmensis: *Ecce me vatum.*—19 Eadem editio: *laticenve motus.* In Gro-

NOTÆ

14 *Dalmatæ montes*] Vide supra Lacrymis Etrusci vs. 90. *Ubi Dite viso Pallidus fossor redit, erutoque Concolor auro*] Quærendo enim auro terræ tam alte effodiuntur, ut pæne retegant Inferos avaritiæ cuniculis. Vide Plinium lib. XXXIII. cap. 4. Forsan per *Ditem visum* alludit ad monstrorum genus, quæ in hunc diem metallorum fossoribus, in profundioribus terræ regionibus, obversari solere referunt rerum metallicarum scriptores. Hos 'dæmunculos montanos' vocant passim: de quibus ita Georgius Agricola lib. ult. de Animalibus Subterraneis: 'Sunt denique,' inquit, 'mites quidam dæmones, quos Germanorum alii, ut etiam Græci, Cobalos vocant, quod hominum sunt imitatores. Nam quasi lætitia gestientes rident, multa videntur facere, cum nihil faciant. Alii nominant virunculos montanos, significantes staturam, qua plerumque sunt, nempe nani tres dodrantes longi. Videntur autem esse seneciones, et vestiti more metallicorum, id est, vittato indusio, et corio circum lumbos dependente induti. Hi damnum dare non solent metallicis; sed vagantur in puteis et cuniculis. Et cum nihil agant, in omni laborum genere se exercere videntur; quasi modo fodiant venas, modo in vasa infundant id quod effossum est, modo versent machinam tractoriam. Quanquam vero interdum glareis lacessant operarios, rarissime tamen eos lædunt: nec lædunt unquam, nisi prius fuerint cachinno aut maledicto lacessiti; non dissimiles iis dæmonibus, quos Gutelos aut Trullas Germani vocant, quos sexu tam mulieris, quam viri ementito, cum apud alias nationes, tum apud Sueones maxime in famulatu fuisse aiunt.' *Dite*] Dis idem qui Pluto. *Pallidus*] Metu scilicet ob visum Plutonem. *Erutoque Concolor auro*] Sic Silius de Asturibus: 'Aster avarus Visceribus laceræ telluris mergitur imis, Et redit infelix effosso concolor auro.'

17 *Propiore terra*] Neapoli.

Torpor est nostris sine te Camœnis ;
Tardius sueto venit ipse Thymbræ
Rector, et primis meus ecce metis
Hæret Achilles.
Quippe, te fido monitore, nostra
Thebais multa cruciata lima
Tantat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.
Sed damus lento veniam, quod alma
Prole fundasti vacuos penates.

toris. Nostræ Musæ languent sine te. Ipse Apollo Thymbræus venit serius solito, et ecce meus Achilles moratur in primis carceribus. Quippe nostra Thebais vexata multa lima, te fideli monitore, æmulatur audaci lyra famam Mantuanam. Sed ignoscimus tibi tarde venienti, quod fulcisti alma sobole vacuam domum. O diem

novii editione et Veen. est : *liricenve notus ; laticemve motus* Romana.—20 Parmensis et Romana : *Hectoris amnis.*—22 Parmensis : *tymbræ.*—35 Pro *pro-*

NOTÆ

19 *Desides Baiæ*] Baias *desides* dicit, quia desides et pigros reddit. Qui enim amœnitatem soli aërisque ejus temperiem experti sunt, vix ac ne vix quidem avelli possunt a tam grato loco. *Liticenve notus Hectoris armis*] Intelligit Misenum armigerum Hectoris : 'Quo non præstantior alter Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.'

21 *Camœnis*] Musis. Camœnæ dicuntur Musæ, quasi Canenæ, a canendo.

22 *Ipse Thymbræ Rector*] Apollo, hinc Thymbræus dictus. Locus erat prope Trojam.

23 *Primis metis*] Id est, primis carceribus. Sic Epith. Stellæ : 'Hippomenes nec sic meta pallebat in ipsa.'

24 *Hæret Achilles*] Achilleis, seu poëma de Achille.

25 *Monitore*] Monitor hic quasi præceptor.

26 *Cruciata lima*] Illi enim 'Thebais bissenos fuit multum vigilata per annos.' Metaphora ducta a fabris, qui ferrum lima expoliunt.

27 *Audaci fide*] Modestius loquitur sub finem Thebaidis : nam suam Thebaidem sic alloquitur : 'Vive precor, nec tu divinam Æneida tenta, Sed longe sequere, et vestigia semper adora.' *Mantuanæ*] Id est, Virgilianæ : Virgilius enim erat Mantuanus.

30 *Prole fundasti*] Hinc παῖδας οἴκων στόλους, *liberos columnas domorum*, vocat Euripides Iphigenia. Pollux lib. II. cap. 2. οἴκων στηρίγματα. Tacitus 'munimenta.' Plinius lib. IV. Epist. 21. 'Cui nunc unus ex tribus liberis superest, domumque pluribus adminiculis ante fundatam desolatus fulcit ac sustinet.' Apuleius Miles. VII. 'Quæ decimo partus stipendio viri familiam fundaverat.' *Vacuos penates*] Domus dicitur 'vacua' in qua non

O diem lætum! venit ecce nobis
Maximus alter.
Orbitas omni fugienda nisu,
Quam premit votis inimicus hæres,
Optimo poscens (pudet heu) propinquum
Funus amico.
Orbitas nullo tumulata fletu.
Stat domo capta cupidus superstes
Imminens leti spoliis, et ipsum
Computat ignem.
Duret in longum generosus infans,
Perque non multis iter expeditum
Crescat in mores patrios, avumque
Provocet actis!
Tu tuos parvo memorabis enses,

festum! ecce alter Maximus nobis nascitur. Orbitas evitanda est toto conatu, quam inimicus hæres urget suis votis, optans promtam mortem, o pudor, optimo amico. Orbitas sepelitur nullis lacrymis. Avidus hæres occupat expugnatas ædes, inhians mortis exuviis, et computat impensam ipsius funeris. Nobilis puer vivat longos annos, et adolescat in patrios mores per viam paucis facilem, et contendat factis cum avo. Tu narrabis parvo egregia facinora, quæ edideris ad Orientalem

pinquum Parmensis et Romana exhibent: *propinqui.*—36 *Funus amici* Parm. —37 Parmensis: *cumulata fletu;* Romana: *timulata fletu.*—44 *Provocet artis*

NOTÆ

sunt liberi. Sallustius conjurat. Catil. 'Pro certo creditur, necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse.'

31 *O diem lætum*] Exclamatio in magno gaudio.

32 *Maximus alter*] Filius nempe Maximi.

33 *Orbitas omni fugienda nisu*] Tam ob leges contra orbos et cœlibes latas, quam ob rationem hic a Poëta allatam.

34 *Quam premit votis inimicus hæres*] Quale votum est illius apud Persium: 'Pupillumve utinam quem proximus hæres Impello, expungam.'

37 *Orbitas nullo tumulata fletu*] Infelicem putabant, eum qui ἄκλαυστος moriebatur, id est, cujus mors non plorabatur.

39 *Et ipsum Computat ignem*] Id est, sumtus ipsius rogi seu funeris.

41 *Duret in longum generosus infans*] Idem Dionysius Halicarnassæus in Epilogo Genethliacon, probat votum pro longa et beata vita ejus, cujus natales celebrantur: Οὐκ ἀπὸ τρόπου ποιοῦμεν τοῖς τε ἄλλοις καὶ τοῖς γενεθλίοις περὶ τοῦ μέλλοντος βίου, καὶ πολλὰς περιόδους λόγων τελέσαντας, εἰς λιπαρὸν καὶ εὔδαιμον γῆρας παρελθεῖν.

44 *Provocet*] Tentet superare.

45 *Tuos enses*] Id est, tua præclara facinora in bello.

Quos ad Eoum tuleris Orontem
Signa frænatæ moderatus alæ
Castore dextro:
Ille, ut invicti rapidum secutus
Cæsaris fulmen, refugis amaram
Sarmatis legem dederit, sub uno
Vivere cœlo.

Orontem, præfectus turmæ equitum, favente Castore. Memorabis ut ille avus secutus præceps fulmen invicti Cæsaris imposuit acerbam legem vagis Sarmatis, ut

Parmensis.—46 Parmensis et Romana: *tuleras orontem.*—47 Parmensis et Romana: *moderatus aulæ.*—51 Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et Gevart. *sub imo.* Gronovius Reliq. ad Sylv. notat Petr. Scriverium legere *sub*

NOTÆ

46 *Orontem*] Orontes fluvius Syriæ. Orontem peculiari nomine Arabes, *Annaharalmaclub* 'fluvium inversum' vocant; quod, cum alii ex Septemtrione ferantur in Austrum, hic contra incedat ab Austro in Septemtrionem. Namque circa *Balebec*, id est, Heliopolim exortus ad occidentales Emesæ partes labitur in lacum *Alcades*, alluens eam a Septemtrione, et postea Hamatam ab ortu, supra quam effunditur in cognominem Apameæ lacum, eoque relicto progreditur ad Orientem montis, *Allocam*, id est, Amani, et inflexus cursum capescit Occasum inter et Austrum, transiensque præter Antiochiæ murum, apud oppidum *Suveidia*, (quod nomen a Seleucia ostio Orontis proxima, cui nempe idem veteres tribuere, detortum puto,) exit in mare. Etiam idem amnis *Almeimas* nuncupatur, at rariori usu; frequentissimo autem *Alhasi*, id est, 'rebellis et inobsequens' dicitur, propterea quod non nisi grandium rotarum ope extra alveum sublatus rigandis arvis inserviat, ubi ex alveo suo alii facile se duci patiantur. Ex illo autem Orontis per lacus transitu patere videtur, quomodo explicanda sint, quæ de ejusdem fluvii, uti et Tigridis ac Nili, sub terram summersione ac nova emersione Strabo et alii prodiderunt: Strabo enim tradit Orontem hiatu, qui inter Anthiochiam et Apamiam appellatur χάρυβδις ἢ χάσμα, absorptum et perditum post 40. stadia rursus emergere. Prius Typhon a fabuloso gigante Typhone fulmine occiso dictus est, deinde nomen sumsit ab Oronte, qui eum ponte junxit. Dicitur *Eous* sive Orientalis, quia Cœlesyria vergit ad Orientem. Lucanus: 'Accedunt Syriæ populi, desertus Orontes.'

47 *Signa frænatæ moderatus alæ*] Hinc discimus Junium præfectum fuisse alæ equitum.

48 *Castore dextro*] Castor enim equitandi peritissimus.

49 *Ille*] Avus nempe.

50 *Refugis amaram Sarmatis legem dederit, sub uno Vivere cœlo*] Nulla enim gravior lex imponi poterat populis vagari assuetis, ut erant Sarmatæ, quam ut uni loco cogerentur inhærere. Horatius II. Od. 9. 'Intraque præscriptum Gelonos Exiguis equitare campis.' Livius lib. XXXVIII.

Sed tuas artes puer ante discat,
Omne quis mundi senium remensus
Orsa Sallustî brevis, et Timavi
Reddis alumnum.

degerent in uno tractu. Sed infans erudiatur ante tuis artibus, quibus scribens universam mundi historiam, imitaris Sallustium, qui brevitatem affectavit, et Livium alumnum Timavi.

uno; et sic est in Parmensi.—55 *Trojani* vet. Lindenbrogii, Rom. et Venet. 2. *torani* Parm. *Timavi* ceteræ editiones.

NOTÆ

'Manlius, evocatis eo regulis Gallorum, leges, quibus pacem servarent cum Eumene, dixit, denuntiavitque, ut morem vagandi cum armis finirent, agrorumque suorum terminis se continerent.'

54 *Omne mundi senium remensus*] Hinc discimus Maximum Junium historiam a primordiis orbis composuisse. Catullus de Corn. Nepote: 'Ausus es unus Italorum Omne ævum tribus explicare chartis.'

55 *Sallustî*] Sallustius historiæ Romanæ scriptor notissimus. *Brevis*] Id est, qui brevitatem affectavit. *Timavi*] Timavus fons et fluvius in Istria inter Aquileiam et Tergistum: profluit ex Alpibus, terraque conditus fertur per stadia trecenta et triginta, mox iterum emergens in mare Adriaticum novem ostiis effunditur. Polybius dicit accolas vocare hunc fluvium, 'fontem' et 'matrem maris.' Virgilius Æneid. I. 'Fontem superare Timavi, Unde per ora novem vasto cum murmure montis It mare præruptum, et pelago premit arva sonanti.'

56 *Alumnum*] T. Livium Patavinum, celeberrimum illum historiæ Romanæ scriptorem.

VIII. AD JULIUM† MENECRATEM OB PROLEM.

Cum Julio Menecrate Neapolitano amice expostulat, quod nata filiola sibi non scripserit, eique de tertia sobole gratulatur.

PANDE fores Superum vittataque templa Sabæis

Parthenope aperi limina Deorum, et imple templa vittata Sabæis vaporibus, et

In Parmensi Epigraphe hujus Eclogæ est: *Julio Menecrati Congratulatio.* Vide Præfat. hujus libri. *Ad Julium Menecratem ob prolem* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. &c.—1 Parmensis: *vitataque templa.*—

NOTÆ

† *Julium*] Julius Menecrates, ille erat civis Neapolitanus ditissimus ac nobilissimus, quem cum socero Pollio inter præcipuos amicos colebat Papinius noster.

1 *Pande fores Superum*] In lætitia enim publica templa Deorum aperiebantur. *Vittataque templa*] Virgili-

Nubibus et pecudum fibris spirantibus imple,
Parthenope: clari genus ecce Menecratis auget
Tertia jam soboles: procerum tibi nobile vulgus
Crescit, et insani solatur damna Vesevi.
Nec solum festas secreta Neapolis aras
Ambiat: et socii portus, dilectaque mitis
Terra Dicarcheæ, nec non plaga cara madenti
Surrentina Deo sertis altaria cingat;
Materni qua littus avi, quem turba nepotum

extis palpitantibus pecudum. Jam tertia proles auget domum clari Menecratis. Generosa plebs optimatum adolescit tibi, et reparat damna furentis Vesuvii. Nec tantum Neapolis et vicini portus, et cara tellus lenis Dicarchi, redimiat sertis aras, sed etiam ora Surrentina dilecta humido numini, ubi avus maternus habitat, quem

6 Venet. 1. *secrata Neapolis;* in ceteris omnibus: *secreta.* Marklandus tentabat *lætata*, ut apud Claud. Sec. Cons. Stilich. 177. de re simili.—7 Parmensis: *dilectaque miti.*—8 *Dicarchei* edd. vett. *Dicarcheæ* edidit Marklandus. Vide ad II. 2. 93. et III. 1. 92.—10 Parm. et Rom. *qua turba nepotum.*—

NOTÆ

us Æn. IV. 'Fuit in tectis de marmore templum Conjugis antiqui, miro quod honore colebat Velleribus niveis, et festa fronte revinctum.' Et tangit morem, quo his occasionibus templorum fores vittis ornabantur. *Sabæis Nubibus*] Metonymice pro vaporibus thureis. *Sabæis*] Quia thus apud Sabæos Arabiæ populos nascitur. Vide Plinium lib. XII. cap. 14.

2 *Et pecudum fibris spirantibus imple*] Victimæ etiam in hoc casu Diis immolabantur, quarum exta adhuc spirantia avulsa aris imponebantur ex more. Theb. IV. 'Sancti de more parentis, Semineces fibras et adhuc spirantia reddit Viscera.'

3 *Parthenope*] Neapolis.

5 *Et insani solatur damna Vesevi*] Vide Eclogam ad uxorem vs. 72.

6 *Festas aras*] Sacras.

7 *Et socii portus*] Id est, vicini, seu affines, ut Cumæ, Formiæ, Caieta. *Dilectaque*] Ob Pollium socerum, qui natus Puteolis. *Mitis Terra Dicarcheæ*] Puteoli. *Mitis*] Quia ibi justitia olim optime administrabatur.

8 *Madenti*] Id et de Neptuno, cujus templum in Surrentino erat, potest accipi, et de Baccho; Surrentinum enim vinum nobile erat. Vide Surrentinum. Ea enim ibi de Baccho intelliguntur: 'Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos Uritur, et prelis non invidet uva Falernis.' Et hæc de Neptuno: 'Ante domum tumidæ moderator cœrulus aulæ Excubat, innocui custos laris: hujus amico Spumant templa salo.' Hinc ratio τοῦ *madenti.*

9 *Sertis altaria cingat*] Et hoc ex more: coronabantur enim sertis aræ, ut jam alibi diximus.

10 *Materni avi*] Pollii Felicis, cujus filiam Menecrates uxorem duxerat. *Qua*] Id est, in Surrentino agro;

Circuit, et similes contendit reddere vultus.
Gaudeat et Libyca præsignis avunculus hasta;
Quæque sibi genitos putat, attollitque benigno
Polla sinu: macte, o juvenis, qui tanta merenti
Lumina das patriæ: dulci fremit ecce tumultu
Tot dominis clamata domus: procul atra recedat
Invidia, atque alio liventia pectora flectat.
His senium, longæque decus virtutis, et alba
Atropos, et patrius lauros promittit Apollo.
Ergo quod Ausoniæ pater augustissimus urbis

cohors nepotum ambit, et certat sua similitudine exprimere ejus vultum. Et avunculus conspicuus hasta Libyca lætetur, et Polla, quæ eos credit sibi genitos, et attollit in benigno sinu. Macte o juvenis qui das tanta decora bene merenti patriæ. Ecce domus, in qua tot heri vagiunt, personat grato strepitu. Niger livor longe migret, et vertat alio invidum animum. Favens Atropos his pollicetur senectutem, et longam vitam virtute ornatum, et Apollo paternas laurus. Igitur, quod Augus-

15 Venett. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *dulci tremit ecce tumultu;* Parm. *dulcis tremit ecce tumultus.* Heinsius ad Ovid. Met. IX. 207. legit: *dulci fremit ecce tumultu,* quod in textum primus admisit Marklandus.—17 Idem Marklandus legendum censet: *atque alio liventia lumina flectat.*—19 Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *et patrius lauros promisit Apollo;* Gronovius edidit: *et patrias lauros,* eumque secuti sunt Barth. Veen. et Delph. *patrius* revocavit Marklandus, et pro

NOTÆ

nam ibi Pollius habitabat in magnifica villa, quam descripsit Noster in Surrentino.

11 *Et similes contendit reddere vultus*] Hoc intelligi potest et de similitudine liberorum Menecratis inter se: Virgilius: 'Simillima proles Indiscreta suis, gratusque parentibus error:' et de ea, qua Pollium avum referebant.

12 *Libyca hasta*] Hasta hic significat imperium, et designat proconsulatum seu præfecturam Libyæ seu Africæ. Sic 'hasta centumviralis,' pro cura Centumvirum. *Avunculus*] Frater matris.

13 *Sibi*] A se, quia ex filia.

14 *Polla*] A via materna.

15 *Lumina das patriæ*] Ita Græce φῶτες honorifice vocantur φῶτα, seu φάη. *Dulci*] Parentibus scilicet.

16 *Tot dominis clamata domus*] Id est, in qua tot domini vagiunt. Sic Theb. v. 'Et non speratis Lemnos clamatur alumnis.' *Procul atra recedat Invidia, &c.*] Ut quæ soleat nimium felices affligere. *Atra*] Quia causa luctus, cui niger color convenit.

18 *Alba Atropos*] Atropos una Parcarum: *alba* dicitur hic, ut via Domitiana 'candidæ sorores,' quæ scilicet vellere albo nent vitam felicium. Vide Epith. Stellæ vs. 24.

19 *Patrius* [*patrias*] *lauros*] Menecrates igitur Poëta. Alii codices habent *patrius,* quia Parthenope condita oraculo Apollinis, ut jam diximus.

20 *Ausoniæ Pater augustissimus urbis*] Domitianus.

Jus tibi tergeminæ dederat lætabile prolis,
Omen erat: venit toties Lucina, piumque
Intravit repetita larem: sic fertilis, oro,
Stet domus, et donis nunquam nudata sacratis.
Macte, quod et proles tibi sæpius aucta virili
Robore: se juveni lætam dat virgo parenti:
Aptior his virtus, citius dabit illa nepotes.
Qualis maternis Helene jam digna palæstris

tissimus Pater urbis Ausoniæ concesserat tibi gratum jus trium liberorum, faustum erat præsagium. Toties Lucina venit, et revocata subiit pium larem. Sic fæcunda, oro, stet domus, et nunquam egeat sacris donis. Macte, quod duobus filiis jam tibi natis, puella gratior veniat juveni patri. Hi aptiores virtuti, illa dabit citius nepotes. Qualis Helene jam digna maternis palæstris reptabat nuda inter germanos

promisit ex conjectura legit, *promittit.*—24 Edd. vett. *nunquam mutata sacratis.* Marklandus aliquando tentabat: *nunquam viduata sacratis;* postea vero ex conjectura in textum intulit: *nunquam nudata sacratis.*—25. 26 Edd. vett. Venet. 1. Parm. Rom. Aldd. &c. *Macte, quod et proles tibi sæpius aucta virili Robore; sed juveni lætam dat virgo parenti;* Gevartius: *seu juveni;* Amstel. Gronovius, Barthius, &c. *se juveni.* 'Locus perplexissimus: tertiam prolem Julio Menecrati hac Epistola Papinius gratulatur, hoc est filiam post gnatos binos jam editos in lucem: quomodo ergo *sæpius aucta proles virilis,* si binis non plures fuere filii; nec profecto fuere plures: pro *seu juveni* vetus editio Parmensis *sed juveni;* Bernartius *se juveni,* (hoc falsum; *sed juveni* habet Bernartius;) sed ne sic quidem sublata sit difficultas. Lege: *Macte, quod ut proles tibi se prius aucta virili Robore, sic juveni lætum dat virgo parenti:* possis etiam, *sic juveni se jam dat virgo parenti.*' Ita Heinsius in Advers. lib. I. cap. 2. p. 16. Marklandus putabat Statium scripsisse: *se juveni mediam dat virgo parenti.* Barthius: *det virgo parenti.*—27 'Mihi omnino spurius et insititius videtur hic versus, quod et clarius patebit si spectes totius sententiæ connexionem. Uncinis igitur

NOTÆ

21 *Lætabile*] Quia et illud jus trium liberorum honorificum erat, nec promiscue et omnibus concedebatur. Plinius lib. x. Ep. 2. 'Exprimere, domine, verbis non possum, quantum gaudium mihi attulerit, quod me dignum putasti jure trium liberorum.' Ex quo patet, pro singulari munere Imperatores claris tantum viris id honoris et præmii dare. Quin et multa privilegia sequebantur hoc jus, in spectaculis, honoribus petendis, et divisionibus publicis.

22 *Omen erat*] Supple, te aliquando vere patrem fore trium liberorum. *Lucina*] Dea, quæ præest partui.

24 *Et donis nunquam nudata* [*mutata*] *sacratis*] Id est, nunquam egeat jure trium liberorum, quod munus est sacrum, ut ab Imperatore profectum; nam si egeret, mutata foret domus, aliquemque ex suis amitteret.

26 *Lætam*] Gratiorem. Nam gratior est filia post natos mares.

27 *Citius dabit illa nepotes*] Quia puellæ citius collocantur, quam mares.

28 *Maternis Helene jam digna palæstris*] Jam grandior, et quæ se jam potest exercere in maternis palæs-

Inter Amyclæos reptabat candida fratres:
Vel qualis cœli facies, ubi nocte serena
Admovere jubar mediæ duo sidera lunæ.
Sed queror haud faciles, juvenum rarissime, questus,
Irascorque etiam, quantum irascuntur amantes.
Tantane me decuit vulgari gaudia fama
Noscere? cumque tibi vagiret tertius infans,
Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Litera, quæ festos cumulare altaribus ignes,
Et redimire chelyn, postesque ornare juberet,
Albanoque cadum sordentem promere fumo,

Amyclæos: vel qualis facies cœli, ubi clara nocte duo astra admoverunt suum splendorem mediæ lunæ. Sed, o præstantissime juvenum, tecum expostulo, nec leviter. Et etiam succenseo quantum amici succensent. Mihine est honorificum, me discere tam lætum nuntium plebeio rumore? et quod, cum tertia soboles vagiret in tua domo, non statim epistola ad me celeriter venit, quæ præscriberet accendere festos ignes supra aras, et coronare citharam, liminaque ornare frondibus, ac depromere cadum vini Albani squalentem fumo, et celebrare hunc diem carmine

excipiatur.' *Markl.*—35 Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *vagitet*, cum dixisse debuerit *vagitaret;* Morell. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. et Barth. *vagiret.*—39 Romana: *premere fumo.*—40 Bentleius in Notis ad Hor.

NOTÆ

tris. Lacones enim studio palæstræ tenebantur. Unde *maternæ palæstræ.*

29 *Candida*] Id est, nuda. *Amyclæos fratres*] Pollucem et Castorem. *Reptabat*] Συνέρπουσα, id est, gradiens, vel volutabatur. Luctatores enim interdum in terra volutabantur. Ovidius in Epistola Paridis ad Helenam: 'More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra Ludis, et es nudis fœmina mixta viris.' Et Propertius lib. III. Eleg. 13. 'Inter quos Helene nudis capere arma papillis Fertur, nec fratres erubuisse Deos.' De hoc more Laconum consulendi Xenophon et Plutarchus in Lycurgo.

31 *Duo sidera*] Duo Planetæ.

33 *Quantum irascuntur amantes*] Amantium enim iræ celerrime transeunt, nec durant.

37 *Quæ festos cumulare altaribus ignes*] Id ex more: accendebant enim ignem supra altaria, tam ad adolendas quasdam victimæ partes, quam ut thura in eum injicerent.

38 *Et redimire chelyn*] Ornare enim floribus solebant citharas in gaudio. *Postesque ornare juberet*] Ex more etiam, ut jam diximus, ædium postes in lætitia seu publica, seu privata ornabant.

39 *Albanoque cadum sordentem promere fumo*] Hoc etiam in gaudio, tam publico, quam privato fieri consueverat, ut apud nos. Porro Albanum vinum memorat Juvenalis Sat. XV. 'Albani veteris pretiosa senectus.' Nam vinum Albanum inter optima vina est celebratum. Vide Plinium lib. XXIII. cap. 1. et Horatium IV.

Et creta signare diem? sed tardus inersque
Nunc demum mea vota cano? tua culpa, tuusque
Hic pudor: ulterius sed enim producere questus
Non licet: en hilaris circumstat turba tuorum,
Defensatque patrem: quem non hoc agmine vincas?
Di Patrii, quos auguriis super æquora magnis

genethliaco. Sed tardus et iners nunc demum tibi congratulor. Tua culpa est, tuusque hic pudor. Sed tamen fas non est proferre ulterius meas querelas. En læta liberorum turba ambit et tutatur suum patrem. Quem non vincas hoc agmine? Dii patrii, quos classis Abantia, magnis auguriis acta, tulit super mare ad oram

Carm. I. 36. *Et creta signare diem;* quod recepit Marklandus. Antea legebatur: *Et cantu signare, &c.*—44 *Defensasque patrem* Romana; *Densatque pa-*

NOTÆ

Od. 11. Ceterum veteres credebant fumo maturitatem, et quasi vetustatem vino conciliari. Columella lib. I. Horatius III. Od. 8. 'Amphoræ fumum bibere institutæ.' Quod tamen improbat Plinius loco citato: 'Vinum,' inquit, 'si sit fumo inveteratum, est insaluberrimum.'

40 *Et creta* [*cantu*] Id est, carmine Genethliaco, ex more. *Tardus*] Sero, cum debuissem statim ac nata est puella.

41 *Mea vota*] Quæ feceram, ut tibi cresceret familia. *Tua culpa*] Quia non misisti mihi epistolam, qua certior fierem tanti tui gaudii.

44 *Defensatque patrem*] Contra meas querelas: vel veniam petunt pro patre.

45 *Di Patrii*] Idem qui et Penates: certe Penates et Dii Patrii sæpe conjunguntur, et pro iisdem capiuntur. Utrique vel publice, vel privatim colebantur. Qui publice colebantur, non erant plurium nationum, sed certi populi, iique quos populus a majoribus traditos colit. Hocque numero comprehenduntur tam Dii majorum gentium, qui peculiaribus beneficiis nationem affecerant, quam Heroës, aut Manes eorum, qui aut conditores, aut conservatores Reip. publica auctoritate in Deorum numerum erant relati, aut quicumque in locis publicis positi. Cicero pro Sylla: 'Vos, Dii Patrii, ac Penates qui huic urbi, atque imperio præsidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem, populumque Romanum, qui hæc tecta ac templa, me consule, vestro numine, auxilioque servastis.' Idem pro Sextio, et in de Aruspicum responsis conjungit 'Deos patrios ac penates.' *Gronovius.*

Dionysius Halic. testatur Penates Græcis *πατρῴους*, id est, *patrios*, dici, ut etiam Martianus Capella: 'Post ipsum,' inquit, 'Jovem Dii Consentes et Penates, qui et Patrii, et Genethlii.' Ut autem Resp. habebat suos 'Deos patrios' ac penates, sic privati habebant suos peculiari cultu a familia sua consecratos. Hos Lares etiam vocabant. *Quos auguriis super æquora magnis*] Quoties enim populi mutabant sedes, aut colonos mittebant, toties capiebant auguria, ac oracula consulebant, ut hic infra dicitur Apollo direxisse classem Abantiam.

Littus ad Ausonium devexit Abantia classis;
Tu, ductor populi longe emigrantis, Apollo,
Cujus adhuc volucrem læva cervice sedentem
Respiciens blande felix Eumelis adorat:
Tuque, Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo

Ausoniam, tu, Apollo, qui fuisti dux populi procul commigrantis, et cujus humero sinistro molliter insidentem avem fortunata Eumeli filia adhuc respiciens adorat, et tu, Ceres Attica, cujus causa mystæ anhelo cursu semper silentes movemus votivam

trem Venet. 2. et vet. Lindenbrogii.—47 Parm. et Rom. *longe migrantis.* —48 Romana: *cervice serentem.* Vide ad Kal. Decembr. 24.—50 *Tuque acea*

NOTÆ

46 *Ausonium*] Italicum. *Abantia*] Id est, Euboica, quia Eubœa insula, antiquitus Abantias dicta.

47 *Apollo*] Apollo dicitur Abantiam classem direxisse, quia Chalcidenses Eubœa profecti sunt oraculo Apollinis, et in has Italiæ oras devenerunt.

48 *Cujus adhuc volucrem læva cervice sedentem Respiciens blande felix Eumelis adorat*] Tangit historiam, qua Parthenope Eumeli filia, unde *Eumelis* dicitur, coloniæ Chalcidensium dux pervenit Neapolim, secuta augurium columbæ, ut jam alibi diximus. In hujus autem rei memoriam duæ statuæ conflatæ sunt, Apollinis una, cujus humero lævo columba insidebat; altera vero Parthenopes, quæ respiciebat hanc columbam, ac adorare videbatur. Papinius alibi: 'Parthenope, cui mite solum trans æquora vectæ Ipse Dionæa monstravit Apollo columba.' Dicit 'felicem' Parthenopen, quod feliciter hanc classem duxerit, ac nomen tam claræ urbi dederit.

50 *Actæa Ceres*] Ceres dicitur *Actæa*, id est, Eleusinia, ab Eleusi oppido Atticæ, quæ prius Acte vocabatur, ubi Ceres religiosissime colebatur. *Cursu cui semper anhelo Votivam taciti quassamus lampada mystæ*] In sacris enim Cereris discurrebant citissime, et facibus accensis, hoc *cursu anhelo* demonstrantes errores, et lassitudinem Deæ ob inquisitionem filiæ Proserpinæ, quæ rapta fuerat, et in qua pervestiganda dicitur totum fere orbem face accensa peragrasse. Noster Theb. XII. 'Qualis ab Ætnæis accensa lampade saxis Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ Ausonium Siculumque latus, vestigia nigri Raptoris, vastosque legens in pulvere sulcos.' *Mystæ*] Id est, initiati sacris Cereris. Dicuntur *taciti* vel quia taciti discurrebant, vel quia sacra Cereris divulgare nefas. Cicero in Verrem Act. v. 'Tuque Ceres, et Libera, quarum sacra, sicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque occultissimis cærimoniis continentur.' Horatius III. Od. 2. 'Est et fideli tuta silentio Merces: vetabo qui Cereris sacrum Vulgarit arcanæ, sub iisdem Sit trabibus fragilemque mecum Solvat Phaselum.' Seneca Troadibus: 'An sacris gaudens tacitis Eleusis.' Idem Hippolyto: 'Non inter aras, Attidum mistam Choris, Jactare tacitis conscias sacris faces.' *Votivam*] Quia in votis habebant initiari sacris Eleusinis.

Votivam taciti quassamus lampada mystæ:
Et vos, Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
Taygeta, umbrosæve magis coluere Therapnæ,
Hos cum plebe sua patrii servate Penates.
Sint, qui fessam ævo crebrisque laboribus urbem
Voce opibusque juvent, viridique in nomine servent.
His placidos genitor mores, largumque nitorem
Monstret avus; pulchræ studium virtutis uterque.
Quippe et opes et origo sinunt, hanc lampade prima

facem, ac vos Tyndaridæ, quos aspera Lycurgi Taygeta, et obscuræ Therapnæ non plus adoraverunt, quam nos, et vos patrii Penates custodite Menecratem cum suis liberis. Sint, qui voce et divitiis juvent civitatem confectam senio, et frequentibus calamitatibus, et conservent illam florentem in novo nomine. Hos pater doceat morum lenitatem, et avus splendorem liberalis vitæ, uterque amorem pulchræ virtutis. Nam et divitiæ et genus permittunt, hanc primis hymenæis nuptum dari in



ceres Parmensis.—51 Eadem: *tanti quassamus lampada mixtæ;* Romana: *taciti quassamus lampade mestæ.*—53 Edd. ante Marklandum omnes: *umbrosæque.* Ald. 1. *theramnæ;* Ald. 2. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *terapnæ.*—54 Pro *patrii servate penates* Gronovius Diatr. cap. 41. dicit aliquem suspicari posse Statium scripsisse: *patriæ servate penates,* ad evitandam ταυτολογίαν, cum supra vs. 45. dixerit: *Dii Patrii, quos, &c.*—55 Nic. Heinsius ad Silium Italicum XIV. 583. pro *crebrisque laboribus* legit: *Vesbique vaporibus;* vel: *crebrisque vaporibus.*—58 Parm. et Rom. *Monstrat avis.*—59 Parm. *hāc lampade;* Rom. Aldd. Venett. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *hac lampade.* Lectionem nostram dedit Gevartius Papin. Lect. IV. 11. eumque secuti sunt Gronov.

NOTÆ

52 *Et vos, Tyndaridæ*] Castor et Pollux Tyndari filii. *Horrenda Lycurgi Taygeta*] Taygeta, seu Taygetus, mons Laconiæ: dicitur 'horrendus,' ob severas leges, quas tulit Lycurgus, et austeram disciplinam Spartanorum. Ex his versibus discimus, Apollinem, Cererem Eleusiniam, et Dioscuros coli apud Neapolim, ut patrios Deos ac penates.

53 *Umbrosæ Therapnæ*] Therapnæ oppidum Laconiæ, in quo religiose culti Dioscuri, sive Castor et Pollux. *Umbrosæ*] Ob sylvas, vel montes.

54 *Patrii Penates*] Hoc loco vocat *Penates,* quos supra 'Deos Patrios,' ut eosdem, vel quia semper jungebantur cum Diis Patriis.

55 *Fessam ævo*] Nam vetustissima Neapolis. *Crebrisque laboribus*] Vel incendio Vesuvino, vel inundatione aquarum, quod sæpe accidit, vel terræ motu, vel aliis calamitatibus.

56 *Voce opibusque juvent*] Λόγῳ καὶ ἔργῳ, *dictis factisque. Viridique in nomine servent*] Ludit in nomine Neapolis, quod novam urbem significat.

57 *Genitor*] Pater Menecrates, qui placidis erat moribus. *Largumque nitorem*] Per *nitorem,* elegantiam morum vitæque, ac liberalitatem intelligit, ut jam monuimus.

58 *Avus*] Pollius, cui noster dat semper laudem elegantis, politi, ac liberalis viri.

59 *Quippe et opes et origo sinunt,*

Patricias intrare fores; hos, pube sub ipsa
(Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint
Numina) Romulei limen pulsare Senatus.

Patricia domo ; hos sub ipsa pubertate (si modo numen invicti Cæsaris faveat) intrare in senatum.

Barth. Veen. et Delph.—60 Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. *hæc pube;* Parm. *hos pube,* quod receperunt Gevart. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *his pube* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii ; *hac pube* in aliis.—61 Pro *prona* Parm. Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, *plena.*—62 *Limina Romulei* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii.

NOTÆ

hanc lampade prima Patricias intrare fores; hos, pube sub ipsa (Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint Numina) Romulei limen pulsare Senatus] Mens Poëtæ : Opes et genus esse liberis Menecratis, ut hæc, filia scilicet, primis nuptiis, quæ per ' lampadem ' designantur, (faces enim adhibitas nuptiis sciunt omnes,) nubere possit patricio ; quod Poëta significat per *patricias intrare fores.* Nam veteri more nova sponsa ad faces deducebatur sponsi domum. *Lampade prima*] Ut Theb. II. ' Primis Hymenæis.' Vide ibidem. Hi vero, id est, filii, possint induere latum clavum, ac Senatui interesse, jure quidem filiis senatorum ab Augusto concesso, sed quo tamen non uterentur, nisi indulgentia, ac favor principis accederet. *Opes*] Certus enim census requirebatur in dignitatibus ; unde ' census senatorius,' ' census equestris.' *Origo*] Genus non solum requirebatur ad dignitates obtinendas, sed etiam ad nuptias : quædam enim mulieres Senatoribus aut Equitibus nubere non poterant legibus Romanis. *Prona bonis*] Summa principum laus favere bonis. *Romulei*] Romani. *Pulsare*] Sic Protreptico ad Crispinum : ' Nec paupere clavo Augustam sedem et Latii penetrale senatus Advena pulsasti.'

IX. RISUS † SATURNALITIUS AD PLOTIUM ‡ GRYPHUM.

Jocatur Poëta, quod Saturnalibus pro suo alium librum a Plotio acceperit, cum aliud quidpiam fuisset mittendum.

Est sane jocus iste, quod libellum

Jocus sane iste est, quod, Gryphe, mihi misisti librum pro libro. Urbanum tamen

Risus Saturnalitius ad Plotium Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. et Veen. *Risus Saturnalitius ad Plotium Grippum* Barth. in Notis et Delph. *Plotio Grippo* tantum in Parm. *Risus Saturnalitius ad Plotium Gryphum* Markl. *Lusus Saturnalitius* Nic. Heinsius ad Ovid.

NOTÆ

† *Risus*] Solebant enim Saturnaliorum diebus simul jocari, et sibi munera leviora ac vilia missitare.

‡ *Plotium*] Gens Plautia seu Plotia

Misisti mihi, Gryphe, pro libello.
Urbanum tamen hoc potest videri,
Si post hoc aliquid mihi remittas:
Nam si ludere, Gryphe, perseveras,
Non ludis: licet, ecce, computemus:
Noster purpureus novusque charta,
Et binis decoratus umbilicis,

hoc potest haberi, si post hoc remittas mihi aliquid. Nam si, Gryphe, pergis ludere, non ludis. Licet, ecce utrumque librum æstimemus. Noster purpureus, et recenti papyro, et insignitus duobus umbilicis, præter laborem meum, emi decem assibus.



Trist. I. 1. 5. Prudent. Cathemer. v. 22. et in Advers. lib. IV. cap. 8.—2 *Griphe* Heins. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *Grippe* Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et Gevart. *Gryphe* Markl.—4 *Si post hunc*, sc. libellum, Barthius. *Si posthac aliquid mihi remittes* Heiusius Gronovio Syllog. Epist. Tom. III. p. 473.—5 Alii *Griphe*, vel *Grippe*. Vide ad vs.

NOTÆ

patricia ac consularis; unde Plotium vocat Statius, in Epistola ad Marcellum quarto Sylvarum libro præposita, 'Majoris gradus juvenem.' Ceterum Plotius hic Gryphus, sic enim legendum, non Grippus, ille est, de quo Tacitus III. Histor. sic loquitur: 'Plotium Gryphum nuper a Vespasiano in senatorium ordinem additum, ac legioni præpositum monuit.' Idem III. Hist. 'Tertio Juliano prætura, quod transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata, ut in Plotium Gryphum transferretur.'

1 *Est sane jocus iste, quod libellum Misisti mihi pro libello*] Imitatus est Catullum Poëta ad Calvum: 'Di magni horribilem et sacrum libellum, Quem tu scilicet ad tuum Catullum Misti continuo, ut die periret Saturnalibus optimo dierum.'

3 *Urbanum*] Sic ἀστεῖον Græcis, ut et ἀστεϊσμὸς, *urbanitas*.

4 *Si post hoc aliquid mihi remittas*] Quo librum tuum pessimum compenses.

5 *Perseveras*] Si non miseris aliquid post librum.

6 *Non ludis*] Id est, non jocaris, sed derides.

7 *Purpureus*] Id est, cujus corium, quo tegitur et compingitur, purpurei est coloris.

8 *Et binis decoratus umbilicis*] Umbilici erant ornamenta quædam librorum ex diversa materia, ut ligno, osse, cornu, ære, &c. quæ compactis demum libris apponebantur: hinc natæ illæ locutiones, 'ad umbilicum ducere,' 'ad umbilicum pervenire,' Horatio et Martiali aliisque familiares, quæ operis absolutionem significant: sic dicti, quod in medio ponebantur, vel quod umbonis speciem præ se ferrent, tumore quodam protuberantes. Similia ornamenta videmus adhuc in veteribus Ecclesiæ libris. Iidem dicuntur et 'cornua' Martiali lib. XI. Ep. 107. 'Explicitum nobis usque ad sua cornua librum.' Quia plerumque ex cornu fiebant.

Præter me, mihi constitit decussis.
Tu rosum tineis, situque putrem,
Quales aut Libycis madent olivis,
Aut thus Niliacum piperve servant,
Aut Byzantiacos olent lacertos;
Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino juvenis foro tonabas,
Aut centum prope judices, prius quam

Tuus comesus a blattis, et mucidus, quales chartæ sunt, quæ aut humectantur olivis Libycis, aut involvunt thus Niliacum ac piper, teguntque lacertos Byzantinos, nec continet orationes, quas juvenis personabas in triplici foro, aut ante Centumviros,

2.—9 *Præter me* subobscurum est, inquit Heinsius Gronovio Syllog. Epist. Tom. III. p. 473. alibi vero: Nescio an satis sanum sit. Gevart. Gronov. Morell. Barth. Veen. et Delph. *decussi;* Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *decussis*, quod revocavit Markl.—13 Heinsius Gronovio Syllog. Epist. Tom. III. p. 469. scribit: 'Τὸ *colunt* offendit aures meas. Vide ne scripserit Statius, *olent*.' Ita etiam corrigit in Advers. lib. IV. cap. 8. p. 618. Hanc Gronovii conjecturam surripuit Marklandus.—15 *Quæ trino niveus ore tonabas* Parmensis; *juvenis foro rorabus* vet. Lindenbrogii et Venet. 2.—

NOTÆ

9 *Præter me*] Id est, præterquam quod sim auctor: miserat enim Papinius Plotio Grypho operum suorum librum. *Decussis*] Id est, decem assibus. *Decussis*, ut 'centussis' apud Persium: 'Et centum Græcos curto centusse licetur.'

11 *Quales*] Fatum ineptorum librorum inservire involvendis mercibus. Martialis Epigrammate ad librum suum lib. IV. 'Si damnaverit, ad salariorum Curras scrinia protinus licebit.' Idem lib. III. ad eundem: 'Ne nigram cito raptus in culinam Cordillas madida tegas papyro, Vel thuris piperisque sis cucullus.' *Libycis olivis*] Erant omnium pessimæ Africæ seu Libyes olivæ, teste Plinio.

12 *Thus Niliacum*] Id est, interpolatum in Ægypto, unde Romam afferri solebat. Vide Plinium lib. XII. cap. 13. Alioqui verum thus, nec adulteratum soli Arabiæ proprium. Vide ibidem.

13 *Byzantiacos lacertos*] Lacertus, genus piscis ad salsamenta idonei. Hi pisces prope Byzantium capiebantur, et hinc Romam afferebantur. Vide Plinium lib. XXXII. cap. ult.

15 *Trino foro*] Ante Augustum Romæ duo tantum erant fora, Romanum et Julium, in quibus judicia fiebant: tertium addidit Augustus, non sufficientibus duobus prioribus, ut discimus ex Suetonio cap. 29. Augusti: 'Causa,' ait, 'fori exstruendi fuit hominum et judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius, nec dum perfecta Martis æde, publicatum est cautumque ut separatim in eo publica judicia et sortitiones judicum fierent.'

16 *Aut centum judices*] Intelligit Centumviros, de quibus egimus Soteriis Gallici.

Te Germanicus arbitrum sequenti
Annonæ dedit, omniumque late
Præfecit stationibus viarum;
Sed Bruti senis oscitationes
De capsa miseri libellionis,
Emtum plus minus asse Caiano,
Donas: usque adeone defuerunt

priusquam Germanicus te præfecisset obsequenti annonæ, et tibi commisisset custodiam cunctarum viarum; sed das fastidiosa scripta longævi Bruti, de pluteo pauperis bibliopolæ, emta circiter asse Caiano. Usque adeone defuerunt pilea confecta ex

17 Venet. 1. Parm. et Rom. *sequentis;* alii *frequenti*, quos refellit Gronovius Diatr. cap. 45. quibuscum vero non pugnaverit Barthius.—22 Pro *asse Caiano* Domitius ad Kal. Decemb. 17. legit *asse Gaiolo;* et notat, Gaiorum nu-

NOTÆ

17 *Germanicus*] Imperator Domitianus. *Arbitrum Annonæ*] Id est, præfectum. Quæ dignitas olim inter præcipuas. Augustus eam creavit, tenuitque, dum vixit, ut videre est apud Dionem lib. LIV. Quo mortuo curavit annonam C. Turanius, qui a Tacito refertur inter primores magistratus, qui jurarunt in verba Tiberii. Tempore Boëthii omnino eviluit, ut testatur ipse Boëthius in de Consolat. Phil. Prosa IV. 'Si quis quondam curasset populi annonam, magnus habebatur. Nunc ea præfectura quid abjectius.' *Sequenti*] Idem est, ac facili, obsequenti, obedienti procuranti Plotio. Ovidius Ep. Phædræ: 'Qua licet, et sequitur, pudor est miscendus amori.' Plinius lib. XI. cap. 2. 'In magnis siquidem corporibus, aut certe majoribus, facilis officina sequaci materia fuit.' Noster Achill. I. 'Qualiter artificis victuræ pollice ceræ Accipiunt formas, ignemque manumque sequuntur.' *Gronovius.* Pro *sequenti,* legit Gevartius *frequenti.*

18 *Omniumque late Præfecit stationibus viarum*] De cura viarum, earumque curatoribus, vide Ep. ad Marcellum vs. 60.

20 *Bruti senis oscitationes*] Quidam hæc accipiunt de scriptis Bruti amici Ciceronis, cujus scripta dicuntur auctori Dialogi de Oratoribus, 'otiosa' et 'disjuncta.' Sed melius de alio Bruto intelligenda sunt. Nam ille familiaris Ciceronis, princeps conjurationis in Cæsarem, quique Philippensi acie victus est, non senex periit. Et bene dicit *oscitationes;* quia mala et inepta scripta faciunt oscitare legentes. Hinc Martialis lib. II. Ep. 6. 'Lectis vix tibi paginis duabus Spectas ἐσχατοκώλιον Severe, Et longas trahis oscitationes.' Sed et hic *oscitationes* accipi possunt pro libris negligenter scriptis.

22 *Asse Caiano*] Assem Caianum exponit Turnebus Adv. lib. XX. coëmtionalem, quo nimirum conjuges in nuptiis contrahendis sese mutuo emebant dicis causa, unde hic pro vili pretio accipitur. Formula illius mimicæ coëmtionis nota est antiquariis. Caii et Caiæ nomina in nuptiis conjugibus dari solita, auctor Quintilianus lib. I. et Plutarchus in Quæst.

Scissis pilca suta de lacernis?
Vel mantilia, luridæve mappæ?
Chartæ, Thebaicæve, caricæve?
Nusquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus, atque coctanorum?

scissis lacernis? vel mantilia? tritæve mappæ, ac chartæ, Thebaicæ, caricæve? Nusquam globus prunorum ac cottanorum conditus turbine inverso? Non ellychnia

mismata in arte erant.—24 *Cæsis pilea supta* Parm. *Cæsis pilea suta* Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Scissis pilea suta* Nic. Heinsius Gronovio loco laudato. Hanc quoque emendationem quasi suam venditat Marklandus.—25 Heinsius ibidem: *sordidæve mappæ.*—27 'Reor scriptum fuisse, *ruventi* pro *rubenti,* atque hinc natum *ruenti.*' Heins. ibid.—28 Omittit

NOTÆ

Roman. Problemate 30.

24 *Scissis* [*Cæsis*] *pilea suta de lacernis*] Pilea inter munera Saturnalitia. Martial. lib. XIV. Ep. 132. 'Si possem totas cuperem misisse lacernas: Nunc tantum capiti munera mitto tuo.' Porro ex attritis lacernis pilea fieri solita scribit Brodæus Miscell. lib. X. cap. 30. Ceterum lacerna erat genus vestis virilis fimbriatæ, et fere militaris, quæ et 'chlamys' Græce vocatur, dicta, ut ait Festus, quod minor capitio sit. Erant apud veteres lacernæ albæ, quarum usus erat in spectaculis, et togæ superimponebantur ad arcenda frigora: erant coccineæ, erant militares. Nobiliores autem ac illustriores non utebantur lacernis nisi pluvio tempore, aut in spectaculis. Vide Bayfium de Re Vestiaria.

25 *Luridæve mappæ*] Mappas et inter xenia Saturnalitia numeratas tradit Martialis lib. VII. Ep. 52. 'Omnia misisti mihi Saturnalibus, Umber, Munera, contulerant quæ tibi quinque dies; Bissenos triplices, et dentiscalpia decem: His comes accessit spongia, mappa, calyx.'

26 *Chartæ*] Nam et hæ inter munera Saturnalitia. Martialis lib. XIV. Ep. 10. 'Non sunt munera, quæ putas, puella, Cum donat vacuas poëta chartas.' *Thebaicæve*] Per Thebaicas intelligit palmarum fructus: nam palmæ in Ægypto nobiles, ut discimus ex Isidoro aliisque. Quidam jungunt *Thebaicæve* cum *chartæ. Thebaicæ*, ex Ægypto, cujus Thebe oppidum nobile. *Caricæ*] Genus fici, ex Caria allati primum. Unde nomen generalius sumitur pro quibusvis ficis. Vide Saturn. Decembres. Ficos vero fuisse inter munera Saturnalitia patet ex Martiali lib. IV. Ep. 46. 'Et ficus Libycæ gelata testæ.'

27 *Turbine ruenti Prunorum globus, atque coctanorum*] Turbo ruens, ait Cruceus, est inversus, qui metæ figuram refert, et pro ea sæpe ponitur: unde Plinius lib. II. figuram umbræ terræ, ait esse similem metæ ac turbini inverso, quando mucrone tantum ingruat. Itaque 'metam' appellat Martialis XIII. Epig. 28. quem Statius 'turbinem' vocat: 'Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta. Si majora forent cottana, ficus erat.' Et hoc quia in vasculo turbinis seu metæ formam referente hujusmodi fructus servabantur, et inter Saturnalitia xenia mittebantur. Potest etiam tur-

Non ellychnia sicca, non replictæ
Bulborum tunicæ, nec ova tantum?
Non leves alicæ, nec asperum far?
Nusquam Cinyphiis vagata campis
Curvarum domus uda cochlearum?
Non lardum breve, debilisve perna?
Non Lucanica, non graves Phalisci,

arida, non replicitæ tunicæ bulborum, non ova saltem, non tenues alicæ, nec asperum far? Nusquam humida casa curvarum cochlearum, quæ inveniuntur in agris Cinyphiis? Non ponderosum laridum, levisque perna, non lucanica, non pleni phalisci?

hunc versum editio Romana.—29 *Non Eulichnia* Parm. Vix sanam esse scripturam: *non replictæ Bulborum tunicæ*, opinabatur Heinsius.—30 'Ne illud quidem placet, *ova tantum:* olim *tandem* legebam; nunc *ova matrum* emendo.' *Markl.* Turnebus conjecerat, *ova tota;* quod probare videtur Morellus.—34 *Non lardum hirave* corrigebat Heinsius Advers. lib. IV. cap. 9. p. 620. *Non lardum grave* edd. vett. Lectio nostra est a Gronovio.—

NOTÆ

bo ruens exponi, qui firmiter rectus consistere non potest: quales etiam hodie fiunt e juncis, aut virgulis tenuibus inter se junctis, quod forsan Martialis per 'metam tortam' intelligit. *Prunorum*] Intellige pruna Damascena, quæ mitti solita his diebus. Vide Saturn. Dec. 'Et quæ pia germinat Damascus.' *Globus*] Παλάθη Græce. Παλάθη enim ficuum dicitur globus vel massa. Cottana etiam ac pruna in massas sic componebantur. *Cottanorum*] Cottana ficus Syriacæ minores. Vocem Syriacam esse dicit Casaubonus in Athenæum. Pruna etiam et cottana conjungit Juvenalis Sat. III. 'Advectus Romam, quo pruna ac coctana vento.' Et Martialis Epigrammate supra laudato ad Umbrum: 'Parvaque cum canis venerunt coctana prunis.'

29 *Ellychnia sicca*] Vox Græca Ellychnia, ut θρυαλλίδες, funiculi lucernarum ex stupa, vel alia etiam materia. *Sicca*] Sine oleo. *Replictæ*] Pro replicitæ. Sic porxit, pro porrexit.

30 *Bulborum tunicæ*] Hos et inter xenia Saturnalitia ponit Martialis lib. XIV. Ep. 34. lib. IV. Ep. 46. *Tantum*] Saltem.

32 *Cinyphiis*] Africanis, a Cinyphe fluvio Africæ.

33 *Domus uda*] Testa limacis: dicitur *uda*, quia limaces humorem quendam emittunt. Africanæ autem cochleæ laudatissimæ erant, quarum cibus stomacho medetur. Post Africanas laudantur Astypalæicæ et Siculæ ac Balearicæ: laudatæ et ex insulis Caprearum. Plinius lib. XXX. cap. 6. Bulbos et cochleas conjungit Petronius: 'Mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis cochlearumque sine jure cervicibus, hausi parcius merum.' Vide et Plinium lib. I. Ep. 15. Domitius interpretatur *cochleas* testudines. Sed fallitur.

34 *Debilisve perna*] Perna inter munera Saturnalitia. Martialis lib. XIII. Ep. 54. 'Cæretana mihi fiet, vel massa licebit De Menapis: lauti de petasone vorent.

35 *Lucanica*] Farciminis genus, 'isicia' item vocata. *Lucanica* dicta, quod e Lucania illæ cupediæ porcorum afferebantur. *Non graves Pha-*

Non sal, oxygarumve, caseusve,
Aut panes viridantis aphronitri,
Vel passum psythiis suis recoctum,
Dulci defruta vel lutosa cœno?
Quantum vel dare cereos olentes,

Non sal, oxiporumve, ac caseus, aut massæ virentis aphronitri? vel passum maturatum in psythiis suis? vel defruta densa grato cœno? Quantum erat vel donare

35 *Falisci* Heinsius.—36 Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ, *oxiporumve;* Parm. *oxigarumve;* Markl. *oxygarumve.*—38 *Vel passum positis suis* prisci codd. Domitii Calderini; unde ille: *psythiis suis;* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, *psythiis uvis.*—40 Heinsius ad Prudent. Cathemer. v. 22. ex Parmensi restituit *olentes* pro vulg. *nitentes.* Vide Advers. p. 622. Domitius in codd. suis invenit, *aventes,* unde ille fecit, *arentes.* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, *arentes,* vel *aventes.* Turnebus legebat: *cereos erat tres;* Mo-

NOTÆ

lisci] Phaliscus etiam genus farciminis, inventum primum in Phaliscis, ut ait Varro. Phalisci enim primi ventrem porcinum condierunt. Martialis epig. citato: 'Et Lucanica ventre cum Phalisco.' Vide eundem lib. XIII. Ep. 35. et Athenæum lib. IX. cap. 5. unde *graves* vocat Papinius.

36 *Oxygarum* [*oxyporum*] Oxyporum genus condimenti. Oxygarum vocat Columella, quem consule. *Caseusve*] Caseus etiam in Saturnalibus missus. Martialis Epig. citato lib. IV. 'Cum bulbis, cochleisque, caseoque.'

37 *Aut panes viridantis aphronitri*] Aphronitrum spuma nitri. Martialis lib. XIV. Ep. 58. 'Rusticus es, nescis quid Græco nomine dicar. Spuma vocor nitri: Græcus es, Aphronitrum.' *Viridantis*] Quia nitrum viride. Vide Plinium lib. XXXI. cap. 10. ubi ait illud in pastillis afferri solere: quamobrem *panes aphronitri* dicuntur Statio. Panes vero non e frumento tantum, sed ex alia quoque re, per similitudinem vocantur, ut observat Casaubonus in Suetonium. Sic apud nos panes quos vocant *pains d'espice.*

38 *Passum*] Vini genus, quod olim e Creta mittebatur, ex uva quam Græci 'sticam;' Romani 'apianam' et 'sirpulam' appellabant. Fiebat pluribus modis: diligentiores uvas siccabant sole, donec paulo amplius dimidium pondus superforet: sicque a patiendo sole 'passum' denominatum erat. *Psythiis suis recoctum*] Id est, maturatum sole in psythiis suis, id est, uvis 'psythiis' vocatis; passum enim ex uvis etiam quæ psythiæ dicebantur fiebat. Unde Virgilius Georg. II. 'Psythia passo utilior.' Et Georg. IV. 'Vel psythia passos de vite racemos.' Vide Columellam lib. I. et Macrob. lib. III. cap. 20.

39 *Dulci defruta vel lutosa cœno*] Defrutum est, vinum ad dimidiam partem coctum. *Dulci cœno*] Nam defrutum densum est, et lentescit in speciem cœni. *Dulce*] Epithetum vini.

40 *Quantum*] Supple, erat. *Cereos olentes* [*nitentes*] Mittebantur et Cerei Saturnalibus rogatione Publicii Tribuni plebis, qui cum videret divites Saturnaliorum occasione gravia extorquere munera a pauperibus, jussit ut his tantum mitterentur cerei. Di-

Cultellum, tenuesve codicillos?
Ollares, rogo, non licebat uvas,
Cumano patinas vel orbe tortas,
Aut unam dare synthesin (quid horres?)
Alborum calicum, atque caccaborum?

cereos, cultellumve, ac parvos codicillos? Non licebat, rogo, dare uvas servatas in ollis, patinasque tortas in orbe Cumano, aut unam synthesin (quid horres?) candido-

rellus: *cereos aratos.*—43 Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 9. p. 622. pro vulg. *in orbe*, legit *vel orbe*, quam emendationem, quasi suam, in textum admisit Marklandus.—45 Salmasius ad Histor. August. Script. Tom. II. p. 773. legit *Alvorum* pro *Alborum*, et hoc comprobare videtur Gudius ad Phædr. III. 13. Heinsius vero ad Ovid. Art. Am. III. 244. et in Advers. l. l. vult *Obbarum.*—

NOTÆ

cuntur *nitentes* ab usu. Martialis lib. XIV. Ep. 42. 'Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes.' Quidam tamen codices habent *arentes;* sicque dictos interpretantur, quia, ut jam diximus, a tenuioribus mittebantur. Idem Martialis lib. X. Epig. 87. 'Absit cereus aridi clientis.'

41 *Cultellum, tenuesve codicillos*] Hi etiam in Saturnalibus mittebantur. *Codicillos*] Id est, pugillares qui dicebantur, duplices, triplices, quintuplices, a duobus, tribus, et quinque foliis.

42 *Ollares uvas*] Ollares uvas vocant Scriptores quæ in ollis fictilibus conditæ perennant, et sunt durabiles. Plinius tradit venuculam uvam ollis aptissimam. Hinc illud Horatianum, 'Venucula convenit ollis.' Ollares uvæ os, stomachum, et aviditatem excitant, paulo tamen graviores existimantur fieri vinaciorum halitu. Galenus eas celebrat, putatque saluberrimas. Docet Columella lib. XII. cap. 43. quemadmodum ollæ fictiles parandæ sint, quibus uvæ conditæ serventur. Vide et Plinium lib. XIV. cap. 1.

43 *Cumano orbe*] Id est, in rota figulina Cumana: nam patinæ Cumanæ fictiles præstabant; quod et Plinius scribit et Martialis lib. XIV. Ep. 114. 'Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam Municipem misit casta Sibylla suam.'

44 *Synthesin (quid horres?)*] Synthesis significabat et vestem pretiosam, et numerum septenarium de qualibet re, ut hic videmus, et colligitur ex Martiali lib. IV. Ep. 46. 'Septenaria synthesis Sagunti.' Quia ex Saguntina argilla fiebant pocula. Itaque Poëta ludit in ambiguitate hujus vocis Synthesis; nam cum Synthesin petiisset, veritus ne Gryphus offenderetur magnitudine muneris, vestem intelligens, statim addit, *quid horres?* quasi dicat, Non peto synthesin vestem, sed synthesin calicum ac caccaborum. Hinc patet Synthesin non unum vas fictile, ut ait Domitius, sed plura significare.

45 *Alborum calicum, atque caccaborum*] Mentionem et facit horum munerum Martialis Epigr. supra citato ad Umbrum. Et lib. XIV. Ep. 108. et 115. *Alborum*] Id est, vel pellucidorum, vel vilium ac simplicium, ad extenuandum pretium.

Sed certa velut æquus in statera,
Nil mutas, sed idem nihil rependis.
Quid? si cum bene mane semicrudus
Illatam tibi dixero salutem,
Et tu me vicibus domi salutes?
Aut cum me dape juveris opima,
Expectes similes et ipse cœnas?
Irascor tibi, Gryphe: sed valebis:
Tantum ne mihi, quo soles lepore,
Et nunc hendecasyllabos remittas.

rum poculorum, et lebetum? Sed justus velut in fideli lance; nihil mutas, sed remittis librum pro libro. Quid si cum multo mane jejunus dederim tibi salutem, et tu me alternis domi salutes? Aut cum me refeceris tanto convivio, sperabis et ipse similes epulas? Succenseo tibi, Gryphe, sed valebis. Solum, et nunc mihi ne remittas Hendecasyllabos, illo quo soles lusu.

47 Parmensis: *Nihil mittis, sed idem nihil;* Venet. 1. et Rom. *Nil mutas, sed idem nihil;* Aldd. Colin. Gryph. &c. *Nil mutus, sed idem mihi.* Lectionem nostram constituit Marklandus.—48 Venet. 1. omittit vocem *mane.*—49 *Illotam* Scriverius, Heinsius Gronovio Syllog. Epist. Tom. III. l. l. et Turnebus. *Allatam* magis placet Marklando; licet *Illatam* defendat Gronovius Diatr. cap. 45.

NOTÆ

46 *Certa*] Fideli, quæ non fallit.

47 *Nil mutas, sed idem nihil [mihi] rependis*] Remittendo scilicet rem pro re, libellum pro libello: non vero rem æqualis valoris, ut queritur jocose supra.

48 *Semicrudus*] Semisopitus. Dicit enim bene mane.

49 *Illatam*] P. Scriverius corrigit *Illotam:* sed male. 'Ferre' enim, 'portare,' proprie salutationis voces. Manilius: 'Limina pervolitans, unumque per omnia verbum Mane salutandi portans.' Et Martialis lib. I. Ep. 56. 'Et matutinum portat ineptus Ave.' Unde et Plauto 'salutigeruli.' Dein *illatam* dixit, pro in domo Gryphi latam, ut 'illato lumine' Ovidius, et 'illata lumina' Statius ipse Achill. II. sequitur enim: 'Et tu me vicibus domi salutes.'

53 *Sed valebis*] Id est, ira mea non tibi malum afferet.

54 *Tantum ne mihi, quo soles lepore, Et nunc hendecasyllabos remittas*] Jocatur cum Plotio: Illud unum, ait, rogo, ne nunc etiam mihi remittas hendecasyllabos pro his meis, ut antea remisisti librum pro libro. Par jocus Augusti, qui Græculo sibi sæpius porrigenti epigrammata, sua manu descripsit epigramma, et pergenti deinde ad se obviam dedit. At ille, epigrammate lecto et laudato, accessit ad sellam principis, ac demissa in crumenam manu, paucos denarios protulit, præfatus: Νὴ τὴν σὴν τύχην, Σέβαστε, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν. *Per tuam fortunam, Auguste, si plura haberem, plura darem.* Secuto omnium risu Cæsar, dispensatore vocato, sestertia centum millia Græco numerare jussit. *Hendecasyllabos*] Versus constantes undecim syllabis.

P. PAPINII STATII

SYLVARUM

LIBER V.

AD ABASCANTIUM.[1] †

OMNIBUS affectibus prosequenda sunt bona exempla, cum publice prosint.[a] Pietas, quam Priscillæ tuæ præstas, et morum tuorum pars est, et nulli[2] non conciliare te, præcipue marito, potest.[b] Uxorem enim vivam amare, voluptas

1 *Ad Abascantium Priscillæ virum* Parmensis. *Ad Abascantium* ceteræ omnes. 'Si veterum inscriptionum fidem et rationem sequi velimus, scribendum erit *Abascantum.*' Lindenbrog. 'Titulus hujus Epistolæ in Venet. 1. est: *Epistola ad virum Priscillæ*, sine ulla mentione *Quinti libri.* Et hinc confirmatur suspicio mea, Statium emisisse quatuor tantum libros Sylvarum; et titulum *Quinti* additum esse ab aliis, non ex ipsius Auctoris divisione: quippe hæc Veneta 1. statim expressa fuit ex libris manuscriptis, in quibus absque dubio nulla fuit mentio *Quinti libri.*' Markl.—2 Edd. vett. *et morum tuorum pars, nulli, &c.* unde Gronovius Diatr. cap. 46. miratur tam parvum vitium tot sagaces oculos fefellisse, et legit: *morum tuorum pax, nulli, &c.* Postea tamen, Reliq. ad Sylv. notat cod. Salisb. et Venet. 2. habere: *morum tuorum pars et nulli, &c.* unde scribit: *morum tuorum pars est, et nulli, &c.* Barthius vero: *Pietas, quam P. t. præstas, est morum t. pars, et nulli.* 'De τῷ publice vide Gro-

NOTÆ

† *Ad Abascantium*] Hæc ad Abascantium Epistola mutila est, ut cuique patet; nam cum libellorum omnium, qui singulis Sylvarum libris continentur, mentionem facere soleat Poëta in Epistolis cuique earum libris præfixis, in hac ad Abascantium primi libelli tantum argumentum legitur.

a *Cum publice prosint*] Ad imitationem.

b *Pietas, quam Priscillæ tua præstas, et morum tuorum pars est, et nulli non conciliare te, præcipue marito, potest*] Exponit causas, quibus permotus sit ad scribendum Epicedion. Duas hic ponit latius patentes: meretur luctus hic tuus pius celebrari ab omnibus, tanquam testimonium tuorum morum; meretur in primis celebrari a bonis maritis. Tacitus Hist. lib. I.

est, defunctam religio. Ego tamen huic operi non ut unus e turba, nec tantum quasi[3] officiosus assilui:[c] amavit enim uxorem meam Priscilla, et amando fecit mihi illam probatiorem:[4] post hoc ingratus sum, si lacrymas tuas transeo.[d] Præterea, latus omne divinæ[5] domus[e] semper demereri pro mea mediocritate connitor: nam qui bona fide Deos colit, amat et sacerdotes.[f] Sed quamvis propiorem nexum[6] amicitiæ tuæ jampridem cuperem, mallem tamen[7] nondum intervenisse materiam. * * *[8] *Reliqua desunt.*

novium ad Liv. IV. 13. quod moneo, ne quis legat *publico.*' Markl.—3 Plures libri: *sed tamen tum quasi;* Parm. *nec tamen quasi;* Rom. Venet. 2. vet. Lindenbrogii, et cod. Florent. *nec tantum quasi;* Bernartius veram scripturam putat: *nec tantum otiosus.*—4 Parmensis alio ordine, et meliore judice Marklando: *fecit illam mihi probatiorem.* Mox pro *sum* Gronov. Barth. Veen. et Delph. *sim.*—5 Pro *divinæ* Parm. *divitiæ.* Paulo post eadem, *demeriti* pro *demereri.*—6 Venet. 1. et Parm. *propiorem visum;* unde Markl. conj. *propiorem usum.*—7 Marklandus legi jussit: *mallem talem.* Pro *intervenisse* Parm. habet *invenisse.*—8 Hos asteriscos tacite inseruit Marklandus.

NOTÆ

'Piso vultu habituque moris antiqui, et æstimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur. Ea pars morum ejus, quo suspectior solicitis, adoptanti placebat.' *Gronovius.*

[c] *Ego tamen huic operi, nec tantum quasi officiosus assilui, &c.*] Dicit peculiari et propria causa se ad lugendum trahi; dolorem suum non tantum officium esse, aut amico dari; quippe affectum quo Priscilla Claudiam prosecuta, quique sibi Claudiam probatiorem effecerit, a se quoque lacrymas mereri et extorquere. *Idem.*

[d] *Si lacrymas tuas transeo*] Id est, si non lacrymas tuas versibus meis celebro.

[e] *Latus omne divinæ domus*] Sic vocat ministros et amicos imperatoris.

[f] *Qui bona fide Deos colit, amat et sacerdotes*] Adulatur Domitianum, qui Deus voluit appellari, ac sub nomine Herculis coli. Inde ejus ministros 'sacerdotes' vocat.

I. ABASCANTII IN PRISCILLAM PIETAS.

Laudat Priscillam Abascantii uxorem et miseri mariti pietatem admiratur.

Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras,

Si meæ manus facile discere possent tabulas pingere, aut ducere viros vultus ex

Parmensis: *Epicedion in Priscillam Abascantii uxorem;* ceteræ omnes:

Aut ebur impressis aurumve animare figuris;
Hinc, Priscilla, tuo solatia grata marito
Conciperem: namque egregia pietate meretur,
Ut vel Apelleo vultus signata colore,
Phidiaca vel nata manu, reddare dolenti:
Sic auferre rogis umbram conatur, et ingens
Certamen cum Morte gerit, curasque fatigat
Artificum, inque omni te quærit amare metallo.
Sed mortalis honos, agilis quem dextra laborat.
Nos tibi, laudati juvenis rarissima conjux,
Longa, nec obscurum finem latura, perenni

ebore, vel ex auro; hinc meditarer, Priscilla, grata levamenta viro tuo: namque dignus est ob eximiam pietatem, ut tu restituare illi mœrenti, depicta coloribus Apellis, vel effıcta manu Phidiæ. Sic nititur eripere bustis tuos manes, et committit grande prælium cum morte, et lassat artem opificum, et quærit te diligere in omni metallo. Sed periturum est decus, quod manus levis efficit. Nos conamur, uxor clarissima illustris juvenis, tibi conferre victuris versibus longas inferias, nec passu-

Abascantii in Priscillam Pietas.—9 Marklandus conjectabat: *inque omni te quærit habere metallo.*—11 *Non tibi* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii.—14 Hein-

NOTÆ

1 *Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras, Aut ebur impressis aurumve animare figuris*] Imitatur Statius Pindarum Ode v. Nemæorum. Οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμ' ὥστ' ἐλινύσοντ' ἐργάζεσθαι ἀγάλματ' ἐπ' αὐτᾶς βαθμίδος Ἑστάοτα. *Statuarius non sum, ita ut fabricer simulacra, quæ sint futura immobilia super basin stantia.* Quæ Horatius ita æmulatus est IV. Ode 8. ad Marcium Censorinum: 'Neque tu pessima munerum Ferres, divite me scilicet artium, Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas; Hic saxo, liquidis ille coloribus, Solers nunc hominem ponere, nunc deum. Sed non hæc mihi vis.'

Aurumve animare figuris] Maro, 'excudere spirantia mollius æra,' et 'vivos de marmore ducere vultus.'

3 *Hinc*] Ex his scilicet artibus, pictura, aut sculptura.

5 *Apelleo*] Vide Equo Domitiano vs. 100.

6 *Phidiaca*] Vide ibidem vs. 102.

8 *Certamen cum Morte gerit*] Euripides in Alceste: *μάχην συνάψαι Δαιμόνων τῷ κοιράνῳ. Deprœliari cum principe dæmonum.* Idem: θανάτῳ ἀγῶνα *συμβάλλειν, cum morte luctari.*

9 *Inque omni te quærit amare metallo*] Te scilicet effingendo.

10 *Sed mortalis honos, agilis quem dextra laborat*] 'Quid enim,' ut ait Seneca Consolat. ad Polybium, 'immortale manus mortales fecerint?' Honorem vocat statuas et imagines in honorem alicujus conflatas. *Agilis dextra*] Hoc commendat facilitatem operis.

11 *Laudati juvenis*] Abascantii.

12 *Longa, nec obscurum finem latura,*

Tentamus dare justa lyra: modo dexter Apollo,
Quique venit juncto mihi semper Apolline Cæsar,
Annuat: haud alio melius condere sepulcro.
Sera quidem tanto struitur medicina dolori,
Altera cum volucrem Phœbi rota torqueat annum:
Sed cum plaga recens, et adhuc in vulnere primo
Ægra domus questu, miseramque accessus ad aurem
Conjugis orbati, tunc flere et scindere vestes
Et famulos lassare greges, et vincere planctus,
Fataque, et injustos rabidis pulsare querelis
Cœlicolas, solamen erat: licet ipse levandos

ras obscurum finem. Modo Apollo faveat, et Cæsar, qui semper venit cum Apolline, non digniori sepeliere tumulo. Tardum quidem remedium paratur tanto luctui, cum sol celeri orbe incipiat secundum annum: sed cum vulnus novum erat, et adhuc nigra luctu familia in prima plaga, tunc sola ratio conciliandæ auris vidui mariti, et solum levamentum erat lugere, et lacerare vestes, et fatigare turbam servorum, ac superare eorum planctus, et incessere fata, et iniquos cælites furioso questu. Quamvis

sius ad Ovid. Heroid. IV. 113. ita citat hunc versum: *Quicumque venit mihi dexter Apolline Cæsar*, sine dubio errore memoriæ.—15 Parmensis: *aut alio.* —17 *Altera cum volucris* Venett. Parm. Rom. Brix. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. nihilominus tamen Marklandus censet scripsisse Statium: *Altera cum volucrem.*—18 Idem Marklandus malit: *funere primo.*—19 *Nigra domus questu* Venett. 1. 2. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. Nic. Heinsius Not. ad Val. Flac. I. 147. et in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 576. legit: *Ægra domus questu;* quod primus admisit Marklandus. 'Adversariorum l. XCVI. cap. 5. diximus legendum: *miseram qui accessus ad aurem?* Ea lectio unius literæ mutatione omnem hic moram tollit.' *Barth.*—23 Addenda post hæc verba, *solamen erat*, nota interrogandi. Qui enim de sera consolatione

NOTÆ

perenni Tentamus dare justa lyra] Idem Lacrymis Etrusci: 'Nos non arsura feremus Munera, venturosque tuus durabit in annos Me monstrante dolor.'

14 *Quique venit juncto mihi semper Apolline Cæsar*] Adulatur Domitianum, dicitque ejus numen non minus præsens sibi esse, quam Apollinis, ac sibi inspirare carmina. Et hoc dicit, quia Domitianus poëtica arte enituit, ut diximus Achilleidis I. initio.

17 *Altera rota*] Pro secundus circuitus solis. Currum enim soli dant Poëtæ. *Volucrem*] Quia nihil citius fluit tempore.

18 *Plaga*] Extinctæ uxoris.

20 *Conjugis orbati*] Abascantii, *Scindere vestes*] In luctu scindebant vestes, ut sæpius diximus.

21 *Et famulos lassare greges, et vincere planctus*] Theb. VI. 'Asperior contra, planctusque egressa viriles, Exemplo famulas premit, hortaturque volentes.'

22 *Fataque, et injustos rabidis pulsare querelis Cœlicolas*] Veteres, doloris impatientia, fata et Deos iniquos impie vocabant. Quinetiam in his

Ad gemitus sylvis comitatus et amnibus Orpheus
Afforet, atque omnis pariter matertera vatem,
Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos;
Nil cantus, nil fila, Deis pallentis Averni
Eumenidumque audita comis, mulcere valerent:
Tantus in attonito regnabat pectore luctus!
Nunc etiam ad planctus refugit jam plana cicatrix
Dum canimus, gravibusque oculis uxorius instat
Imber: habentne pios etiamnum hæc lumina fletus?
Mira fides! citius genitrix Sipylea feretur

ipse Orpheus, comitatus nemoribus et fluviis, venisset ad sedandum dolorem, simulque omnes ejus materteræ, et omnis antistes Apollinis et Bacchi stiparent Poëtam, nihil carmina, nihil fides, quæ exoraverunt numina pallidi Averni, crinesque furiarum, possent illum solari: tantus dolor dominabatur in perculso pectore! Nunc etiam, dum canimus, jam obducta cicatrix recurrit ad luctus, et rivus lacrymarum motus desiderio uxoris extinctæ, affluit plenis oculis. Hinc adhuc fundunt pias lacrymas? Mira fides! proditur Sipyleia mater citius exhausisse ocu-

vatem interpellabant, hac interrogatione removentur.' *Idem.*—27 Margo ed. Barth. *Deis* pro *dies.*—28 *Eumenidumque audita choris* conjectabat Lindenbrogius.—32 Pro *etiamnum hæc lumina*, Parm. et Rom. *etiamnunc lumina.* Scriptum erat: *etiamnum ec*, pro *hec*, seu *hæc*; unde istud *etiamnunc.*—33 Codd. Domitii Calderini: *Sipellea fertur*; Parmensis: *si pellea fertur*; Rom. Venet. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Sipyleia fertur*; Heinsius vero ad Ovid. Fast. IV. 943. et Advers. lib. IV. cap. 3. p. 577. legit: *Sipylea*

NOTÆ

casibus quandoque eorum aræ eversæ, ac templa diruta. Suetonius Caligula cap. 5. 'Quo defunctus est die Germanicus, lapidata sunt templa, subversæ Deum aræ, lares a quibusdam familiares in publicum abjecti.'

24 *Sylvis comitatus et amnibus Orpheus*] Nota fabula de sylvis et amnibus vocem Orphei sequentibus.

25 *Afforet*] Affuisset. *Omnis matertera*] Orpheus erat filius Calliopes unius e Musis, et cum omnes Musæ erant sorores, jure alias Musas illius materteras vocat. *Vatem*] Orpheum.

26 *Apollineus Bacchique*] Vates enim sunt in tutela Apollinis et Bacchi. *Tegeret*] Texisset vel cinxisset latus vatis.

27 *Nil cantus, nil fila*] Orphei.

28 *Comis*] Serpentibus, quibus tanquam capillis caput cinctæ sunt Furiæ seu Eumenides. *Valerent*] Valuissent.

29 *Pectore*] Illius, scilicet Abascantii.

30 *Nunc etiam ad planctus refugit jam plana cicatrix Dum canimus*] Ovidius de Remedio Amoris vs. 623. 'Vulnus in antiquum rediit male sana cicatrix.' Molles enim sunt in calamitate mortalium animi.

31 *Uxorius Imber*] Id est, lacrymæ, dolore mortis uxoris expressæ.

32 *Pios*] Flere enim mortuos, pietas est.

33 *Genitrix Sipylea*] Niobe, quæ, ob

Exhausisse genas; citius Tithonida mœsti
Deficient rores, aut exsiccata fatiscet
Mater Achilleis hyemes affrangere bustis.
Macte animi: notat ista Deus, qui flectit habenas
Orbis, et humanos propior Jove digerit actus;
Mœrentemque videt, lectique arcana ministri
Hinc etiam documenta capit, quod diligis umbram,
Et colis exequias: hic est castissimus ardor;

los; tristes lacrymæ citius deerunt Tithonidi; aut mater Achillis exhausta cessabit allidere undas ad ejus tumulum. Macte animi. Numen, quod moderatur frænos mundi, et propior Jove gubernat res humanas, observat ista, et cernit dolentem; et hinc sumit etiam secreta experimenta amoris ministri, quod amas mortuos, et vene-

feretur; quod Marklandus in curis secundis legi jussit; et primi in textum receperant Editores Bipontini. Barthius in Advers. lib. XCVI. cap. 5. conjectabat: *citius Sipylæa feratur;* et hoc placuit etiam in Notis ad hunc locum.—35 Heinsius ad Ovid. Trist. I. 10. 8. et in Advers. l. l. pro *exsiccata* ex veteri codice vult *exsatiata*.—36 *Manet Achilleis* Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii. Margo ed. Barth. *affringere*.—38 Omnes edd. *digerit;* Heinsius tamen ad Claudian. VI. Cons. Honor. 590. legit *dirigit*. Hæ voces

NOTÆ

nimium dolorem de cæde liberorum, obriguisse dicitur in scopulum, Sipylum dictum. Hinc *Sipylea*.

34 *Exhausisse genas*] Lacrymis scilicet. Genas pro oculis Nostro sumi jam observavimus. Propertius de Niobe: 'De Niobe lacrymas supprimat ipse lapis.' *Tithonida*] Auroram Tithoni uxorem.

35 *Rores*] Rores, quæ mane cœlo decidunt, dicuntur lacrymæ Auroræ, mortem Memnonis filii flentis. *Exsiccata*] Lacrymis scilicet. Eadem Thetis in Achilleide: 'Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum Littus, et Iliaci scopulos habitare sepulcri.' Quia Achilles sepultus fuerat in Sigæo promontorio Trojæ, finguntque Poëtæ Thetidem semper hujus tumulo affixam et indesinenter flentem.

36 *Hyemes*] Pro undis, seu fluctibus maris, sæpe Nostro sumuntur.

37 *Deus*] Domitianus.

38 *Propior Jove*] Reges enim secundi a Deo res humanas gubernant.

39 *Mœrentem*] Abascantium. *Lectique arcana ministri Hinc etiam documenta capit, quod diligis umbram*] Signum est enim grati animi defunctos colere, quos vivos amavimus.

41 *Hic est castissimus ardor; Hic amor a Domino meritus censore probari*] Hoc ad commendandam Domitiani castitatem, qui, ut ait Suetonius, 'suscepta morum correctione probrosis fœminis lecticæ usum ademit, jusque capiendi legata hæreditatesque. Et quosdam ex utroque ordine lege Scantinia condemnavit. Incesta virginum Vestalium varie ac severe coërcuit. Equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit judicum albo.'

Hic amor a domino meritus censore probari.
Nec mirum, si vos collato pectore mixtos
Junxit inabrupta Concordia longa catena.
Illa quidem, nuptuque prior, tædasque marito
Passa alio; sed te ceu virginitate jugatum
Visceribus totis, animoque amplexa fovebat.
Qualiter æquævo sociatam palmite vitem
Ulmus amat, miscetque nemus, ditemque precatur
Autumnum, et caris gaudet redimita racemis.
Laudentur proavis, seu pulchræ munere formæ,
Quæ morum caruere bonis, falsaque potentes

raris funera. Hic ardor pudicissimus, hic amor dignus est, qui laudetur a Domino censore. Nec mirum, si longa concordia devinxit indissolubili vinculo vestros animos. Illa quidem priori marito nupserat, sed te amplexa totis visceribus et mente diligebat, ac si virgo tibi sociata fuisset. Ut ulmus diligit vitem sibi copulatam coætaneo palmite, et confundit ramos, et optat abundantem autumnum, et lætatur ornari dilectis racemis. Quæ non habent probos mores, et falsis bonis conspicuæ carent veris laudibus, celebrentur ob majores aut eximiam formam. Quanquam, o

sæpius confunduntur in vett. libris.—45 Pro *nuptumque*, quod habent Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. &c. Turnebus conj. *nuptuque*, probante Barthio; idque primus in textum recepit Marklandus.—47 Romana: *amplexa favebat.*—49 Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii: *miscetque Venus.* Vetus liber Barthii: *ditemque procatur.*—50 Markl. conj. *et crebris gaudet.*—51 *Laudatur proavis, seu pulchro* Parm. et Rom.—52 *Quæ morum carere* Parm. *falsoque potentes* Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *falsæque* legit Heinsius in Advers. lib. II. cap. 1. *falsaque* conj. Barthius; eamque conjecturam, tanquam suam, edidit Mark-

NOTÆ

43 *Collato pectore mixtos Junxit inabrupta Concordia longa catena*] 'Collato pectore mixtos,' 'cohærentia pectora,' et 'concordia mentium,' et 'mixtæ faces de pectore,' sunt peculiares phrases conjugum apud nostrum, ut jam alibi observavimus. Hæc nuptis perpetuo optat Catullus: 'Sic magis, o nuptæ, semper concordia vestras, Semper amor sedes incolat assiduus.'

45 *Illa*] Priscilla. *Nuptu* [*nuptum*] Pro nuptiis.

46 *Te*] Abascanti.

48 *Æquævo sociatam palmite vitem Ulmus amat*] Catullus: 'Vitis si forte est ulmo conjuncta marito.'

49 *Nemus*] Pro arbore sumi jam Nostro observavimus.

52 *Falsa*] Id est, falsis bonis, qualia sunt bona, quæ vocamus corporis, et fortunæ, ut forma, genus, opes. Hæc enim vere nostra vocare non possumus. Et laus vera debet esse tantum de rebus nobis propriis, ut sunt mores, et virtutes, non vero de alienis.

Laudis egent veræ: tibi, quanquam et origo niteret
Et felix species, multumque optanda maritis,
Ex te major honos, unum novisse cubile,
Unum secretis agitare sub ossibus ignem.
Illum nec Phrygius vitiasset raptor amorem,
Dulichiive proci; nec qui fraternus adulter
Casta Mycenæo connubia polluit auro.
Si Babylonis opes, Lydæ si pondera gazæ,
Indorumque dares Serumque Arabumque potentes
Divitias, mallet cum paupertate pudica
Intemerata mori, vitamque rependere famæ.

Priscilla, tibi splendor natalium foret, et egregia species, et maritis multum optanda, major gloria ex tua virtute erat, quod caste vixeris in conjugio, et alueris unam flammam in animo. Nec Phrygius raptor, nec proci Dulichii, nec fraternus mœchus, qui contaminavit pudicum matrimonium auro Mycenæo, corrupisset hunc amorem. Si præbuisses divitias Babylonis, si thesauros Lydorum, et omnes divitias Indorum, Serumve ac Arabum, mallet inviolata mori cum casta egestate, et im-

landus.—55 *Et te major honos* Rom.—57 Handius ad I. Sylv. 2. 160. legit: *raptor amorum.*—58 *Diluchiive proci* ed. Lindenbrogii.—63 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *impendere famæ;* Venett. 1. 2. Parm. et Rom.

NOTÆ

53 *Tibi*] Priscillam alloquitur.

57 *Illum amorem*] Quo Priscilla diligebat maritum. *Phrygius raptor*] Paris Trojanus qui rapuit Helenam. Nota fabula.

58 *Dulichiive proci*] Intelligit procos Penelopes. Dulichios vocat quia plerique eorum erant ex Dulichio insula, quæ parebat Ulyssi marito Penelopes. *Fraternus adulter Casta Mycenæo connubia polluit auro*] Intelligit Thyesten, qui Æropen Atrei fratris uxorem castissimam pretio corrupit, et in adulterium pellexit. *Mycenæo auro*] Vocat Poëta *aurum*, quo Thyestes corrupit uxorem fratris, *Mycenæum*, quia Mycenis, ubi erat regia Atrei fratris, hoc crimen commissum est.

60 *Babylonis opes*] De opibus Babylonis ac regum Babyloniorum consule Herodotum ac Q. Curtium. *Lydæ gazæ*] Lydii enim reges ditissimi, quorum ultimus Crœsus ceteros et divitiis et felicitate superavit, antequam a Cyro vinceretur, ac de solio dejiceretur.

61 *Indorum Serumque Arabumque*] Indi, Seres, Arabes populi opulentissimi. De iis jam alibi diximus.

63 *Intemerata*] Salvo decore matronali, pudore non extincto. *Famæ*] Id est, pro fama. Fama enim et bona existimatione vivimus. Hæc optimarum matronarum comes esse debet. Juvenalis Sat. VIII. 'Summum crede nefas animam præferre pudori, Et propter vitam vivendi perdere causas.' 'Famam' cum pudore jungit Virgilius in querelis Didonis: 'Te propter eundem Extinctus pudor, et qua sola sidera adibam Fama prior.'

Nec frons triste rigens, nimiusque in moribus horror:
Sed simplex hilarisque fides, et mixta pudori
Gratia: quod si anceps metus ad majora vocasset,
Illa vel armiferas pro conjuge læta catervas,
Fulmineosque ignes, mediique pericula ponti,
Exciperet: melius, quod non adversa probarunt,
Quæ tibi cura tori, quantus pro conjuge pallor.
Sed meliore via dextros tua vota marito
Promeruere Deos; dum nocte dieque fatigas
Numina, dum cunctis supplex advolveris aris,
Et mitem Genium domini præsentis adoras.

pendere vitam famæ. Non frons illi mæste horrida, nimiaque austeritas in moribus: sed simplex lætaque fides, et venustas verecundiæ conjuncta. Quod si dubius timor hanc vocasset ad majora, gaudens sustinuisset pro marito armatas turmas, tonitruaque, ac discrimina medii pelagi: melius fuit, quod infortunia non demonstrarunt tuam fidem, et quantum timuisses pro marito. Sed tuæ preces meliore modo reddidere Superos propitios tuo conjugi, dum nocte dieque illos rogas, dum supplex prosterneris ad omnia altaria, et colis placidum genium præsentis domini. Audita

NOTÆ

64 *Nec frons triste rigens, nimiusque in moribus horror*] Plautus in Epidico: 'Non illi caperat frons severitudine.' Sic de Polla Noster Surrentino: 'Non frontem vertere minæ, sed candida semper Gaudia, et in vultu curarum ignara voluptas.'

65 *Fides*] Hic pro sinceritate fidei ac fiducia.

66 *Anceps metus*] Id est, in quo de vita agitur.

67 *Illa*] Priscilla. *Vel armiferas pro conjuge læta catervas, Fulmineosque ignes, mediique pericula ponti, Exciperet*] Non minus forti erat animo, quam Heroina illa apud Euripidem: Σοὶ δ' ἔγωγε καὶ νοσοῦντι συννοσοῦσ' ἀνέξομαι, Καὶ κακῶν τῶν σῶν συνοίσω κοὐδὲν ἔσται μοι πικρόν· Μετὰ γὰρ τῶν φίλων ἀτυχεῖν τε χρή. *Tecum subibo volens morbum ægrota; unaque tecum sufferam tuas calamitates. Nihil mihi acerbi erit: cum amicis enim oportet ærumnas pati.* Vera causa, ut Catullus ait: 'Quod amantes Non longe a caro corpore abesse volunt.'

69 *Melius, quod non adversa probarunt*] Erat quidem Priscilla parata ad quidvis subeundum pro et una cum conjuge; sed melius fuit, quod adversa hancce illius animi amorisque significationem non exegerunt. Martialis: 'Tu melius certæ meruisti pignore vitæ, Ut tibi non esset morte probandus amor.'

70 *Pallor*] Metus, qui pallorem inducit.

71 *Dextros*] Propitios, secundos. Theb. I. 'Junoniaque arva Dexter ama.'

72 *Fatigas Numina*] Noster Theb. IV. 'Superos in vota fatigant.'

73 *Dum cunctis supplex advolveris aris*] Propertius lib. III. El. 16. 'Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris.'

74 *Genium domini præsentis*] Domitiani, qui dominus voluit appellari. De Genio principis vide Equo Domit. vs. 58.

Audita es: venitque gradu Fortuna benigno.
Vidit quippe pii juvenis navamque quietem,
Intactamque fidem succinctaque pectora curis,
Et vigiles sensus, et digna evolvere tantas
Sobria corda vices; vidit, qui cuncta suorum
Novit, et inspectis ambit latus omne ministris.
Nec mirum: videt ille ortus obitusque; quid Auster,
Quid Boreas hybernus agat; ferrique togæque
Consilia; atque ipsam mentem probat: ille subactis

es: et fortuna venit favente gressu. Respexit enim continuos labores pii juvenis, et inviolatam fidem, ac pectus repletum solicitudinibus, sensusque insomnes, et attentum animum, qui tot tantasque res possit expedire. Respexit et ille, qui suos omnino cognoscit, et cingit sua latera approbatis ministris. Nec mirum: respicit ille orientem et occidentem, quid populi Septemtrionales et Meridiani agant, consilia et armorum et togæ, et secreta cordis penetrat. Ille imposuit expertis humeris

rependere famæ, quod revocavit Marklandus.—76 Aldd. Colin. Gryph. &c. *raramque quietem;* Venett. 1. 2. et vet. Lindenbrogii *vanamque;* unde Marklandus *navamque* edidit.—81 Venet. 1. *pactos*, i. e. *per arctos*, pro *quid Arctos*, ut in ceteris edd. Lectio nostra debetur Marklando.—82 Venet. 1. *ferrique rogate.*—83 Parm. et Rom. *ille jubatis;* Venet. 2. Vicent. Aldd. Colin. Gryph.

NOTÆ

75 *Audita es*] A Diis et Principe.

76 *Vidit*] Domitianus. *Juvenis*] Abascantii.

78 *Et digna evolvere tantas Sobria corda vices*] Id est, tot tantasque ac tam varias res et negotia expedire. Tibullus lib. I. El. 9. 'Atque operum varias disposuisse vices.' *Vices*] Διαδοχὴ πραγμάτων in clausula Epistolæ Philippi Macedonis ad Aristotelem de natali Alexandri: Ἐλπίζω αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφέντα ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν, καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς. *Spero fore, ut educatus a te dignus existat et nobis, et rerum istarum successione. Sobria corda*] Respexit Poëta significationem Græcam τοῦ νήφειν, quod significat *sobrium esse*, vigilare ac diligentem esse: qui sensus est hujus loci.

79 *Vidit*] Domitianus.

80 *Inspectis*] Expertis, examinatis. Quæ laus præcipua prudentis principis stipare latus suum ministris fidelibus, expertis, ac prudentibus.

81 *Videt ille ortus obitusque; quid Auster*, [*Arctos*,] *Quid Boreas hybernus agat*] Id est, fert cogitationes suas in omnes partes terræ, in Orientem, Occidentem, Septemtrionem, et Meridiem. Unde legendum censeo loco *Arctos, Auster*, qui ventus meridionalis est, et oppositus Boreæ, seu Aquiloni, Septemtrionali vento, ut sic comprehendantur quatuor cardines mundi.

82 *Ferri togæque Consilia*] Id est, belli pacisque artes.

83 *Subactis Molem immensam humeris*] Humeris Abascantii subactis, tritis usu et experientia rerum.

Molem immensam humeris, et vix tractabile pondus
Imposuit, (nec enim numerosior altera sacra
Cura domo,) magnum late dimittere in orbem
Romulei mandata Ducis; viresque modosque
Imperii tractare manu: quæ laurus ab Arcto,
Quid vagus Euphrates, quid ripa binominis Istri,
Quid Rheni vexilla ferant: quantum ultimus orbis
Cesserit, et refluo circumsona gurgite Thule.

Abascantii, ingentem molem, et pondus gravissimum, (nec enim aliud munus amplius in sacro Palatio,) late mittere in totum orbem jussa principis Romani, et tractare negotia quæ spectant ad vires et regimen imperii. Scire, quæ laurus veniat a Septemtrione, quantum militum errabundus Euphrates, quantum littus Danubii, qui habet duo nomina, quantum Rhenus habeat sub signis: quantum ultimus orbis, et Thule circumstrepens reciprocis undis cesserint. Nam cuncta pila erigunt prospe-

Basil. Plant. &c. *ille subactis.*—84 Venett. 1. 2. Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii *tractabile tempus.*—91 Parm. *Cesset et e refugo;* Rom. *Cesset et e refluo.* Burmannus ad Ovid. Heroid. Epist. XVIII. 182. notat in codd. scriptis

NOTÆ

84 *Molem immensam, et vix tractabile pondus*] Negotiorum scilicet publicorum.

85 *Sacra domo*] Imperatoria.

86 *Magnum dimittere in orbem Romulei mandata Ducis; viresque modosque Imperii tractare manu*] Hæc cura non solum videtur esse epistolarum et legationum, simul et annuli, sed et ampliores dignitates complectebatur. Unde forsan Abascantius noster est ille Sextus celebratus Martiali lib. v. Epig. 5. 'Sexte, Palatinæ cultor facunde Minervæ, Ingenio frueris qui propiore Dei; Nam tibi nascentes domini cognoscere curas, Et secreta ducis pectora nosse licet.' *Viresque*] Per *vires* intelligi possunt, δυνάμεις, quæ vox exercitus et opes notat. *Modosque*] Quibus scilicet tam administrari deberet exercitus quam distribui opes in impensis necessariis. *Tractare manu*] Galli una voce dicunt, *manier.*

88 *Quæ laurus ab Arcto*] Id est, quæ victoria nuntietur a Septemtrione seu Arcto, cujus index laurus Epistolis, fascibus, lanceis, pilisque apposita, ut mox dicemus.

89 *Euphrates*] Fluvius Mesopotamiæ. Vide Theb. VIII. 290. *Binominis Istri*] Ister enim vocabatur etiam Danubius. Vide Theb. I.

90 *Vexilla*] Exercitus. Nam ad Euphratem Danubiumque ac Rhenum habebant Romani castra et exercitus, ad tutandos fines imperii contra incursiones Barbarorum. *Quantum ultimus orbis Cesserit*] Per *ultimum orbem* intelligit Britanniam, quæ sub Vespasianis principibus subacta, ac imperio adjecta est: nam ultra Britanniam Thulenve non erant nisi aquæ et inexpertum mare. Unde *ultimus orbis.*

91 *Et refluo circumsona gurgite Thule*] Thule, aliis Islandia, aliis Tilemarche. *Refluo gurgite*] Nam Oceanus Britannicus refluus est, et reciprocat æstu, atque, ut auctor est Pythi-

Omnia nam lætas pila attollentia frondes,
Nullaque famosa signatur lancea pinna.
Præterea, fidos dominus si dividat enses,
Pandere quis centum valeat frænare maniplis

ros ramos, et nulla lancea notatur infausta penna. Præterea si princeps distribuat munia militaria, dicere, quis intermixtus manipulis legionum possit ducere centum

esse *refugo*. Parm. *gurgite tile*.—92 Parm. Venet. 2. et Rom. cum nonnullis aliis *lacerus p. a. frondes;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *lætas p. a. frondes.* Heinsius in Advers. lib. II. cap. 18. correxit: *Clarias p. a. frondes;* nescio quis alius: *laurus p. a. frondes.* Rom. *Omnia jam*.—93 Edd. vett. *Multaque fumosa signatur lancea penna;* Markl. conj. *damnosa s. l. pinna.* Lectio nostra est ex conjectura Salmasii, quem vide ad Hist. Aug. Script. Vol. I. p. 1023. Vide etiam Syllog. Epist. Tom. II. p. 545.—95. 96 Edd. vett. *frænare maniplos Intermissus eques.* Salmasius ap. Gronov. Diatr. cap. 47. et

NOTÆ

as Massiliensis, apud Plinium, octogenis cubitis supra Britanniam intumescit. Hoc tamen verum non esse tradit Strabo. *Circumsona*] Quia hic æstus circum maximum edit sonitum ac strepitum.

92 *Omnia nam lætus pila attollentia frondes, Nullaque famosa signatur lancea pinna*] Ut hic locus intelligatur, observandum est, eos qui res lætas et bene gestas nuntiaturi veniebant, non solum tabellas laureatas, sed etiam summa pila ramis lauri (quos hic *lætas frondes*, ut rei bene gestæ seu victoriæ indices, vocat Poëta) ornasse. E contrario qui res turbulentas et infeliciter gestas, aut bellum nuntiabant, in summo hastarum lancearumve tulisse pinnas, velut signum rei tristis. Vetus interpres Juvenalis ad illum locum Sat. IV. 'Tanquam e diversis partibus orbis Anxia præcipiti venisset epistola pinna.' 'Antea,' inquit, 'si quid consules nuntiabant, in urbem per epistolas nuntiabant: si victoriæ nuntiabantur, laurus in epistola figebatur: si autem aliquid adversi, pinna figebatur.' Idem tradit Servius ad Æneid. IX. ibi: 'Pinnata per urbem Nuntia fama ruit.' 'Quidam volunt famam ideo hic pinnatam a Poëta inductam, quia tumultum et res adversas nuntiat: ut illud tangere videatur, quod qui bellum nuntiaret, pinnatas literas diceretur afferre.' Significat ergo Statius ex omnibus locis felices Domitiano nuntios venisse, nullum tristem. Vide Salmasium ad Lampridium Severi, et Gronovium suæ Diatr. cap. 47.

94 *Fidos enses*] Per *enses* intelligit munera bellica, ut ex pluribus locis Papinii probari potest. Itaque 'dividere' enses dicitur imperator, cum officia et dignitates militiæ distribuit. *Fidos*] Quia fidelitas maxime requiritur in ducibus exercituum et copiarum, quibus tota salus Reipublicæ innititur.

95 *Quis centum valeat frænare maniplis Intermixtus equos* [*maniplos Intermissus eques*] Hic locus obscurus; sed Salmasius adhibita levi correctione facilem intellectu dedit, sic legendo: *Quis centum valeat frænare maniplis Intermissus equos,* vel *Intermixtus. Frænare centum equos* est ducere centum equites. Observandum est, duplex fuisse genus equitum qui

Intermixtus equos: quis præcepisse cohorti:
Quem deceat clari præstantior ordo tribuni:
Quisnam frænigeræ signum dare dignior alæ.
Mille etiam prænosse vices: an merserit agros
Nilus, an imbrifero Libye sudaverit Austro:

equites: quis imperare cohorti: cui eminentior dignitas tribuni insignis conveniat: quisnam plus mereatur regere turmam equitum. Præscire etiam mille eventus: an Nilus inundaverit campos, an Libye rigata fuerit pluvioso Austro. Et ut recen-

Epistola quæ præfigitur Elench. Antidiatr. p. 28. *frænare maniplis Intermixtus equos*, vel *eques*. Vide Syllog. Epist. Tom. II. p. 537. *Cui permissus eques* Barth.—98 Parmensis: *Quisnam fremigere.*—101 Heinsius in Advers. lib. IV.

NOTÆ

stipendia faciebant in exercitu Romano, quod discimus ex Vegetio lib. II. cap. 1. his verbis: 'Equitum alæ dicuntur ab eo, quod ad similitudinem alarum ab utraque parte protegant acies: quæ nunc vexillationes vocantur a velo, quia velis, hoc est, flammulis utuntur. Est et aliud genus equitum, qui legionarii vocantur, propterea quod connexi sunt legioni.' Horum unaquæque legio olim habuit trecentos, postea sexcentos vel septingentos triginta, qui ita erant per legionem distributi, ut singulis cohortibus ascripti essent sui equites. Cohors prima, quæ habebat pedites mille centum quinque, unde appellabatur 'milliaria,' numerum quoque duplicem equitum habuit, hoc est, centum triginta duos, cum reliquæ sexaginta sex tantum haberent, ut discimus ex Vegetio lib. II. cap. 6. Igitur *qui centum equos frænebat intermixtus manipulis*, is est, qui centum equitibus præerat in cohorte milliaria. Manipuli autem legionis: ideo *maniplis intermixtus* pro legionario dixit. Deinde rotundum numerum posuit pro exacto et subtili, ut alias solent. Sic 'milliaria' cohors dicta prima legionis, licet centum quinque pedites ultra mille haberet.

96 *Præcepisse cohorti*] Cohors decima pars legionis; nam legio dividebatur in decem cohortes. Cohors in quinquaginta manipulos: manipuli in viginti quinque milites pro uno quoque manipulo. Vide Vegetium.

97 *Clari præstantior ordo tribuni*] Non hic sermo de tribunis plebis, sed de tribunis militum, quorum singuli legionibus præficiebantur. Tribunorum vero horum alii erant laticlavii, id est, majoris dignitatis; alii angusticlavii. De priori genere hic Statius et lapidum inscriptiones. De posteriori Suetonius in Othone, ubi vocat Suetonium Lenem tribunum 13. Legionis Angusticlavium. Vide Turneb. Adv. lib. I. et Lipsium de Milit. lib. II. Dial. 9.

98 *Frænigeræ alæ*] Alæ, equitum erant ordines. Vide supra: hinc *frænigeræ*.

99 *Mille etiam prænosse vices*] Legit Turnebus: *Anni etiam prænosse vices. An merserit agros Nilus*] De Nilo, ejusque incremento, et quo modo fœcundat agros Ægypti, jam diximus.

100 *An imbrifero Libye sudaverit Austro*] Auster ventus Græcis *νότος* dictus ab humore et nebula, quod *νοτὶς humor* Latina interpretatione

Cunctaque si numerem, non plura interprete virga
Nuntiat e celsis ales Tegeaticus astris;
Quæque cadit liquidas Junonia virgo per auras,
Et picturato pluvium ligat aëra gyro;
Quæque tuas laurus volucri, Germanice, curru
Fama vehit, prægressa diem, tardumque sub astris
Arcada, et in medio linquens Thaumantida cœlo.

seam omnia, volucer Tegees non plura refert e sublimibus sideribus, interprete caduceo; nec puella Junonis, quæ labitur per humidos ventos, et præcingit distinctis coloribus imbriferum aërem, ac fama quæ, o Germanice, portat veloci cursu tuas victorias, prævertens diem, et relinquit post se sub astris Mercurium Arca-

cap. 3. p. 577. legit: *Cunctaque si numerem .... Nuntiat;* vel certe: *Cuncta quid enumerem? .... Nuntiat e celsis ales Tegeaticus astris.*—103 Venet. 1. *Junonia jura.*—104 *Et picturato liquidum* Parm.—105 Edd. vett. *cursu;* Barth.

NOTÆ

dicitur, ac si is ventus sudoris effector. *Nonius.* Dixit autem eleganti metaphora *sudaverit;* ut enim sudor e corpore animalium per calorem excitur, sic Libye seu Africa dicitur 'sudare imbrifero Austro,' cum rigata ejus aquis, quæ calidæ sunt, emittit humorem, quo segetes sataque nutriuntur, et sic fertilissima redditur. Habuit enim in mentem Poëta fertilitatem Africæ, ut superiori versu Ægypti fertilitatem, quia utraque erat horreum Romæ.

101 *Interprete virga*] Vide Theb. I. 306. *Interprete*] Quia Mercurius nuntius et interpres Deorum est.

102 *Ales Tegeaticus*] Mercurius Arcas a Tegea urbe Arcadiæ sic dictus. *Ales*] Ob talaria.

103 *Junonia virgo*] Iris Thaumantis filia, nuntia Junonis. *Liquidas per auras*] Quia arcus cœlestis, cujus Iris est symbolum, non fit nisi pluvio aëre.

104 *Et picturato gyro*] Quia arcus cœlestis variis coloribus pingitur. *Ligat*] Id est, cingit.

105 *Quæque tuas laurus volucri, Germanice, curru Fama vehit, prægressa diem*] Alludit ad historiam, de qua Suetonius in Domitiano cap. 6. 'Bellum civile,' inquit, 'motum a L. Antonio Superioris Germaniæ præside confecit absens mira felicitate, cum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus, transituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuisset: de qua victoria præsagiis, prius quam nuntiis comperit. Si quidem ipso, quo dimicatum erat die, statuam ejus Romæ insignis aquila complexa pennis, clangores lætissimos edidit, pauloque post occisum Antonium adeo vulgatum est, ut caput ejus quoque apportatum vidisse se plerique contenderent.' Sic apud Ammianum Marcellinum, victo in Galliis Sylvano, qui imperium arripuerat sub Juliano, evenit, ut Romæ eodem die in Circo maximo populus, incertum ratione quadam percitus, an præsagio, 'Sylvanus devictus est,' magna voce inclamaret. *Prægressa* igitur diem fama, cum victoria relata de Antonio Romæ cognita fuerit, eodem die, quo prælium commissum.

107 *Arcada*] Mercurium. *Thaumantida*] Irim.

Qualem te Superi, Priscilla, hominesque benigno
Aspexere die cum primum ingentibus actis
Admotus conjux! vicisti gaudia certe
Ipsius, affuso dum pectore prona sacratos
Ante pedes avide domini tam magna merentis
Volveris. Aonio non sic in vertice gaudet
Quam pater arcani præfecit hiatibus antri
Delius, aut primi cui jus venerabile thyrsi
Bacchus, et attonitæ tribuit vexilla catervæ.

dem, et Thaumantida sub medio cælo. Qualem te, Priscilla, Dii mortalesque viderunt in felici die, cum primum maritus accitus est ad amplissimam dignitatem! superasti lætitiam cœnæ ipsius, dum supplex inclinato pectore procubuisti ad sacros pedes domini tam bene merentis. Illa, cui pater Delius Apollo, committit secretos specus, non sic lætatur in jugo Aonio, aut cui Bacchus dedit ferre primum thyrsum,

---

conj. *curru*, quod primus recepit Marklandus.—110 Edd. vett. *vicisti gaudia cœnæ.* Heinsius Notis ad Sil. Ital. VIII. 378. et in Advers. lib. IV. cap. 3. et 577. et lib. II. cap. 9. p. 272. legit: *acuisti gaudia cœnæ.* Lectio nostra est a Marklaudo.—111 Pro *Ipsius* idem Heinsius ad Silium l. l. legit, *Dapsilis:* et ad Val. Flac. I. 762. et in Advers. loco jam citato, pro *effuso*, quod exhibent edd. vett. *affuso.*—114 *Quem pater* edd. vett. *Quam pater* Marklandus.—115 Pro *cui jus* Parmensis, *cujus;* et ita codices Domitii Calderini,

NOTÆ

108 *Qualem*] Id est, quanta lætitia gestientem.

109 *Cum primum ingentibus actis Admotus*] Id est, cum primum in aulam imperatoris admissus est. *Admotus*] Eodem sensu Tacito, Ann. XIV. 'Quartus decimus annus est Cæsar, ex quo spei tuæ admotus sum.'

110 *Vicisti gaudia certe* [*cœnæ*] *Ipsius*] Id est, plus dedisti gaudii Abascantio, dum advoluta genibus Cæsaris gratias ei pro illo egisti, quam recepit ipse, cum ad cœnam imperatoris admissus est.

111 *Sacratos pedes*] Imperatoris.

113 *Aonio vertice*] Parnassi, quem Aones populos tenuisse refert Strabo.

114 *Quam*] Pythiam intelligit Poëta. *Arcani hiatibus antri*] In Parnasso erat antrum, unde spiritus fatidicus emittebatur, cujus exhalatione temulenta Pythia futura prædicebat. *Arcani*] Vel sacri, vel quia nemini nisi Pythiæ illuc accedere fas erat.

115 *Delius*] Apollo, a Delo insula, in qua natus est. *Aut primi cui jus venerabile thyrsi Bacchus*] Hanc intelligit, quam Bacchus præfecit Orgiis suis, quamque Papinius Theb. IV. vocat 'reginam Sylvestris chori;' fœminæ enim præerant sacris Bacchi, et ipse Mænadum chorus ex solis fœminis constabat, ut Noster dicit Achilleid. I. 'Lex procul esse mares; iterat præcepta verendus Ductor, inaccessumque viris edicitur antrum.' Thyrsus autem erat insigne Bacchantium.

116 *Attonitæ*] Ἐνθέου, agitatæ a Deo. *Tribuit vexilla*] Id est, ducem constituit.

Nec tamen hic mutata quies, probitasve secundis
Intumuit: tenor idem animo, moresque modesti,
Fortuna crescente, manent: fovet anxia curas
Conjugis, hortaturque simul, flectitque labores.
Ipsa dapes modicas, et sobria pocula tradit,
Exemplumque ad herile monet: velut Appula conjux
Agricolæ parci, vel sole infecta Sabina,
Quæ videt emeriti, jam prospectantibus astris,
Tempus adesse viri, propere mensasque torosque
Instruit, expectatque sonum redeuntis aratri.
Parva loquor: tecum gelidas comes illa per Arctos,
Sarmaticasque hyemes, Istrumque, et pallida Rheni
Frigora, tecum omnes animo durare per æstus,

et signa cohortis Deo plenæ. His tamen non est mutata mentis tranquillitas, nec probitas corrupta est prosperitate: idem tenor animo, et aucta fortuna eadem morum modestia. Sua solicitudine levat curas mariti, atque una excitat, mitigatque labores. Ipsa illi apponit parcos cibos, et frugalia pocula, et hunc format ad exemplum domini. Velut uxor Appula parci agricolæ: vel illa nigrata sole Sabino, quæ cernit orientibus stellis jam appropinquare reditum viri, confecto diurno opere, sternitque cito mensam et lectos, ac opperitur strepitum revertentis aratri. Pauca dico. Tecum forti animo illa voluisset socia vadere per rigidos Septemtriones et brumas Sarmaticas, Danubiumve, ac frigora Rheni, quæ pallorem inducunt, et

quem hic locus diu torsit: tandem verum vidit, *cui jus.*—117 Pro *mutata* Parm. et Rom. habent, *cunctata.*—122 Pro *monet* Venet. 1. *moves*, quemadmodum conjecerat Marklandus.—123 *Sabino* edd. vett. Heinsius ad Ovid. Amor. II. 4. 15. correxit *Sabina*, quod reposuit Marklandus.—124 Pro *astris* Parmensis *austris.*—128 *Histrumque* Heinsius.—129 Edd. vett. *durata per æstus.*

NOTÆ

117 *Quies*] Hic pro animi statu, in quo nec prosperis nec adversis movetur e sua sede. *Probitas*] Hic moderationem animi significat.

122 *Exemplum ad herile*] Domitiani scilicet, de cujus sobrietate Suetonius cap. 21. *Appula conjux, sole infecta Sabina*] His etiam fœminis laudem castitatis et parcimoniæ tribuit Horatius, Epod. I. 'Quod si pudica mulier in partem juvet Domum ac dulces liberos: Sabina qualis, aut perusta solibus Pernicis uxor Appuli.' *Appula*] Ex Apulia regione Italiæ in magna Græcia. *Sabina*] Sabini etiam populi Italiæ, non procul Roma.

127 *Parva loquor*] Ἐπανόρθωσις eadem, qua usus est in Epulo Eucharistico: 'Parva loquor, nec dum æquo tuos, Germanice, vultus.' Mens: Nondum dixi de Priscilla, quod magis laude dignum est.

128 *Sarmaticasque hyemes*] Quia hyemes in his regionibus Sarmatarum maxime pungunt. De Sarmatis jam alibi diximus. *Istrumque*] Danubium, qui etiam Ister vocabatur.

129 *Omnes æstus*] Id est, loca calidissimæ Africæ.

Et, si castra darent, vellet gestare pharetras,
Vellet Amazonia latus intercludere pelta;
Dum te pulverea bellorum in nube videret
Cæsarei prope fulmen equi, divinaque tela
Librantem, et magnæ sparsum sudoribus hastæ.
Hactenus alma chelys: tempus nunc ponere frondes,
Phœbe, tuas, mœstaque comam damnare cupresso.
Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam Invidiamque Deus? quis jussit iniquas
Æternum bellare Deas? nullamne notavit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat

per cunctos calores. Et si lex militiæ sineret, vellet ferre pharetras, et tegere latus scuto Amazonio, dum te cerneret in obscuro certaminum pulvere, prope equum Cæsaris rapidissimum, et intorquentem sacras sagittas, et sudantem pondere gravis hastæ. Hactenus alma testudo. Nunc tempus, Phœbe, dimittendi ramos tuos, et funestandi crines tristi cupresso. Quodnam numen conjunxit impacata societate Fortunam et Invidiam? Quis voluit hæc maligna numina semper confligere secum invicem? Nullamne illa respexit domum, quam non hæc statim intueatur

Correxit Marklandus, qui pro *æstus* legi posse dicit, *actus*. Alii *superesse per æstus*. Heinsius malit: *tantos animo durasse per æstus*. Vide Syllog. Epist. Tom. II. p. 747.—132 Antiquæ edd. pleræque: *bellorum nube*, omissa præpositione: scriptum erat: *bellorū in nube*.—133 Venet. 1. *damnataque tela*.—134 *Vibrantem* edd. vett. *Librantem* est a Marklando.—139 Barthius

NOTÆ

130 *Et, si castra darent*] Id est, si lex militiæ permitteret. Et hoc dicit, quia non licebat mulieri castra ingredi. Inde illa indignatio Virgilii: 'Sequiturque (nefas) Ægyptia conjux.' Et T. Mutius damnatus est, quoniam uxor Calvisii Sabini mala cupidine visendi situm castrorum ea habitu militari ingressa est, stuprumque cum eo commisit. *Vellet gestare pharetras*] More scilicet Amazonum.

131 *Amazonia pelta*] Amazones enim ferebant arcum et pharetras, ac breves clypeos 'peltas' dictos. Vide Theb. VII.

135 *Hactenus alma chelys*] *Alma* vocandi casu. Hactenus cithara cecinimus laudes Priscillæ, nunc flenda est ejus mors. *Frondes, Phœbe, tuas*] Lauros; in luctu enim lauros et vittas deponebant.

136 *Mœstaque comam damnare cupresso*] Quia erat cantaturus Epicedion et carmen funebre.

137 *Quisnam impacata consanguinitate ligavit Fortunam Invidiamque Deus*] Nam, ut ait Lucianus: Ὅπου ἀεὶ μείζους ἐλπίδες, ἐνταῦθα οἱ φθόνοι χαλεπώτεροι. *Ubi lætior spes, ibi sævior invidia est.* Sic Labor Voluptasque, dissimillima natura, societate quadam naturali inter se junctæ sunt.

139 *Deas*] Fortunam scilicet et Invidiam. Invidiam enim, seu Νεμέσιν, et Fortunam consecravere veteres.

140 *Illa*] Fortuna. *Hæc*] Invidia scilicet; nec unquam illi recta acies,

Protinus, et sæva perturbet gaudia dextra?
Florebant hilares inconcussique penates;
Nil mœstum: quid enim, quamvis infida levisque,
Cæsare tam dextro, posset Fortuna timeri?
Invenere viam liventia Fata, piumque
Intravit vis sæva larem: sic plena maligno
Afflantur vineta Noto: sic alta senescit
Imbre seges nimio: rapidæ sic obvia puppi
Invidet, et velis adnubilat aura secundis.
Carpitur eximium fato Priscilla decorem:
Qualiter alta comam sylvarum gloria pinus
Seu Jovis igne malo, seu jam radice soluta,
Deficit, et nulli spoliata remurmurat auræ.
Quid probitas, aut casta fides, quid numina prosunt

limis oculis, et perturbet lætitiam ejus crudeli manu? florebant læti et immoti lares. Nihil triste: quid enim Fortuna, quamvis fallax et inconstans, metui potuit tam secundo Cæsare? Fata invida viam invenerunt nocendi, et sæva eorum potentia subiit pios penates. Sic vineta referta uvis infestantur malo Noto: sic celsa sata curvantur nimiis pluviis: sic ventus obvius adversatur celeri navi, et cogit nubes adversus prospera vela. Egregia forma Priscillæ extinguitur fato, ut pinus excelsa, sylvarum decus, moritur seu maligno Jovis fulmine, seu jam laxata stirpe, et nudata foliis resonat nulli vento. Quid probitas aut pudica fides?



legebat: *nullamne notavit.*—141 Parmensis: *et scæva perturbet.*—144 *Cæsare jam dextro* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii.—145 Heins. Advers. p. 579. malit: *Intravit Styx sæva,* vel *Libitina.*—147 *Afflantur jumenta noto* Parm. Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii.—149 'Id est: Nubila velis objicit. Vera est hæc utique lectio, et elegans, et Papinio digna: itaque recte defensa et nobis alibi et Joanni Gebhardo Curar. Juvenil. lib. I. cap. 8. contra Joannem Meursium, qui *adjubilat* reponendum imaginatus est Miscell. lib. III. cap. 14.' *Barth.* Marklandus conj. *obsibilat,* vel *obnubilat.* Idem monuit,

NOTÆ

ut ait Ovidius. Et Homero ὑπόδρα ἰδοῦσα, *torve aspexit.* A Luciano in calumniæ tabula Φθόνος pingitur ὠχρὸς καὶ ἄμορφος, καὶ ὀξὺ δεδορκὼς, κ. τ. λ. *Invidia pallida, et deformis, et figens lumine.* Vide ejus descriptionem apud Ovidium.

146 *Larem*] Domum Abascantii ac Priscillæ. *Sic plena maligno Afflantur vineta Noto*] 'Afflare ventis' Virgilianum est: 'Ex quo me Divum pater atque hominum rex Fulminis afflavit ventis, et contigit igni.' *Maligno Noto*] Quia ventus ille admodum contrarius est floribus et viti.

152 *Igne malo*] Fulmine.

153 *Et nulli spoliata remurmurat auræ*] Spoliata scilicet foliis et frondibus, quibus remurmurare poterat.

154 *Casta fides*] Fides servata conjugi.

Culta Deum? furvæ miseram circum undique leti
Vallavere plagæ: tenuantur dura sororum
Licia, et exacti superest pars ultima fili.
Nil famuli cœtus, nil ars operosa medentum
Auxiliata malis: comites tamen undique ficto
Spem simulant vultu: flentem notat illa maritum.
Ille modo infernæ nequicquam flumina Lethes
Incorrupta rogat: nunc anxius omnibus aris
Illacrymat, signatque fores, et pectore terget
Limina: nunc magni vocat exorabile numen
Cæsaris. Heu durus Fati tenor! estne quod illi
Non liceat? quantæ poterant mortalibus annis
Accessisse moræ, si tu, pater, omne teneres
Arbitrium? cæco gemeret Mors clusa barathro,

quid proficiunt adorata numina? Vulnera atræ mortis undique circumdederunt infelicem. Sæva sororum stamina decrescunt, et restat pars ultima consumti fili. Nihil turbæ servorum, nihil laboriosa scientia medicorum opitulata morbo. Attamen circumstantes simulato vultu fingunt sperare. Hæc animadvertit virum plorantem. Ille nunc frustra precatur inexorabiles fluvios Lethes infernæ: nunc solicitus fundit lacrymas ad cuncta altaria, notatque fores, ac verrit limina suo pectore. Nunc rogat flexibile numen magni Cæsaris. Heu asper tenor fati, quod omnia non illi liceant! Quantæ moræ afferri poterant vitæ hominum, si tu pater haberes omnium rerum potestatem. Mors doleret clausa in nigra voragine, et otiosæ

ne quis conjiciat: *ventis .... secundis.*—164 *Lumina* edd. vett. Parm. Rom. Venet. 2. &c. *Limina* Till. Cruc. Gevart. &c.—167 Marklandus malit: *si*

NOTÆ

157 *Fili*] Vitæ scilicet Priscillæ.

159 *Comites tamen undique ficto Spem simulant vultu*] Idem Theb. IV. 'Et armatis fingit sperare sacerdos.'

160 *Illa*] Priscilla.

161 *Lethes*] Fluvii inferni.

163 *Signatque fores et pectore terget Limina*] Quidam hic notari volunt morem, quo veteres, uti Meursio ad Hesychium observatum, in morbis gravissimis, lauri ramum pro foribus suspendebant; Apollinem mortis fatalis præsidem, cujus ea arbor, deprecaturi. Auctor Etymologici Magni: 'Αρτήνους, τοὺς τῆς δάφνης ὅρπηκας, τοὺς πρὸ τῶν θυρῶν ἱσταμένους. Sed male: hic enim *fores* templorum intelliguntur, quæ Abascantius pectore signabat. Noster Theb. IX. 'Pictasque fores et frigida vultu Saxa terunt.' Hoc enim in supplicationibus receptum erat. Adde Claudianum in Elogio Serenæ: 'Numinibus votisque vacas, et supplice crine Verris humum.'

168 *Cæco barathro*] Barathrum locus profundus et obscurus. Sic vocat Inferos ob tenebras.

Longius et vacuæ posuissent stamina Parcæ.
Jamque cadunt vultus, oculisque novissimus error,
Obtusæque aures, nisi cum vox sola mariti
Noscitur: illum unum media de morte reversa
Mens videt; illum ægris circumdat fortiter ulnis
Immotas obversa genas; nec sole supremo
Lumina, sed dulci mavult satiare marito.
Tunc sic unanimum moriens solatur amantem:
PARS animæ victura meæ, cui linquere possem
O utinam, quos dura mihi rapit Atropos, annos,
Parce precor lacrymis, sævo nec concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem conjugis umbram.
Linquo equidem thalamos (salvo tamen ordine) mœsti

Parcæ nunquam evolvissent sua licia. Jamque vultus mutatur. Jam errant ultimum oculi: obtusæ sunt aures, et sola vox conjugis noscitur. Anima regressa de media morte cernit hunc solum. Illum stricte amplectitur debilibus brachiis, vultus et oculi in illum flectuntur, et mavult satiare oculos caro conjuge, quam ultima luce. Tunc moriens sic consolatur concordem maritum: Pars animæ remansura meæ, cui utinam possem linquere annos, quos sæva Atropos mihi adimit! reprime, oro, fletus, nec feri tuum pectus crudeli planctu, nec afflige recedentem uxoris umbram. Desero, equidem, tristem torum. Prior absolvi tempora præ-

tu, pater alme, teneres.—170 Venet. 1. et codex Senensis: *novissimus error;* quod probabat Eust. Sivarthius in Analectis lib. II. cap. 2. Gronovio referente, Diatr. cap. 47. *novissimus horror* exhibent Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c.—174 Venet. 1. *obtusa genas.*—177 Edd. vett. *possim;* Marklandus reponi jussit *possem.*—181 Parm. *mœstis;* Rom. Venet. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *mœstos;* pro quo

NOTÆ

169 *Vacuæ*] Nihil haberent enim, quod agerent.

170 *Oculisque novissimus error*] Noster alibi: 'Ille oculis extremo errore solutis Labitur.' Virgilius de Didone Æneid. IV. 'Oculisque errantibus alto Quæsivit cœlo lucem, ingemuitque reperta.'

173 *Fortiter*] Sic Atys moriens Theb. VIII. 'Quater jam morte sub ipsa Ad nomen visus dejectaque fortiter ora Sustulit.'

174 *Nec sole supremo Lumina, sed dulci mavult satiare marito*] Idem Atys moriens Theb. VIII. 'Illam unam neglecto lumine solis Aspicit, et vultu non exsatiatur amico.'

177 *Pars animæ victura meæ*] Amantes enim unam habere dicuntur animam, quæ duo corpora animat. *Cui linquere possem O utinam, quos dura mihi rapit Atropos, annos*] Similis fuit voti compos Alcestis apud Euripidem: 'Εγώ σε πρεσβεύουσα, κἄντι τῆς ἐμῆς Ψυχῆς καταστήσασα, φῶς τόδ' εἰσορᾷν, Θνήσκω. *O vir salutem prætuli tuam meæ, ut pro me tibi lucem cernere liceret, emorior.*

181 *Salvo tamen ordine*] Quia Priscilla provectiori ætate erat.

Quod prior: exegi longa potiora senecta
Tempora; vidi omni te pridem in flore nitentem,
Vidi altæ propius propiusque accedere dextræ.
Non in te Fatis, non jam Cœlestibus ullis
Arbitrium: mecum ista fero: tu limite cœpto
Tende libens, sacrumque latus, Geniumque potentem
Irrequietus ama: nunc, quod cupis ipse juberi,
Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus
Cæsaris; et propriæ signa cultricis amorem.
Sic ego nec Furias, nec deteriora videbo
Tartara, et Elysias felix admittar in oras.
Hæc dicit labens, sociosque amplectitur artus,
Hærentemque animam non tristis in ora mariti

ferenda longo senio, servato tamen naturæ ordine. Te pridem vidi florentem juventute. Cognovi te indies gratiorem carioremque imperatori esse. Nulla tibi fata, nulli Dii nocere possunt. Omnia tua infortunia mecum aufero. Tu perge lætus via, qua cœpisti, et irrequietus dilige sacrum latus et potentem genium. Nunc quod optas ipse tibi mandari, pone in Capitolio æternam statuam auream centum pondo, qua facies domini fulgeat, et quæ notet amorem suæ cultricis. Sic ego nec cernam Eumenidas, nec pejora Tartara, et beata excipiar in plagas Elysias. Hæc loquitur corruens, et amplectitur carum conjugem, et haud mœsta transmittit in os

in Venet. 1. *noctis.* Marklandus correxit *mœsti.*—187 Parm. *geminumque potentem.*—188 *Jure quietus ama* legi vult Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 579. Vide Burm. ad Ovid. Trist. II. 541. Pro *ipse videri*, quod habent Parm. Rom. Aldd. &c. *ipse juberi* præbet Venet. 1. et sic correxit Lipsius Elect. lib. I. cap. 9. probantibus VV. DD.—189 *De Capitolinis* Venet. 1. Parm. et Rom. *Des Capitolinis* conj. Marklandus.—190 *Quo niteat sacri contento* Venet. 1. Pro *niteat* Marklandus legendum monuit *niteant.*—191 Pro *signet* Venet. 1. Parm. et Rom. *signes.* Marklandus edidit ex conjectura, *signa.*—193 Parmensis: *admittar in oras;* ceteræ omnes: *ad oras.*—

NOTÆ

184 *Vidi altæ propius propiusque accedere dextræ*] *Altæ*, id est, Imperatoriæ. Mens: video te apud principem majore indies gratia pollere.

186 *Mecum ista fero*] Nulla jam tibi fata, nulli Dii, nulla nocebit invidia: consumtæ enim omnium eorum vires sunt in hac plaga, quam tibi per interitum meum intulerunt. Ego omnia infortunia tua mecum aufero. *Barthius.*

189 *Da Capitolinis æternum sedibus aurum, Quo niteant sacri centeno pondere vultus Cæsaris*] Domitianus enim, ut discimus ex Suetonio, Domitiano cap. 13. statuas sibi in Capitolio nonnisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi.

192 *Deteriora*] Id est, in quibus puniuntur nocentes.

195 *In ora mariti Transtulit*] Supra Epiced. Glauciæ: ‘ In te omnis vacui

Transtulit, et cara pressit sua lumina dextra.
At juvenis magno flammatus pectora luctu,
Nunc implet sævo viduos clamore penates:
Nunc ferrum laxare cupit: nunc ardua tendit
In loca: vix retinent comites: nunc ore ligato
Incubat amissæ, mersumque in corde dolorem
Sævus agit: qualis conspecta conjuge segnis
Odrysius vates positis ad Strymona plectris
Obstupuit, tristemque rogum sine carmine flevit.
Ille etiam certæ rupisset tempora vitæ,
Ne tu Tartareum Chaos incomitata subires:
Sed prohibet mens fida Duci, jurataque sacris

illius hærentem animam, et clausit suos oculos ejus dilecta manu. At juvenis percitus ingenti dolore, nunc implet viduos lares horrido ululatu, nunc vult stringere ensem, nunc petit excelsa loca. Vix comites retinent. Nunc presso ore incubat extinctæ, et crudelis versat in corde altum dolorem. Sic poëta Odrysius diriguit, visa uxore, dimissis plectris ad Strymona, et ploravit funus sine versibus. Ille etiam proculdubio vim attulisset suæ vitæ, ne tu sola intrares caliginem Tartari, sed mira fides devotaque sacris imperatoris jussis, ac major caritus eum retinet. Quis æquet

200 Heins. ad Ovid. Met. I. 548. *ore gelato.*—201 Marklandus legi malit: *mutumque in corde dolorem;* vel *pressumque, &c.* ex Virg. Æn. x. 465.—202 Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 579. correxit: *Sævus alit;* ita etiam Marklandus non nominato Heinsio. Barthius conj. *conspecto conjugis igne Odrysius vates, positis, &c.*—205 Edd. vett. *certe r. t. vitæ;* Parmensis: *recte r. t. vitæ.* Lectio nostra est ex emendatione Gronovii Diatr. cap. 47.—207 Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *mirandaque sacris:* correxit Marklandus. Barthius vero scribi jussit: *servandaque mag-*

NOTÆ

jam pectoris efflat Reliquias.' Ovid. Met. VII. 'Infelicem animam nostro exhalat in ore.'

196 *Et cara pressit sua lumina dextra*] Hoc enim erat officium propinquorum ac carorum.

198 *Viduos*] Extincta scilicet conjuge.

199 *Laxare*] Ut se occidat. *Nunc ardua tendit In loca*] Ut se ex his præcipitet.

201 *Incubat amissæ*] Ovidius Fast. II. de Lucretia: 'Ecce super corpus communia damna gementes Obliti decoris virque paterque jacent.' Philostratus de Ajace, Palamede interfecto: 'Επίῤῥιψας ἑαυτὸν τῷ νεκρῷ. *Injiciens se super mortuum.*

202 *Conspecta conjuge*] Mortua scilicet Eurydice. Nota fabula.

203 *Odrysius vates*] Orpheus Thrax. Odrysæ enim populi Thraciæ. *Strymona*] Strymon fluvius Thraciæ.

204 *Tristemque rogum sine carmine flevit*] Id est, tanto dolore correptus erat, ut vox cantusque illum deficerent ad rogum conjugis.

206 *Chaos*] Ob perpetuas tenebras quibus repletur Tartarus.

207 *Sacris Imperiis*] Nam Cæsarum

Imperiis, et major amor. Quis carmine digno
Exequias et dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura seges, præreptaque templis
Thura, Palæstini simul Hebræique liquores,
Coryciæque comæ, Cinyreaque germina. At altis

dignis versibus apparatum et funebria munera tristis pompæ? Illic profuse coacervantur quicquid et ver producit apud Arabes et Cilices, et flores Sabæorum, ac cremandæ Indorum segetes, thuraque templis ablata, Palæstini et Hebræi succi, et crocus Corycius, et germina Cynareia. Et ipsa cooperta purpureo amictu jacet

nis, &c.—213 Edd. vett. *Palæstini simul, Hebræique liquores.* 'Quid interest inter Hebræos ac Palæstinos liquores non video: utroque enim nomine balsama designantur: utroque nomine indigitantur Judæi. Præterea Hebræorum nomen scriptoribus hujus ævi Latinis fere incognitum. Puto: *præreptaque templis Thura, Palæstinique simul Phariique liquores.* ni mavis: *præreptaque templis Thura Palæstinis: simul et Phariique liquores, Coryciæque comæ.*' Ita Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. *Palæstinis* conj. etiam Gronovius.—214 In edd. vett. *cynareiaque germina, et altis Ipsa toris, &c.*

NOTÆ

res omnes sacræ erant, ut sacræ occupationes, &c.

211 *Ver Arabum, Cilicum*] Id est, aromata, quæ producit ver apud Arabes et Cilices. Et intelligit thus, myrrham, cinnamum, ac crocum. *Ver*] Seges, Metonymice. Tibullus: 'Metit quicquid bene olentibus arvis Cultor odoratæ dives Arabs segetis.' Ubi Cinnamum intelligit, et cetera aromata Felicis Arabiæ. *Ver* etiam, pro flore, statu ætatis, ἀκμῇ, Ovidio: 'Ætatis breve ver, et primos carpere flores.' *Floresque Sabæi*] Id est, thus quod apud solos Sabæos Arabas reperitur.

212 *Indorumque seges*] Intelligit costum. Epicedio in Glauciam: 'Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi.' *Præreptaque templis Thura*] Primum enim thus solis templis ac Deorum cultui dicatum fuit, mox adhibitum funeribus.

213 *Palæstini simul*] Sic Tacitus Ann. VI. 'Appius Silanus Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio.' Ann. III. 'Quindecim septemviris simul.' Et per *Palæstinos liquores* intelligit Syriacos, puta manna, quem 'rorem Syriacum' vocat Cornelius Celsus; nam Palæstina Syriæ pars Plinio lib. V. cap. 12. et hinc 'Palæstinus.' Syrus Tibullo dicitur lib. I. El. 7. Nec modo manna, sed et malobathrum possumus intelligere, qui frutex in Syria nascitur. Ex eoque unguenta odoratissima fieri testes Horatius II. Od. 7. Dioscorides lib. I. cap. 11. et Plinius lib. XII. cap. 16. ac Avicenna refert aptum esse servandis cadaveribus, cum sit calidum et siccum. Syros autem odores adhibitos ad funera testis Propertius II. Eleg. 13. *Hebræique liquores*] Balsamum intelligit, quod soli Judææ seu Hebræis peculiare erat, ut ait Plinius lib. XII. cap. 5.

214 *Coryciæque comæ*] Intelligit

Ipsa toris Serum Tyrioque umbrata recumbit
Tegmine: sed toto spectatur in agmine conjux
Solus; in hunc magnæ flectuntur lumina Romæ,
Ceu juvenes natos suprema ad busta ferentem:
Is dolor in vultu; tantum crinesque genæque
Sordis habent. Illam tranquillo fine solutam,
Felicemque vocant: lacrymas fudere marito.
Est locus ante urbem, qua primum surgitur ingens

supra excelsa stragula serica. Sed solus maritus notatur in tota turba. In hunc conversi omnis Romæ oculi, ceu portaret juvenes liberos ad rogum: tantus dolor in facie, et tantum squalent crines et barba. Vocant illam beatam, quod optato fine ad quietem pervenerit, et sparsere fletus in gratiam viri. Est locus ante civitatem,

Correxit Gronovius. Pro *germina* Parmensis exhibet *gramina.*—216 *Agmine* pro *Tegmine* in eadem.—220 *Noctis habent* edd. vett. *Sordis habent* debetur Marklando.—221 Venet. 1. et Parm. *fundere marito;* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *fundente marito;* codex Florent. cum Venet. 2. et vet. Lindenbrogii *fudere marito;* quod recepit Marklandus. Barthius verum esse ait *fundente.*—222 Edd. vett. *qua primum nascitur ingens, &c.* Heinsius ad Ovid. Met. IV. 556. et Gronovius Diatr. cap. 38. ex codice Mediceo proferunt: *qua primum surgitur ingens Appia;* ita etiam Venet. 1. Hoc

NOTÆ

crocum Cilicium in monte Corycio, cujus herba folio angusto in capillamenti modum, ait Plinius loco jam a nobis alibi notato. Unde Statio *Corycia comæ. Cinyreaque* [*Cynareiaque*] *germina*] Id est, Myrrham, in quam mutata fuisse dicitur Myrrha, filia Cynaræ regis Cypri. Vide Ovidium Met. x.

215 *Toris Serum*] Id est, Sericis. Vide Epith. Stellæ. *Tyrioque*] Id est, purpureo. Et tangit morem involvendi mortuos in pretiosissimis ac purpureis vestibus. Vide Laërtium in Socrate, Plinium lib. II. Epist. de Aurelia, et Velleium Paterculum lib. II. Quin et mortuis injectæ purpureæ vestes. Cujus moris rationem affert Servius: 'Quoniam,' inquit, 'sumtuosum erat, et crudele, victimas vel homines interficere, sanguinei coloris cœpta est vestis mortuis injici.' Virgilius Æneid. VI. 'Fit gemitus, tum membra toro defleta reponunt, Purpureasque supra vestes, velamina nota, Conjiciunt.'

219 *Tantum crinesque genæque noctis habent*] Imitatio Homeri: Τὸν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα. *Hunc nubes involverat atra doloris.*

221 *Lacrymas fudere marito*] Sic optimi Mss. *fundente marito* habent editiones ceteræ. Sensus: Non dolebant vicem Priscillæ, nec lugendam arbitrati sunt, quæ felix et sic plorata a conjuge: sed ipsum lugebant, qui tam beata conjuge privatus esset. Seneca ad Polybium: 'Non recuso quicquid lacrymarum fortunæ meæ superfuit, tuæ fundere.'

222 *Urbem*] Romam. *Qua*] Id est, ad portam Capenam qua erat initium Viæ Appiæ. Festus: 'Initium est principium, sed alias quo quid incipit, ut Viæ Appiæ porta Capena.'

Appia ; quaque Italo gemitus Almone Cybele
Ponit, et Idæos jam non reminiscitur amnes.
Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius conjux (nec enim fumantia busta

qua primum magna Via Appia incipit, et qua Cybele dimittit luctum ad Almonem Italum, nec plus recordatur fluvios Idæos. Hic te, Priscilla, egregius maritus collocavit molliter in diviti lecto, coopertam purpura Sidonia (non enim potuit susti-

NOTÆ

Ingens Appia] Supple via. Nostro alibi : 'Qua limite noto Appia longarum teritur regina viarum.'

223 *Quaque Italo gemitus Almone Cybele Ponit, et Idæos jam non reminiscitur amnes*] Respicit ad morem, quo sacerdotes Cybeles, lugentes et digladiantes inter se, furore correpti, solebant undecimo Kal. Aprilis gestare imaginem Cybeles, ad Almonem rivum fluentem ante portam Capenam, ita imitantes Deæ luctum cum ploravit extinctum Attyn : et illic ablutis imagine, sacrisque Deæ, ac gladiis, furore dimisso ad templum ejusdem cum maximo gaudio revertebantur. Mos lavandi statuam Cybeles sumsit hinc originem, quod cum statua Pessinunte Romam advecta, in cœnum cecidisset, cucurrit Archigallus ad Almonem illac fluentem, ut eam ablueret. Dicitur ergo Cybele 'deponere gemitus,' quia sacerdotes illius, ubi ad Almonem progressi fuerint, laverintque imaginem Deæ, lacrymas ac furorem ponunt. Tangit et hunc morem Ovidius Fast. IV. 'Est locus in Tyberim quo lubricus influit Almon, Et nomen magno perdit in amne minor. Illic purpurea canus cum veste sacerdos Almonis dominam sacraque lavit aquis.' Meminit et Valerius Flaccus Argon. lib. VIII. 'Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo, Lætaque jam Cybele, festæque per oppida tædæ : Quis modo jam sævos adytis fluxisse cruores Cogitet ? aut ipsi qui jam meminere ministri ?' Vide Livium lib. XXIX. S. Augustinum Civit. Dei lib. II. cap. 4. Ovidium Fast. IV. et Herodianum primo libro. *Et Idæos jam non reminiscitur amnes*] Id est, Cybelen, cum lota fuerit aquis Almonis, non amplius reminisci luctus, quem edidit ob extinctum Attyn ad amnes Phrygiæ. *Idæos*] Ab Ida monte Phrygiæ.

225 *Hic*] In Appia via. Et de more hoc, ut jam observavimus ; nam sepulcra juxta vias publicas olim posita, ut transeuntes mortalitatis admonerent. *Sidonio ostro*] Purpurea veste.

226 *Eximius conjux*] Abascantius. *Nec enim fumantia busta Clamoremque* [*Ardoremque*] *rogi potuit perferre*] Innuit hic Poëta Abascantium noluisse corpus uxoris igne absumi, ut mos erat. Sic Nero de Poppæa, apud Tacitum Ann. XVI. 'Corpus ejus non igne abolitum, ut Romanus mos, sed, regum externorum consuetudine, differtum odoribus conditum.' Porro loco τοῦ *Ardorem*, Ms. Florentinus, Rom. ac Veneta editio habent *Clamorem*. Alludit ad hunc versum Virgilii : 'Mœsta supremum voce ciemus.' Ubi Servius videndus est, aliisque in locis, quos laudat Kirchmannus de Funeribus Roman. lib. III. cap. 9. et Noster in Lacrymis Etrusci : 'Salve supremum senior mitissime patrum, Æternumque vale.'

Clamoremque rogi potuit perferre) beato
Composuit, Priscilla, toro: nil longior ætas
Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores
Siccatam membris; tantas venerabile marmor
Spirat opes: mox in varias mutata novaris
Effigies: hoc ære Ceres, hoc lucida Gnosis,

nere fumum busti et crepitum rogi): sæcula et temporum conatus non poterunt erodere aut corrumpere tuum corpus conditum: tantum pretiosorum aromatum sacrum marmor includit. Mox renovaris conversa in diversas imagines. Hoc ære Ceres

primi receperunt Editores Bipontini.—227 *Ardoremque rogi* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. &c. *Clamoremque rogi* Venett. 1. 2. Parm. Rom. vet. Lindenbrog. et Florent. quod revocavit Gronovius. Pro *potuit perferre* Barthius malit: *voluit perferre*.—229 Pro *vitiare* Venet. 1. *intrare*.—230 Heinsius ad Ovid. Met. I. 69. pro *marmor* citat *nomen*.—231 *Sepit opes* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Spirat opes* Parmensis; et hanc lectionem profert et comprobat Heinsius ad Claudian. IV. Cons. Honor. 591. ad Ovid. Met. l. l. et in Advers. p. 580.—233

NOTÆ

227 *Beato*] Diviti, ob varios odores muneraque.

228 *Composuit*] 'Componere' verbum funebre. Persius Sat. III. 104. 'Tandemque beatulus alto Compositus lecto.' Horatius I. Sat. 9. 'Omnes composui.' Tacitus in Agricola: 'Paucioribus hominum lacrymis compositus es.' *Nil longior ætas Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores*] Hæc vatis præsagia certa fuere: nec 'edax abolere vetustas' hoc Priscillæ conditorium potuit per 1400. fere annorum seriem: si quidem eodem monumento viæ Appiæ condita, et siccata membris integris inventa memoratur sub Sixto IV. Pontifice Maximo, anno salutis 1471.

230 *Siccatam membris*] Proprium enim erat aromatum, quibus condiebantur corpora mortuorum, siccare corpus consumto humore, qui corruptionem affert, sicque diutius illud conservare. *Venerabile marmor*] Sepulcra divitum semper marmorea, et marmore etiam consepiebantur. Suetonius Nerone cap. 1. 'In eo monumento solium porphyretici marmoris, superstanti Lunensi ara, circumseptum est lapide Thasio.' Pauperiorum vero levi materia. Unde idem Suetonius culpat Neronem, quod Claudii bustum consepiri nisi levi humilique materia neglexit. *Venerabile*] Quia sepulcra sacra erant, eaque nefas violari.

231 *Mox in varias mutata novaris Effigies, &c.*] Tangit morem, quem observavimus ad Genethliacon Lucani sub finem, fingendi defunctos habitu Deorum ut colerentur. Sic Livia, ut videre est apud Suetonium in Caligula, pueri insignis festivitatis effigiem, habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris dedicavit. Similis locus in Lacrymis Etrusci: 'Te lucida saxa, Te similem doctæ referet mihi linea ceræ: Nunc ebur et fulvum vultus imitabitur aurum.'

232 *Lucida Gnossis*] Ariadne. *Lucida*] Ob lucidum sidus Ariadnes coronæ in cœlo. *Gnossis*] A Gnosso, Cretæ oppido.

Illo Maia tholo, Venus hoc non improba saxo.
Accipiunt vultus, haud indignata, decoros
Numina: circumstant famuli, consuetaque turba
Obsequiis: tum rite tori mensæque parantur
Assiduæ: domus ista, domus; quis triste sepulcrum
Dixerit? Hac merito visa pietate mariti,
Protinus exclames, Est hic, agnosco, minister
Illius, æternæ modo qui sacraria genti
Condidit, inque alio posuit sua sidera cœlo.

sub tuo vultu repræsentatur, hoc fulgida Cretensis. Hoc tholo Maia, hoc lapide Venus pudica. Deæ non dedignantur sumere tuum decoram formam. Servi circumstant, et turba obsequiis addicta. Deinde ex more lecti et mensæ assidue sternuntur: domus ista, domus: quis dixerit esse tristem tumulum? Hac visa mariti pietate, statim jure exclames: Est hic, agnosco, minister illius, qui modo construxit templa sempiternæ familiæ, et collocavit sua astra in alio cælo. Sic ubi

Illo Maia loco Venet. 1. *Illo Maia tolo* Ald. 1. Marklandus conjectabat: *Illo Maia auro.*—237 *Assidue* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Assiduæ* Parm. quod revocavit Marklandus.—241 Venet. 2. Rom. et vet. Lindenbrogii: *atque*

NOTÆ

233 *Maia*] Mater Mercurii. *Venus non improba*] Duplex enim erat Venus, una pudica et cœlestis, altera *πάνδημος*, seu *vulgaris*.

236 *Tum rite tori mensæque parantur Assiduæ: domus ista, domus; quis triste sepulcrum Dixerit*] Plurimæ cœnæ in funeribus. Prima illa, quæ in rogum imponebatur, ut videtur Iliad. Ψ. et Æn. VI. et Theb. VI. eaque cœna 'feralis' Apuleio Florid. IV. Altera funebris cœna, *περίδειπνον*, epulum nempe quod dabatur iis, qui a funere redibant, ut videtur Iliad. Ω. in funere Hectoris, et apud Lucianum opusculo de luctu. Tertia Silicernium, seu cœna deposita ad sepulcrum, Ἑκάτης δεῖπνον, νεκροῦ δεῖπνον, vocata *cœna Hecates, cœna mortui.* Quarta epulum Novendiale, quod nono funeris die apud sepulcrum dabatur, 'Novendialis' cœna Tacito Ann. VI. Transierat hic mos apud Christianos primis Ecclesiæ sæculis, ut patet ex pluribus Patrum locis, sed ob gravissimas rationes sublatus. Abascantius vero, quo singularem in suam Priscillam amorem ac pietatem testaretur, non contentus fuit nono solum die cœnam apponere ad sepulcrum uxoris, sed quotidie funebrem cœnam in ejus honorem apponebat. Qui honor non vulgaris sed prorsus divinus, ut jam tetigimus ad Lacrymas Etrusci vs. 199. Quem morem illustrat Tertullianus de anima: 'Dum per totam hebdomadem Junoni mensa apponitur.' Et similis est locus in Lacrymis Etrusci: 'Assidue libabo dapes et pocula sacris Manibus, effigiesque colam.' *Domus ista, domus; quis triste sepulcrum Dixerit*] Ait mensas tot ferculis et tam lautis onerari, ut non hæc convivia agitari credantur ad sepulcrum, sed in domo splendidissima.

240 *Illius*] Domitiani. *Æternæ genti*] Id est, Flaviæ genti in Deorum

Sic ubi magna novum Phario de littore puppis
Solvit iter, jamque innumeros utrimque rudentes
Lataque veliferi porrexit brachia mali,
Invasitque vias; in eodem angusta phaselus
Æquore, et immensi partem sibi vindicat Austri.
Quid nunc immodicos, juvenum lectissime, fletus
Corde foves, longumque vetas exire dolorem?
Nempe times, ne Cerbereos Priscilla tremiscat
Latratus? tacet ille piis: ne tardior adsit
Navita, proturbetque vadis? vehit ille merentes

ingens navis educta ex ora Pharia, facit novam navigationem, et jam extendit utrimque innumeros funes, ac lata cornua veligeri mali, capessitque iter; parva cymba it in eodem mari, et capit partem ingentis Austri. Quid nunc, præstantissime juvenum, in corde alis nimias lacrymas, et prohibes migrare longum luctum? Nempe metuis, ne Priscilla expavescat latratus Cerberi? non ille pios allatrat. Ne lentior adveniat navita, repellatque eam ab aquis? ille statim vehit dignos, et

alio posuit.—243 Ald. 1. *innumeros;* Ald. 2. Colin. et Gryph. *in numeros.*—245 Gevartius: *it eodem,* probante Barthio. Vulgatam maluit Gronovius Diatr. cap. 41. ut subintelligatur 'est.'—246 Venet. 1. *partem subvindicat*

NOTÆ

numerum relatæ. *Sacraria*] Delubrum gentis Flaviæ intelligit.

241 *Sua sidera*] Id est, numina gentis suæ Flaviæ. Sidera enim et astra, ut jam diximus, pro numinibus Statio usurpantur. *Alio cælo*] Id est, templo, quod aliud cœlum est. Dii enim inhabitabant templa ut cœlos.

242 *Sic ubi magna novum, &c.*] Hac comparatione usus est jam Papinius Soteriis Gallici. Mens vero: Ut phaselus quæ sequitur magnam navem recipit pro modulo suo ventum, sic templum quod Domitianus ædificavit Flaviæ genti recipit pro modulo suo Deos ejusce gentis, cum cœlum sit solum capax eos continendi. *Phario*] Id est, Ægyptio.

243 *Solvit iter*] Id est, soluta facit iter.

244 *Lataque brachia*] Intelligit antennam, quæ est lignum quod per transversum in malum ponitur, quodque *brachia* dici potest, quia hinc et inde extenditur, sicut et brachia in homine. *Veliferi*] Per antennam, in qua velum alligatur.

245 *In eodem*] Gevartius legit: *it eodem.*

246 *Austri*] Auster hic pro quolibet vento sumitur.

247 *Quid nunc immodicos, juvenum lectissime, fletus Corde foves*] Similis locus Consol. ad Ursum: 'Quid terga dolori, Urse, damus? quid damna foves? et pectore iniquo Vulnus amas?'

249 *Nempe times, ne Cerbereos Priscilla tremiscat Latratus, &c.*] Similis locus in Epicedio in Glauciam: 'Pone metus, letique minas desiste vereri: Illum nec terno latrabit Cerberus ore,' &c.

250 *Piis*] Ut erat Priscilla, quæ tanto amore prosequebatur maritum.

251 *Navita*] Charon.

Protinus, et Manes placidus locat hospite cymba.
Præterea, si quando pio laudata marito
Umbra venit, jubet ire faces Proserpina lætas,
Egressasque sacris veteres Heroidas antris
Lumine purpureo tristes laxare tenebras,
Sertaque et Elysios animæ præsternere flores.

dat sedem lenibus umbris in hospitali scapha. Præterea, si aliquando manes defleti a pio conjuge accedunt, Proserpina imperat lætas faces eis occurrere, et priscas Heroïdas egressas e sacris speluncis solvere mæstam caliginem fulgenti luce, et præsternere animæ serta et Elysios flores. Sic Priscilla ingreditur inferos; ubi

Austri; Parmensis, *vindicat.*—252 Venett. 1. 2. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *placidus;* Gevart. Amstel. et Gronov. *placidos.* Pro *cymba* Marklandus conj. *ripa.*—253 Idem malit: *pio plorata marito.*—254 *Umbra vetat, jubet ire fores* Venet. 1.—256 Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *aperire tenebras,* quod defendit Gronovius contra Pontanum et Morell. qui voluerunt, *operire tenebras.* Venet. 1. Parm. et cod. Medic. *lassare tenebras,* i. e. *laxare.*—257 Aldd. Colin. Gryph. &c. *prosternere;* Venet. 1. *præsternere;* et sic conj. Bern. et legit Heins. ad Ovid. Amor. III. 13. 14. et in Advers. p.

NOTÆ

252 *Hospite cymba*] Qua Charon trajicere mortuos in infernum dicitur. *Hospite*] Id est, hospitali, ut 'hospes gemma' apud Palladium, opere de Agricultura: 'Cur non arbor iners pinguescat ab hospite gemma.'

253 *Laudata*] 'Laudare' verbum funebre: Glossæ: *ἐπιτάφιος, Epitaphium, nænia, laudatio.* Quintilianus: 'Hoc saltem habebis, miserrime fili, quod honoratis contingere funeribus solet; defunctus laudaberis.' Quia nimirum in luctu seu dolore laudabatur defunctus. Vel alludit ad morem laudandi mortuos honoratos pro rostris.

254 *Jubet ire faces Proserpina lætas*] Seneca Tragicus tamen id dicit solis pueris, ephebis, et virginibus concessum, in Hercule Furente, Actu III. 'His datum solis, minus ut timerent Igne prælato relevare noctem. Ceteri vadunt per opaca tristes.'

255 *Sacris*] Elysiis. *Heroidas*] Quæ maxime claruerunt castitatis fama, ac amoris in viros.

256 *Lumine purpureo*] Imitatio Virgiliana: 'Largior hic campos æther, et lumine vestit Purpureo.'

257 *Sertaque et Elysios animæ præsternere flores*] Ex more spargendi flores in eos, quos honorare volebant, vel quos benevolentia prosequebantur. Livius lib. XXIII. 'Omnes tendere ad imperatorem Romanum, ut ruente turba in unum, adire, contingere dextram cupientium, coronas lemniscosque jacientium, haud procul periculo fuerit.' Ovidius de Germanico triumphante: 'Quaque ibis manibus circum plaudere tuorum: Undique jactato flore tegente vias.' Tacitus Ann. XIV. 'Octaviæ imagines gestant humeris, spargunt floribus.' Virgilius Æneid. VI. 'Purpureos spargam flores, animamque nepotis His saltem accumulem donis.' Noster Epith. Stellæ: 'Optatæ conjugis artus Floribus innumeris et olenti spargere thymbra.' Quin etiam mortui his aspersi. Suetonius in Au-

Sic Manes Priscilla subit; ubi supplice dextra
Pro te Fata rogat, reges tibi tristis Averni
Placat, ut expletis humani finibus ævi
Pacantem terras Dominum, juvenemque relinquas
Ipse senex: certæ jurant in vota Sorores.

pro te orat fata summissa manu, mitigat tibi reges mæsti Averni, ut finito termino humanæ vitæ, ipse longævus relinquas Imperatorem regentem terras et juvenem. Sorores haud dubie jurant in hæc verba.

581. Ita malit etiam Barthius.—261 Parm. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, *Placantem.*—262 Edd. vett. *certe:* correxerunt Gronov. Diatr. p. 415. et Heinsius ad Claud. Eutrop. II. 2.

NOTÆ

gusto: 'Conditorium et corpus Alexandri M. prolatum e penetrali, corona aurea imposita ac floribus aspersis, veneratus est.'

258 *Manes*] Sedem Manium. *Supplice dextra*] Id est, submissa.

259 *Fata*] Parcas. *Reges tristis Averni*] Plutonem et Proserpinam.

260 *Expletis humani finibus ævi*] Id est, centum annis, qui dicuntur humanum ævum.

262 *Ipse senex*] Abascantius. *Certæ* [*certe*] Legit *certæ* Gronovius, id est, bonæ, et quibus fidere possis. Sic Cicero in Verrem: 'Iste homo certus et diligens, ad horam octavam præsto est.' Ibidemque: 'Propter virtutem et fidem, cum Androne, homine honestissimo et certissimo, electus est.'

II. PROTREPTICON † AD CRISPINUM. ‡

Crispinum amicum in agrum Tarquiniensem abeuntem carmine prosequitur Statius, hortaturque ad æmulationem virtutis paternæ. Denique prædicit futuros militiæ honores.

RURA meus Tyrrhena petit, saltusque Tagetis

Crispinus meus tendit ad agros Tyrrhenos et lucos Tagetis. Non longum est

Parmensis: *Laudes Crispini Vec.* ceteræ omnes: *Protrepticon ad Crispinum.*—1 Parm. et Rom. *Tageni.*—2 Gronovius Diatr. p. 410. citans hunc

NOTÆ

† *Protrepticon*] Supple Carmen, quo aliquis ad virtutem excitatur.

‡ *Crispinum*] Crispinus ille erat filius Vectii Bolani Britanniæ legati ante Vespasianorum imperium.

1 *Rura Tyrrhena*] Id est, Tusciam, seu Etruriam, quam Tyrrheni Lydia profecti occupaverant. *Saltusque Tagetis*] Tarquiniensem agrum intelligit, in quo Tages dicitur, sulco ab ara-

Crispinus: nec longa mora est, aut avia tellus;
Sed mea secreto velluntur pectora morsu,
Udaque turgentes impellunt lumina guttæ,
Ceu super Ægeas hyemes abeuntis amici
Vela sequar, spectemque ratem jam fessus ab altis
Rupibus, atque oculos longo querar aëre vinci.
Quod si militiæ jam te, puer inclyte, primæ
Clara rudimenta, et castrorum dulce vocaret

iter, nec remota terra: sed meus animus percellitur tacito dolore, et madidi oculi effundunt tumidas lacrymas; seu visu sequar vela amici abeuntis per procellas Ægæi maris, et jam fatigatus contempler navem ab excelsis scopulis, et doleam oculos vinci a longo aëris spatio. Quid esset, inclyte adolescens, si clara rudimenta primæ militiæ, et gratum auspicium belli jam te vocaret, quantas lacrymas

locum habet: *nec longa via est.*—3 *Et mea* edd. vett. *Set mea*, i. e. *Sed*, correxit Gronovius. Parmensis, *vellantur* pro *velluntur*.—4 Venett. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *turgentes impellunt lumina guttas:* mutavit Marklandus, qui conjecerat etiam, *surgentes impellunt lumina guttæ*, addens: 'Si retineas *guttas*, dicendum foret *expellunt*, non *impellunt*; pro quo Parm. *impellant.*—6 Pro *fessus* Heinsius ad Claudian. p. 459. citat *lassus.*—7 Edd. vett. *atque oculis;* Joannes Meursius ad Arnob. p. 48. Joan. Bernartius et Lindenbrogius ad h. l. correxerunt, *atque oculos;* quod primus recepit Gevartius. Pro *querar* Romana *queat.*—8 *Quid si* edd. vett. præter Venet. 1. in

NOTÆ

tore profundius impresso, inventus fuisse sub glebam puerili specie, sed senili prudentia, ac cœpisse alloqui aratorem, Thuscisque principia aruspicinæ tradidisse. Quod sic Ovidius Met. x. expressit: 'Haud aliter stupuit, quam cum Tyrrhenus arator Fatalem glebam motis aspexit in arvis Sponte sua primum, nulloque agitante moveri: Sumere mox hominis, terræque amittere formam, Oraque venturis aperire recentia fatis. Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruscam Edocuit gentem casus aperire futuros.' Vide et Ciceronem de Divinat. lib. II. Dionysium Halicarnassæum, Servium ad Æneid. VIII. Festum, et Ammianum Marcellinum.

2 *Nec longa mora*] Aliqui còdices, *via.*

3 *Morsu*] Morsus hic θυμοδακὲς ἄχος ἢ ἄλγος, *dolor aut cura animum mordens.* Sic Coma Earini: 'Tamen anxia curis Mordetur.'

5 *Ægæas hyemes*] Ægæum enim mare procellis ac tempestatibus obnoxium est.

6 *Vela sequar, spectemque, &c.*] Sic Theb. IV. 'Tandemque relicti Stant in rupe tamen, fugientia carbasa visu Dulce sequi, patriosque dolent crebrescere ventos.'

8 *Quod si militiæ jam te, puer inclyte, primæ Clara rudimenta, et castrorum dulce vocaret Auspicium*] Imitatio Virgiliana Æneid. IX. 'Haud ignarus eram quantum nova gloria in armis, Et prædulce decus primo certamine posset.' *Clara rudimenta*] Nam ex iis aditus ad optatos honores, qui claros efficiunt. *Auspicium*] Ex more;

Auspicium, quanto manarent gaudia fletu,
Quosve darem amplexus! et nunc optanda propinquant
Tristia? Et octonos bis jam tibi circuit orbes
Vita; sed angustis animus robustior annis,
Succumbitque oneri, et mentem sua non capit ætas.
Nec mirum: non te series inhonora parentum
Obscurum proavis, et priscæ lucis egentem,
Plebeia de stirpe tulit: non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi; nec paupere clavo

funderem lætitia? quosve præberem amplexus? Etiamne tempus triste et optandum appropinquat? Et jam attigisti decimum sextum annum: sed animus ætate fortior est: illa cedit oneri, et tui anni illum non capiunt. Nec mirum est. Non inglorium parentum stemma te procreavit de vulgi sobole, obscuris majoribus, et carentem antiquo lumine. Non etiam ortus genere equestri, Remive trabea, nec clavo

qua *Quod si,* ut edidit Marklandus.—11 Venet. 1. *et ne optanda propinqui;* Parm. Venet. 2. et Rom. *etiamne optanda propinqui;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *etiamne optanda propinquant.* Correxit Marklandus, qui suspicabatur excidisse versum ante τὸ *Tristia.*—12 Venett. 1. 2. Parm. Rom.

NOTÆ

nihil enim nisi auspicato gerebant veteres; et sic ubi milites nomen dederant consuli, non ascribebantur in militiam, nisi ille secunda auspicia habuisset. Unde natæ illæ locutiones frequentes Livio aliisque scriptoribus, 'ductu' et 'auspicio.'

10 *Quanto manarent gaudia fletu*] Hypallage, pro quanto gaudio fletus manarent. Gaudium enim suas lacrymas habet. Chrysothemis apud Sophoclem in Electra: χαρᾷ δὲ πίμπλημ' εὐθὺς ὄμμα δακρύων. *Præ gaudio sunt lumina effusa lacrymis.* Livius lib. v. 'Certatim patribus plebique manare gaudio lacrymæ.'

11 *Optanda*] Quia clara. *Tristia*] Ob pericula et labores. Sic Pindarus 'optatæ virtutis' tristes adjungit comites laborem, sumtum, periculum; vel *tristia* ob absentiam Crispini, qua Statius multum affici deberet.

12 *Et octonos bis jam tibi circuit orbes*] Hoc loquendi modo innuit Papinius Crispinum ætatem militarem pæne attigisse. Nam ut ait Tubero apud A. Gellium lib. x. cap. 18. 'Servius Tullius rex Romanorum pueros esse existimavit, qui minores essent annis septemdecim: atque inde ab anno decimo septimo, quos idoneos jam Reip. esse arbitraretur, milites scripsisse.' Sub bella tamen Punica attritis Reip. opibus, Tribuni plebis, ut refert Livius lib. xxv. ad populum tulerunt, ut qui minores septem et decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si majores, milites essent facti. Sed prohibitum mox Gracchi lege, qui cavit, 'ne minor decem et septem annis miles legeretur.'

14 *Et mentem sua non capit ætas*] Id est, sapientia et animus hujus pueri major est annis.

16 *Priscæ lucis*] Majorum.

17 *Non sanguine cretus Turmali,*

Augustam sedem et Latii penetrale Senatus
Advena pulsasti; sed præcedente tuorum
Agmine. Romulei qualis per munera Circi,
Cum pulcher visu et titulis generosus avitis
Expectatur equus, cujus de stemmate longo
Felix emeritos habet admissura parentes:
Illum omnes acuunt plausus, illum ipse volantem
Pulvis et incurvæ gaudent agnoscere metæ:
Sic te, clare puer, genitum sibi Curia sensit,
Primaque patricia clausit vestigia luna.

angusto externus percussisti fores venerabilis curiæ, ac adyta senatus Latini, sed turba tuorum te præeunte. Ut cum equus formosus aspectu, et conspicuus honoribus majorum, cujus fortunatus conceptus habet de longa nobilitate emeritos parentes, expectatur per spatia Circi Romani: omnium acclamationes illum accedunt, ipse pulvis, et flexa metæ lætantur volantem agnoscere: sic te, illustris adolescens, senatus intellexit sibi natum, et calceavit primos tuos pedes patricia luna. Mox

et vet. Lindenbrogii: *ut octonos.*—18 Codd. Domitii *trabeaque remi nec;* unde ille: *trabeque et remis et paupere clavo;* Parm. *trubeæque et remis ac paupere clavo;* Venet. 2. vet. Lindenbrogii, Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *trabeque ac remis.* Lectionem nostram primus edidit Gevartius.—21 *Sanguine* pro *Agmine* Venet. 1. Edd. vett. *jugera circi;* Marklandus ex conjectura *munera circi.*—22 Edd. vett. *visu titulis;* conjunctionem adjecit Marklandus.—24 *Felix demeritos* edd. omnes ante Gevartianam, quæ exhibet: *Felix emeritos.*—27 Parm. et Rom. *genitum te Curia.*—29 Pro *tunicamque*

NOTÆ

trabeave Remi, nec paupere clavo] Mens: Non tu ex plebe satus, immo nec ex equestri ordine, qui tribus notis designatur. *Sanguine Turmali*] Quia proprie equitum turmæ. *Trabea Remi*] Quia equites trabeati, ut reges. Sic Eucharistico 'trabeataque agmina.' *Paupere clavo*] Id est, angusto, qui ordinis equestris. Lipsius ad Ann. III. Taciti.

19 *Augustam sedem*] Curiam.

20 *Pulsasti*] Sic ad Menecratem: 'Romulei limen pulsare senatus.'

23 *Stemmate*] Stemma proprie nobilium erat, qui jus imaginum habebant. Hic abusive pro generis serie in fortibus et generosis equis, qui sæpe in ludis publicis coronati fuerant.

24 *Emeritos*] Id est, perfunctos laboribus in publicis ludis. *Admissura*] Admissura proprie tempus, seu actio ipsa, qua mares gregum admittuntur fœminis. Hic pro conceptu seu fœtura accipi puto.

26 *Incurvæ*] Dicit Poëta 'flexæ' Theb. VI. quia cum emissi e carceribus currus ad metam pervenerant, necesse erat ut circa ipsam flecterentur.

28 *Primaque patricia clausit vestigia luna*] Patricii ac nobiles Romani lunulas in calceis ferebant, cujus rationem reddit Plutarchus in Problem. Hæc institutio a Numa Pompilio, qui calceis Senatorum C literam, quæ centum significat, apponi jussit, ut per eam se e numero centum patrum

Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri. Sed enim tibi magna parabat
Ad titulos exempla pater: quippe ille juventam
Protinus ingrediens, pharetratum invasit Araxem
Belliger, indocilemque fero servire Neroni
Armeniam: rigidi summam Mavortis agebat
Corbulo; sed comitem belli sociumque laborum
Ille quoque egregiis multum miratus in armis
Bolanum; atque illi curarum asperrima suetus

humeri induerunt ex more purpureos amictus, ac nobilem tunicam. Quinetiam genitor tuus præparabat tibi magna exempla ad adipiscendos honores. Quippe ille statim, ineunte juventute, aggressus est pharetratos accolas Araxis, et Armeniam detrectantem parere diro Neroni. Corbulo administrabat summam crudelis belli, sed ille multum admirabatur Bolanum in præclaris facinoribus, socium belli, et participem laborum, atque solitus erat illi credere asperiores curas, et partiri metus: quod tempus

potentem, Bernartius mavult: *tunicamque patentem*, h. e. tunicam laticlaviam: et huic succinit Cruceus, improbante Marklando.—36 Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. citat: *multum miratus in annis.*—37 Idem l. l. corrigendum

NOTÆ

esse admonerentur. Juven. Sat. VI. 'Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.' Hi senatorum calcei 'mullei' dicti Festo lib. XII. cum lato clavo plerumque juncti, ut hic et apud Horatium I. Sat. 6. 'Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus Pellibus, et latum demisit pectore clavum.' Hæc enim duo insignia nobilitatis.

29 *Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem*] Tyrii sinus, et tunica potens, nihil aliud sunt, quam prætexta laticlavia, quam Crispinus induit cum lunatis calceis ex more patriciorum. Aliqui legunt, *patentem*.

32 *Pharetratum invasit Araxem*] Araxes fluvius Armeniæ. Vide Soteriis Gallici vs. 79. Dicitur 'pharetratus,' quia Armenii Araxis accolæ sagittandi peritissimi.

33 *Belliger*] Id est, ut legatus Corbulonis. *Fero Neroni*] Nero imperator successit Claudio; sub ejus imperio Armenia jugum Romanum excutere voluit, sed motus repressi virtute Corbulonis: de cujus fortitudine ac rebus gestis vide Tacit. Ann. XV. Tandem coëgit Tiridatem, qui rex Armeniæ declaratus fuerat, ad se venire, ac deponere coronam ad pedes statuæ Cæsaris, Romamque misit, ubi Tiridates, a Nerone magnifice ac bene acceptus, corona regia donatus est. Vide Tacitum ibidem.

34 *Armeniam*] Armenia, latissima regio Asiæ, a Ponto Euxino ad Caspium mare fere extensa. Vide Comam Earini vs. 63.

35 *Corbulo*] Vocabatur Domitius Corbulo.

37 *Bolanum*] Vectium Bolanum. Meminit ejus Tacitus in hoc Armeniaco bello his verbis: 'Legiones duas cum Verulano Severo et Vectio Bolano subsidium Tigrani mittit.' Tradit idem Tacitus Hist. lib. II. missum fuisse Vectium Bolanum in Britan-

Credere, partirique metus: quod tempus amicum
Fraudibus, exerto quænam bona tempora bello,
Quæ suspecta fides, aut quæ fuga vera ferocis
Armenii. Bolanus iter prænosse timendum,
Bolanus tutis juga quærere commoda castris,
Metari Bolanus agros, aperire malignas
Tot veprum nemorumque moras, tantamque verendi
Mentem implere ducis, jussisque ingentibus unus
Sufficere: ipsa virum norat jam barbara tellus:

aptum dolis, quæ opportunitas committendæ pugnæ, quid credendum de fuga acris Armenii, vera esset, an falsa: Bolanus præscire cavendas vias: Bolanus noscere colles idoneos ponendis in tuto castris: Bolanus metari campos: aperire malignos tot dumetorum ac sylvarum obices, et implere magna consilia formidandi ducis, ac solus sufficere magnis ejus imperiis. Ferox terra jam ipsa cognoscebat virum: ille propior

putavit: *atque uni curarum, &c.*—39 Venet. 2. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et Gevart. *extorto;* Parm. *ex orto;* Grasser. *exorto;* Amstel. Gronov. Barth. Veen. Delph. &c. *exerto,* quod debetur Joanni Meursio Notis ad Arnob. lib. II. cap. 3. p. 48.—40 Pro *suspecta* Parm. et Rom. *suscepta.* Pro *vera ferocis* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii *fere ferocis.*—44 *Tot rerum nemorumque* Venet. 1. et Parm. unde Heinsius, loco jam citato, conjecerat: *Torrentum nemorumque moras,* vel *Torrentum veprumque moras.*—48

NOTÆ

niam in locum Trebellii Maximi legati. Et in Vita Agricolæ, eum annumerat legatis, qui Britanniæ præfuerunt ante imperium Flaviæ gentis. Incertum vero an de Bolano credendum sit Statio, qui huic dat laudem fortis et strenui viri, et tropæa Britannica ejusdem narrat infra hoc libello, an Tacito, qui hunc inertiæ erga hostes accusat in Vita Agricolæ his verbis: 'Nec Vectius Bolanus manentibus adhuc civilibus bellis agitavit Britanniam disciplina. Eadem inertia erga hostes.' Sed fides Poëtæ suspecta videtur præcipue apud filium.

39 *Fraudibus*] Strategemata vocantur. *Exerto bello* [*Marte*] Id est, aperto Marte, vel tempore apertæ et violentæ pugnæ.

40 *Quæ suspecta fides, aut quæ fuga vera ferocis Armenii*] Armenii enim, ut et ceteri Orientis populi, fugam simulabant, ut distraherent hostes, mox ut distractos videbant, revertebantur, sicque eos facilius profligabant. Itaque magnæ erat prudentiæ dignoscere an vera aut simulata esset fuga.

41 *Bolanus iter prænosse timendum*] Hæc et simili munia nonnisi fortissimis ac rei militaris peritissimis committi solita.

42 *Bolanus tutis juga quærere commoda castris*] In bene collocandis ac muniendis castris præcipue excelluerunt duces Romani.

45 *Ducis*] Corbulonis.

46 *Barbara tellus*] Armenia.

Ille secundus apex bellorum, et proxima cassis.
Sic Phryges attoniti, quanquam Nemeæa viderent
Arma, Cleonæusque acies impelleret arcus
Pugnante Alcide, tamen et Telamona timebant.
Disce, puer: nec enim externo monitore petendus
Virtutis tibi pulcher amor: cognata ministret
Laus animos: aliis Decii reducesque Camilli
Monstrentur; tu disce patrem; quantusque nigrantem

imperatori et secunda in bello persona. Sic consternati Phryges, quamvis cernerent arma Nemæa, ac arcus Cleonæus funderet eorum copias certante Alcide, tamen et metuebant Telamona. Disce adolescens: nec enim petendus tibi est pulcher amor virtutis ab alieno doctore. Domesticum præconium animos ministret. Decii et reversi Camilli aliis proponantur; tu disce patrem, et quo animo legatus impera-

Parm. *vetieta;* Venet. 1. 2. Parm. et vet. Lindenbrogii *vectita;* et sic etiam Florent. et codices Domitii Calderini; unde ille fecit *Nemeæa.* Hoc improbat Salmasius Epist. 88. ad Gronov. et pro *vectita* reponit *Jove picta.* Vide Syllog. Epist. Tom. II. p. 535. Marklandus correxit *Lernæa.* Heinsius conj. *Nemeæa paverunt.*—49 *Cleonæosque* Parm. Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii.—51 Heinsius in Advers. lib. III. cap. 15. p. 519. legit: *Disce, puer,* (*neque enim .... Monstrentur*) *tu disce patrem;* vel: *Hisce puer,* (*neque enim externo .... pulcher amor*) *cognata, &c.*—54 Venet. 1. et Parm. *quantusque*

NOTÆ

47 *Proxima cassis*] Sic Soteriis Gallici 'stat proxima cervix Ponderis immensi.'

48 *Phryges*] Trojani. Hercules enim, ob denegatam sibi a Laomedonte promissam mercedem pro liberata Hesione, Trojam obsedit, et expugnavit, ac Telamoni comiti, Æaci filio, Hesionen dono dedit in præmium virtutis, quod primus muros conscendisset et in urbem intrasset. *Nemeæa viderent Arma*] Sic correxit Domitius, cum in omnibus codicibus mendose legeretur *Vectita,* et per *arma Nemeæa* intelligit pellem leonis Nemæi, qua Hercules indutus erat. Salmasius autem emendavit: *Jove picta* et per *arma Jove picta,* intelligit scutum Herculis, qui Jovem pictum pro insigni habebat. *Arma* enim, ut et ὅπλα Græcis, pro clypeo sumuntur apud Latinos.

49 *Cleonæus arcus*] Id est, Herculis, quod leonem Nemæum occiderat prope Cleonas.

50 *Alcide*] Hercule, sic vocato ab avo Alceo.

53 *Decii*] Decii pater et filius consules Romani, qui pro salute patriæ se devoverunt. Vide Historicos Romanos. *Reducesque Camilli*] Camillus revocatus ab exilio, in quod injuste missus fuerat, unde 'redux' dicitur, dispersos, direpta urbe a Gallis Senonibus, Romanos consternatosque recollegit, bonumque animum habere jussit: mox cum copiis profectus, Gallos aggressus pendendo auro intentos, non solum mœnibus expulit, sed etiam persecutus, variis præliis eos fudit, ac omnino delevit. Unde Romulus et secundus Romæ conditor meruit appellari. Vide Historicos.

54 *Tu disce patrem*] Synecdochice

Fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen
Intrarit mandata gerens; quantusque potentis
Mille urbes Asiæ sortito rexerit anno,
Imperium mulcente toga: bibe talia pronis
Auribus: hæc certent tibi conciliare propinqui:
Hæc iterent comites præcepta, senesque paterni.
Jamque adeo moliris iter, nec deside passu
Ire paras: nondum validæ tibi signa juventæ
Irrepsere genis, et adhuc decor integer ævi.

toris subierit Thulen obscuram sole fatigato se mergente in occiduum mare, et qua justitia gubernaverit per annum mille florentes civitates Asiæ, quæ illi sorte obtigerat, toga leniente potestatem. Hæc tibi sunt avide audienda; propinqui hæc contendant tibi inculcare: hæc præceptores, ac paterni senes repetunt documenta. Jamque alio instituis iter, nec paras ire lento gressu. Nondum notæ fortis juventæ irrepsere tuis malis, et adhuc illæsa est tua venustas. Nec pater adest. Num

negantem; Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii: *quantusque natantem,* quod recepit Lindenbrogius; unde Marklandus *quantusque vacantem.*—55 Parmensis *fessusque;* Marklandus malit *cassamque.*—56 Edd. vett. *potentes;* mutavit Marklandus.—58 Omnes edd. ante Marklandum: *tibi talia, &c.* Heinsius ad Val. Flac. v. 247. 'Hæc tibi, fatorum genitor tutela meorum Omnituens,' ita scribit: '*Hei mihi* Aldus: locus corruptus: putarem, *Eia age,* nisi longius abiret a vulgata scriptura: forte, *Hæc tibi,* scilicet auribus. Similem locum libro v. Sylvarum Statii Propemptico Crispini restituimus.' Hinc Marklandus correxit: *bibe talia, &c.* Pro *pronis* Parmensis habet *promis.*—60 Pro *paterni* Marklandus conjecerat *patenti.*—61. 62 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Jamque alio .... Ire paras, nondum validæ tibi, &c.* Heinsius in Advers. lib. II. cap. 15. ex scripto codice legit, *Jamque illo,* et ex conjectura, *nondum calidæ. Jamque adeo* ex ingenio dedit Marklandus.—63

NOTÆ

pro: 'Disce puer magni laudes et facta parentis.' Ut imiteris scilicet. *Quantusque nigrantem Fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen*] Quia Thule occidentalior est, et ibi sol creditus in Oceanum se mergere. *Fesso*] Emenso suo curriculo. *Hyperione*] Hyperionem sumi a Poëtis pro sole, jam notavimus.

56 *Mandata gerens*] Id est, legatus. Vectius enim Bolanus Britanniæ præfuerat, ut jam diximus.

57 *Sortito rexerit anno*] Proconsules enim sorte mittebantur in provincias, quas per annum regebant.

58 *Imperium mulcente toga*] Sic Soteriis Gallici: 'Et ferrum mulcere toga.' Et Epulo Domit. 'Majestate serena Mulcentem radios.' *Bibe* [*tibi*] *talia pronis Auribus*] Supple, haurienda sunt.

61 *Adeo* [*Alio*] *moliris iter*] Crispinus enim foro se destinaverat. *Nec deside passu Ire paras*] Crispinus, ut infra videbitur, jam magnos profectus fecerat in eloquentia. Metaphora sumta a viatoribus qui celeri pede contendunt.

63 *Integer*] Non fuscatus adhuc, mutatusque lanugine.

Nec genitor juxta; fatis namque haustus iniquis
Occidit, heu! geminam prolem sine præside linquens.
Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.
Quem non corrumpit pubes effræna, novæque
Libertas properata togæ? ceu nescia falcis
Sylva comas tollit, fructumque expirat in umbras.
At tibi Pieriæ tenero sub pectore curæ,
Et pudor, et docti legem sibi dicere mores;
Tunc hilaris probitas, et frons tranquilla, nitorque

raptus malignis fatis occidit, heu deserens duplicem sobolem sine defensore, nec abstulit saltem puerilem purpuram a brachiis tuis, et induit humeros alba toga. Quem non corrumpit pubertas, et sibi permissa licentia novæ togæ? ut arbor, quæ non experta est falcem, nimis luxuriat, et tota abit in folia, nec fructum fert. Sed tibi sunt Musarum studia in juvenili pectore, pudorque et mores, qui sciunt sibi legem ponere: læta etiam probitas, et frons serena, nitorque luxuriæ expers, et



Pro *decor* Parmensis præbet *tenor.*—65 *Occidit et geminam* Parmensis: *sub præside* Till. Cruc. et Gevart. *sine præside* Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. et Plant. et sic codex vetustus Bernartii.—70 Morellus malit: *expirat in*

NOTÆ

64 *Genitor juxta*] Supple, adest.

66 *Ostrum puerile*] Innuit togam prætextam, cujus in limbo ostrum seu purpura cernebatur, unde *ostrum puerile.* Hanc nobiles pueri usque ad sextum decimum annum ferebant.

67 *Albenti amictu*] Intelligit togam puram seu virilem, quæ candida erat, et sexto decimo ætatis anno capiebatur. Sic Persio 'candidus umbo:' Ovidio 'liberior' dicta, quia pueri, hac sumta, desinebant esse sub magistris ac pædagogis.

68 *Novæque Libertas properata togæ*] Supple 'virilis.' Hinc illud ætatis tempus lubricum dicitur; sed ut ait eleganter Plutarchus: 'Αναρχία μὲν γὰρ, ἣν ἔνιοι τῶν νέων ἐλευθερίαν ἀπαιδευσίᾳ νομίζουσι, χαλεπωτέρους ἐκείνων τῶν ἐν παισὶ διδασκάλων καὶ παιδαγωγῶν δεσπότας ἐφίστησι, τὰς ἐπιθυμίας ὥσπερ ἐκ δεσμῶν λυθείσας. *Licentia vero, quam aliqui juvenum vocant ignorantia libertatem, imponit sæpius iis difficiliores dominos, quam erant præceptores ac pædagogi, quos prius habuerant, nempe cupiditates velut e vinculis solutas.*

69 *Ceu nescia falcis Sylva comas tollit*] Arbor enim, quæ non amputatur falce, altius erigit ramos. *Fructumque expirat in umbras*] Mens: Tota abit in folia, ramosque superfluos, nec fructum producit. Vocat autem ramos foliaque *umbras,* ab effectu, quia umbram efficiunt.

71 *Pieriæ*] Musarum, quæ Pierides dicuntur.

72 *Legem*] Normam vivendi.

73 *Hilaris probitas*] Quæ nihil severi nec austeri habet. *Frons tranquilla*] Index tranquillitatis animi.

Luxuriæ confine timens, pietasque per omnes
Dispensata modos; æquævo cedere fratri,
Mirarique patrem, miseræque ignoscere matri.
Admonuit fortuna domus: tibine illa nefanda
Pocula, letalesque manu componere succos
Evaluit, qui voce potes prævertere morsus
Serpentum, atque omnes vultu placare novercas?
Infestare libet Manes, meritoque precatu

pietas unicuique pro jure suo distributa: anteponere coætaneum fratrem, patrem venerari, et ignoscere miseræ matri, de qua loqui fortuna vestræ domus me admonet. Illane tibi valuit miscere propria manu scelěratam potionem, et mortiferos liquores, tibi, qui potes voce avertere morsus serpentium, et vultu mollire cunctas novercas? juvat molestare umbram illius, et dignis imprecationibus quietem busto adimere, sed

auras.—74 *Luxuriæ cum fine tenens* Parmensis; *Luxuriæ confine tenens* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Gevart. Lectio nostra debetur Bernartio.—75 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart, &c. *Dispensata domos.* Lectio nostra debetur Adr. Behottio Apboret. lib. II. cap. 11. Primus recepit Heinsius in ed. Amstel.—81 Venett. 1. 2. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *juvat;* Parmensis *libet*, quod revocavit Dan. Heinsius in ed. Amstel. et sic Nic. Heinsius in

NOTÆ

74 *Pietasque per omnes Dispensata modos*] Id est, ut quisque propinquior erat, ita illi impensa pietas.

76 *Mirarique patrem*] Id est, imitari mirando. Lucanus: 'Egregio juveni miratorique Catonis.' *Miseræque ignoscere matri Admonuit fortuna domus*] Post τὸ *matri* ponendum punctum, ut bene observat Gronovius hic; alias detorqueretur oratio in sensum nullatenus Statio ascribendum. Et mens hæc est: Omnes numeros pietatis Crispine implevisti; prout unius cujusque persona, ordoque exigebat, sic fratrem æquævum anteponebas, patrem venerabaris; infelici etiam matri veniam dabas. Hei mihi! hic fatum domus vestræ refricat animum illius memoria: tibine illa miscere manu sua venenum sustinuit? &c. Ita abruptus, et præcisus hic sermo, ut magnam perturbationem denotet: in qua exprimenda divinus plane Statius noster. 'Admonere' hic non protrita significatione dicitur, sed pro eo quod aliquo cum dolore in memoriam redit, et, ut ait Tullius, animum memoria refricat. Virgilius: 'Cum Turni injuria matrem Admonuit.' Ovidius Ep. Sapphus: 'Nil de te mecum est, nisi tantum injuria: nec te Admonuit, quod tu munus amantis habes.' Justinus: 'Hujus virtute cum civitas admoneretur.'

77 *Nefanda Pocula, letalesque succos*] Id est, venenum.

79 *Qui voce potes prævertere morsus Serpentum, atque omnes vultu placare novercas*] Noster Epicedio in Glauciam: 'Hyblæis vox mixta favis, cui sibila serpens Poneret, et sævæ vellent servire novercæ.' Si novercas placare potes, quanto magis debebas matrem! notum est enim odium novercarum in privignos.

81 *Infestare libet manes*] Hæc ex

Pacem auferre rogis: sed te, puer optime, cerno
Flectentem justis, et talia dicta parantem:
Parce, precor, cineri: fatum illud, et ira nocentum
Parcarum, crimenque Dei mortalia quisquis
Pectora sero videt, nec primo in limine sistit
Conatus scelerum, atque animos infanda parantes.
Excidat illa dies ævo, nec postera credant
Sæcula! nos certe taceamus; et obruta multa
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.

te, puer egregie, aspicio lenientem me æqua oratione, et dicentem talia: Ignosce, oro, sepultæ. Illud fatum est, et ira sontium Parcarum, ac scelus numinis, quod tarde cernit corda hominum, nec detinet conatus criminum in primis foribus, ac mentes cogitantes flagitia. Illa dies deleatur e tempore, ne posteritas credat: nos certe sileamus, et patiamur scelera nostræ familiæ oblivioni tradi. Ille, cui sui

Advers. p. 462. Barthius legi jussit, *juvet.*—83 *Flectentem jussis* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *justis* Parm. Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, quod ille revocavit; *Flectentem a justis* Nic. Heinsius l. l.—87 Pro *parantes* Parm. *parentes;* Rom. *paratos.*—88 *Excitat illa die sævo* Parm. et Rom. *ne postera* edd. ante Marklandum.—90 Pro *patiamur* Parm. *patiātur.*—97 Pro

NOTÆ

nimia indignatione excidunt Papinio. *Manes*] Supple matris. *Precatu*] Id est, imprecatione, dira. Vide Theb. II. 480. *Pacem*] Pro quiete sumi nostro jam alibi notavimus.

83 *Flectentem*] Me scilicet Papinium. *Justis*] Supple, verbis. Id est, justa oratione.

84 *Parce, precor, cineri*] Sophocles in Ajace: Ἄνθρωπε μὴ δρᾶ τοὺς τεθνηκότας κακῶς. *Homo ne lædas mortuos.* Noster Theb. XI. 'Sis lenis cineri.' *Fatum illud, et ira nocentum Parcarum, crimenque Dei*] Solebant veteres sua crimina partim in Deos rejicere. Sic Theb. XI. 'Nec enim omnis culpa malorum Me penes, et Superi mecum Parcæque nocentes.' Sic Priamus apud Homerum in eosdem ab Helena belli Trojani invidiam avertit: Θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν, Οἵ μοι ἐφώρμησαν πόλεμον πολυδάκρυν Ἀχαιῶν. *Dei enim mihi auctores, qui mihi excitarunt bellum lacrymosum Græcorum.* Eodemque spectat illud Æschyli: Θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς, Ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ. *Deus causam inserit terræ incolis, dum vult domum aliquam funditus perdere.*

86 *Sero videt*] Non prævenit.

88 *Excidat illa dies ævo, nec postera credant Sæcula! nos certe taceamus; et obruta multa Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis*] Hos versus loquendo de cæde Sanbartholomæa citat Thuanus in sua Historia. Noster Theb. XI. 'Omnibus in terris, scelus hoc omnique sub ævo Viderit una dies, monstrumque infame futuris Excidat.' *Nos certe taceamus*] Nam domestica mala tristitia operienda. *Nocte*] Oblivione. Horatius IV. Od. 9. 'Sed omnes illacrymabiles Urgentur ignotique longa Nocte.'

Exegit pœnas, hominum cui cura suorum,
Quo Pietas auctore redit, terrasque revisit,
Quem timet omne nefas: satis hæc, lacrymandaque nobis
Ultio: quin sævas utinam exorare liceret
Eumenidas, timidæque avertere Cerberon umbræ,
Immemoremque tuis citius dare Manibus amnem.
Macte animo, juvenis! sic crescunt crimina matris.
Nec tantum pietas, sed protinus ardua virtus
Affectata tibi: nuper cum forte sodalis
Immeritæ falso palleret crimine famæ,
Erigeretque forum, succinctaque judice multo
Surgeret, et castum libraret Julia fulmen;

cari sunt, sumsit de ea supplicium, quo auctore Pietas revertitur, et revisit terram, quem cuncti improbi metuunt. Hæc vindicta et deploranda nobis sufficit. Quin utinam daretur flectere crudeles furias, et deterrere Cerberum a pavidis Manibus, et dare tuæ umbræ obliviosum fluvium. Macte animo, adolescens: sic scelera genitricis augentur. Nec tantum pietas, sed etiam ardua virtus appetita tibi est. Nuper, cum forte amicus palleret immerita accusatione falsi criminis, et in se excitaret omne forum, et lex Julia stipata multis judicibus insurgeret, et jacularetur

sic crescunt Parm. et Rom. *sed crescunt*; Barthius conj. *decrescunt*.—101 *Erigeretque toros* conj. Heins. in Epist. Grævio, Syllog. Epist. Tom. IV. p. 432. et ita legit in Advers. lib. I. cap. 3. p. 29.—102 Heins. in Advers. l. l. *vibraret Julia ferrum*. Heinsius tamen ita scribit in Epist. Grævio, Syllog. Epist. Tom. IV. p. 428. 'Lapsus est memoriæ, (de Gronovio loquitur,) quod *ferrum*

NOTÆ

91 *Exegit pœnas*] Domitianus enim matrem Crispini supplicio affecerat. *Hominum*] Ministrorum famulorumve, ut observavimus ad Consol. Ursi.

92 *Quo Pietas auctore redit, terrasque revisit*] Pietas enim dicebatur petiisse cœlum, fugata criminibus hominum. Vide Lacrymis Etrusci, initio.

93 *Omne nefas*] Id est, omnes mali ac nocentes. Sub hoc enim principe justitia severissime administrata, ut alibi diximus.

95 *Eumenidas, timidæque avertere Cerberon umbræ*] Furiæ enim seu Eumenides Cerberusve impiorum umbras molestare dicuntur in Inferis. *Timidæ*] Quia semper nocentes timent. *Umbræ*] Matris.

96 *Immemoremque*] Id est, Lethæum, in quo scilicet 'longa oblivia potant.'

97 *Sic crescunt crimina matris*] Illius enim scelus augescit pietate filii, quia quo major pietas filii, eo major impietas matris.

98 *Ardua*] Proprium virtutis epithetum; nam ad res arduas ac difficiles nos excitat.

102 *Julia*] Supple, lex. Hanc de Adulteriis tulit Augustus. Sed qua pœna afficerentur adulteri non liquet ex jure. Plerique capitalem fuisse credunt, moti quibusdam Apuleii et Arnobii locis, et D. Basilii Epistola

Tu, quanquam non ante forum legesque severas
Passus, sed tacita studiorum occultus in umbra,
Defensare metus, adversaque tela subisti
Pellere, inermis adhuc et tiro, paventis amici.
Haud unquam tales aspexit Romulus annos
Dardaniique senes, medii bellare togata
Strage fori: stupuere Patres tentamina tanta,
Conatusque tuos; pro te reus ipse timebat.
Par vigor et membris; promtæque ad fortia vires
Sufficiunt animo, atque ingentia jussa sequuntur.
Ipse ego te nuper Tyberino ut littore vidi,
Qua Tyrrhena vadis Laurentibus æstuat unda,

pudicum fulmen; tu, etsi non antea versatus esses in foro et in severis legibus, sed latitasses in muta studiorum umbra, suscepisti tutari paventem amicum, et inermis adhuc et tiro repellere tela in eum emissa. Roma et senes nullum unquam togatum viderunt hac ætate dimicantem in foro cum tanta strage. Senatores mirati sunt tanta specimina, et tua incœpta: nec reus ipse metuebat te perorante. Similis vigor in membris est, et vires promtæ ad fortia sufficiunt animo, et obsequuntur magnis ejus motibus. Ipse ego te nuper aspexi currentem in ripa Tyberis, qua Tyrrheni

reponebam pro *fulmine.*' Marklandus conj. *libraret Julia fulmen.*—108 *Dardaniusque senes, &c.* Aldd. Colin. Gryph. &c. *Dardaniusque senex* Gevart. Gronov. Barth. &c. Barthius vero conj. *Dardaniusve senes.* Marklandus: *Dardaniive senes,* sed malit: *Dardaniive senes, media bellare togati Puce fori.*—110 Edd. vett. *nec te reus ipse;* Marklandus edidit: *pro te reus ipse.* Pro *timebat* Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, *tenebat.*—111 *Par vigor est membris* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Par vigor et membris* Parm. et Rom. quod revocavit Marklandus.—113 Edd. vett. *Tyberino in littore.* Mutavit

NOTÆ

ad virginem lapsam. Nonnulli relegationem. Vide Lipsium ad Taciti Ann. IV. Consule et Rævardum lib. IV. cap. 6. *Castum*] Quia lex illa lata erat contra adulteros. *Fulmen*] Supra diximus, *fulmen* damnationem significare.

105 *Adversaque tela subisti Pellere*] Metaphora sumta a re militari, in qua hostium tela clypeo repelluntur.

106 *Inermis*] Inexercitatus.

108 *Dardaniique senes*] Id est, Romani: melior enim pars civium Romanorum genus ducebat a Dardaniis seu Trojanis. *Togata Strage*] Quia in foro nocentes reique, non armis ferroque, sed toga armata vi dicendi, profligantur.

110 *Pro* [*nec*] *te reus ipse timebat*] Ipse reus non timebat, ne tu male eum defenderes.

114 *Tyrrhena unda*] Mare Tyrrhenum seu Inferum, sic dictum a Tyrrhenis, qui hanc oram Latii olim tenuerant. *Vadis Laurentibus*] A Laurento oppido Latii, Pici regis opere, ad mare Tyrrhenum sito.

Pendentem in cursus, vexantemque ilia nudo
Calce ferocis equi, vultu dextraque minacem;
Si qua fides dictis, stupui, Martemque putavi.
Getulo sic pulcher equo, Trojanaque quassans
Tela, novercales ibat venator in agros
Ascanius, miseramque patri flagrabat Elissam.
Troilus haud aliter gyro breviore minantes
Eludebat equos: aut quem de turribus altis
Arcadas Ogygio versantem in pulvere turmas

fluctus æstuant Laurenti arena, et prementem inermi talo ilia acris equi, minantem vultu et dextra. Si qua mihi fides adhibeatur, stupui, et credidi te armatum. Sic Ascanius conspicuus in Getulo equo, quatiensque Trojana jacula, ibat venatum in campos novercæ, et incendebat amore patris infelicem Didonem. Troilus non evitabat, leviore gyro, Achillis equos; nec velocius in stadio Ogygio circumflectebat

Marklandus.—115 *Tendentem cursus* plures editiones; *Pendentem cursus* Rom. et Venet. 2. *Prendentem cursus* codex Medicæus; *Pendentem in cursus* Parmensis, quod revocavit Marklandus. Pro *nudo* vet. Lindenbrogii *nuda;* Heins. conj. *crudo;* Marklandus mallet *duro.*—116 Pro *minacem* Rom. *minantem.*—117 Edd. vett. *armatumque putavi.* Lectio nostra est ex conjectura Marklandi.—118 *Cetulo* Rom. *Cæruleo* vet. Lindenbrogii. Pro *quassans* Parm. *cassans.* Markl. conjectabat: *Sarranaque quassans.*—120 Marklandus tentabat: *miseramque puer flammabat Elisam;* et: *miseramque patris flagrabat Elisam;* et: *miseramque magis flagrabat Elisam.*—121 Edd. vett. *gyro leviore;* Markl. edidit *gyro breviore,* ex conjectura Gronovii Reliq. ad Sylv. p. 373.—122 Rom. *haud quem.*—123 *Arcada in Ogygio versantem pulvere semet* conj. Heinsius in Advers. lib.

NOTÆ

115 *Pendentem in* [*Tendentem*] *cursus*] Romana et Veneta editio habet *Pendentem cursus.* Id est, ita agit equum Crispinus, ut non equitare, sed volare, non campo vehi, sed supra pendere videatur. Phædrus in descriptione occasionis: 'Cursu veloci pendens.' Pendere autem cursus modus loquendi frequentissimus apud Latinos, pro pendere in cursibus, vel pendentem facere cursus. *Nudo*] Id est, sine calcaribus.

116 *Minacem*] Quasi esses in media pugna.

117 *Martemque* [*armatumque*] *putavi*] Idem.

118 *Getulo*] A Getulia, regione Africæ.

119 *Novercales*] Didonis, quia Dido nupserat Æneæ patri Ascanii. Æn. IV. 'At puer Ascanius mediis in vallibus acri Gaudet equo.'

120 *Patri flagrabat*] Id est, accendebat amore patris. *Elissam*] Didonem. Elissa etiam vocabatur Dido, ut omnes sciunt.

121 *Troilus*] Troilus Priami et Hecubæ filius, impar congressus Achilli, ab eo interfectus est. *Breviore* [*leviore*] Fugiebat enim Achillem se curru persequentem. *Minantes*] Supple, sibi exitium.

122 *Eludebat*] Fugiendo, et ut peritus auriga. *Quem*] Parthenopæum.

123 *Arcadas turmas* [*metas*] Forte

Spectabant Tyriæ non torvo lumine matres.
Ergo age, nam magni ducis indulgentia pulsat,
Certaque dat votis hilaris vestigia frater,
Surge, animo et fortes castrorum concipe curas.
Monstrabunt acies Mavors Actæaque virgo;
Flectere Castor equos, humeris quatere arma Quirinus,
Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo

metas Arcadias ille quem matronæ Thebanæ haud obliquis oculis intuebantur de celsis turribus. Ergo age, nam benignitas ingentis principis te invitat, et frater dat certam spem tuis votis, tolle animum, et concipe generosa studia armorum. Mars et virgo Attica docebunt te artem bellicam, Castor regere equos, Quirinus movere humeris arma, qui tibi permisit saltare portando juvenili collo clypeos cœlo

IV. cap. 3. p. 582. *Arcados Ogygio versantem in pulvere metas* Venett. Parm. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ: Marklandus ex ingenio *turmas.* Pro *versantem* Rom. *vexantem.*—125 Pro *magni* Parm. *magno.* Pro *pulsat* Marklandus malit *poscit*, vel *pergit.*—126 *Certaque dat fatis paribus*, (vel *fati parilis*,) *vestigia frater* conj. Heinsius loco jam citato: Marklandus vero: *Certaque dat votis lætis, &c.*—129 *Flectet Castor equos* Parm. Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, quod ille admisit. Eædem editiones *quatet* pro *quatere.* Marklandus conj. *Flectere Castor equos gyro, quatere, &c.*—130 *Qui tibi*

NOTÆ

Parthenopæus, ut suam in aurigando peritiam ostentaret, jusserat metas poni in campo Thebano, circa quas flecteret currum: de hoc enim nihil legimus in fabula. *Currus* pro *metas* legendum est. *Arcadus*] Quia Parthenopæus Arcas erat. *Ogygio*] Thebano, ab antiquo Ogyge Bœotiæ rege.

124 *Tyriæ*] Thebanæ, oriundæ a Tyriis colonis, duce Cadmo. *Non torvo lumine*] Quia capiebantur ejus forma, quamvis esset hostis. Vide Theb. IX.

125 *Magni ducis*] Imperatoris Domitiani. *Pulsat*] Sperare jubet.

128 *Monstrabunt acies Mavors Actæaque virgo*] Mars et Minerva te docebunt artem militarem, ut præsides bellorum. *Actæa virgo*] Minerva, sic dicta, quia ab Atheniensibus religiosissime colebatur; Attica vero antiquitus 'Acte' vocabatur.

129 *Flectere Castor equos*] Castor docebit te artem equestrem; Castor enim equitandi peritissimus erat, unde Homero ἱππόδαμος, id est, *equorum domitor. Humeris quatere* [*quatet*] *arma Quirinus, Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo Nubigenas clypeos*] Lege *quatere* ex correctione Dan. Heinsii. Mens Poëtæ: Ut Mars et Minerva artem bellicam Crispinum docebunt et Castor equestrem, sic Quirinus docebit illum rotare clypeum, quo possit tela hostium a quacumque corporis parte depellere, præcipue a capite. Arsque illa vocabatur 'concussio seu rotatio scuti,' quæ fuit olim inter exercitationes militares. Sic enim Vegetius in lib. II. cap. 14. 'Qui,' inquit, 'dimicare gladio et scutum rotare doctissime noverit, qui omnem artem didicerit armaturæ.' Sidonius ad Majorianum: 'Clypeumque rotare Ludus, et intortas præcedere saltibus hastas.' Lucanus ad

Nubigenas clypeos, intactaque cædibus æra.
Quasnam igitur terras, quem Cæsaris ibis in orbem?
Arctoosne amnes, et Rheni fracta natabis
Flumina? an æstiferis Libyæ sudabis in arvis?
An juga Pannoniæ, mutatoresque domorum

delapsos, et arma non fœdata sanguine. In quasnam itaque ibis regiones, in quas Cæsaris provincias? Trajiciesne Septemtrionis fluvios, et victum Rhenum? An sudabis in calidis agris Africæ? An tremefacies cacumina Pannoniæ, et Sauro-

Venet. 1. ut conj. Dan. Heinsius.—131 *Nubigeros clypeos* Rom. Venet. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Nubigenas clipeos* Parm. quamvis ex eadem *Nubigeras* citat Marklandus. *Nubigenas* etiam conj. Dan. Heinsius, quod confirmat codex scriptus Nic. Heinsii, quem vide in Advers. loco paulo ante citato. Edd. vett. *intactaque cædibus arma:* mutavit Marklandus.—

NOTÆ

Pisonem: 'Arma tuis etiam si forte rotare lacertis.' Veteres Latine id 'ventilare' dicebant, eamque ventilationem intellexit Propertius lib. IV. El. 4. de Tarpeia: 'Vidit arenosis Tatium præludere campis, Pictaque per flavas arma levare jubas.' *Quirinus*] Romulus, Deus factus, vocatus est *Quirinus.* Vide Florum lib. I. cap. 1.

131 *Nubigenas clypeos*] Quidam legunt *Nubigeros,* et interpretantur, nulla cælatos imagine, nulla pictura insignes, quales erant tironum, albos, puros. Sed legendum *Nubigenas,* et per *Nubigenas clypeos* intelligenda ancilia, e nubibus seu cœlo, ut credebant veteres, delapsa. Hincque colligitur Crispinum fuisse in Saliorum collegium cooptatum. Salii autem, ut Livius tradit lib. I. in urbe duodecim fuere a Numa constituti, et Marti Gradivo consecrati, qui totidem ancilia per urbem cum saltibus gestabant, tripudiis canentes veterem Mamurii memoriam. De quo Mamurio hæc refero ex Festo, quia conducunt ad illustrandum hunc locum: 'Mamurii Veturii nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant hac de causa: Regnante Numa Pompilio e cœlo decidisse fertur ancile, id est, scutum breve; unaque vox edita, omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset. Itaque facta sunt ejusdem generis plura, quibus id misceretur, ne internosci cœleste posset. Probatum opus est maxime Mamurii Veturii: qui præmii loco petiit, ut suum nomen inter carmina Salii canerent.' *Intactaque cædibus æra*] Ancilia enim non ferebantur in præliis.

132 *Quem Cæsaris ibis in orbem*] Orbem Cæsaris vocat provincias, quæ, in divisione imperii facta inter Imperatores et Senatum, Imperatoribus obvenerant, qui in has legatos mittebant.

133 *Fracta*] Ob victos fractosque Cattos Rheni accolas.

134 *Libyæ*] Africæ. *Sudabis in arvis*] Quia Libya regio calidissima, unde 'æstifera' Statio.

135 *Juga Pannoniæ*] Intelligit montes, quibus inhærebant Daci, ut jam sæpius diximus: quia Dacia Pannoniæ contermina. *Pannoniæ*] Vide Soterii Gallici vs. 78. *Mutatoresque domorum Sauromatas*] Nomades enim

Sauromatas quaties? an te septenus habebit
Ister, et undoso circumflua conjuge Peuce?
An Solymum cinerem, palmetaque capta subibis
Non sibi felices sylvas ponentis Idumes?
Quod si te magno tellus frænata parenti
Accipiat, quantum ferus exultabit Araxes!
Quanta Calydonios attollet gloria campos!
Cum tibi longævus referet trucis incola terræ,

matas, qui non habent fixa domicilia? An te possidebit Danubius, qui septem ostiis evolvitur in mare Euxinum, et Peuce circumfusa aquoso marito? An ingredieris Solymos cineres, et captiva palmeta Idumes non plantantis pro se beata nemora? Quod si terra gubernata ab illustri tuo patre te habeat, quantum barbarus Araxes gaudebit! Quanta gloria efferet agros Calydoniæ! cum senior incola ferocis



137 Nic. Heinsius ad Val. Flac. IV. 729. *et umbroso;* ita etiam Rom. *umbrosa* Parm.—138 Pro *Solymum* Domitii codd. habuerunt *solidum;* et ita Parmen-

NOTÆ

erant tunc temporis Sauromatæ, id est, nullas certas ac fixas sedes habebant: unde victi a Domitiano, hac lege pacem obtinuerunt, ut 'sub uno cœlo viverent,' ut loquitur Papinius Lyrico ad Maximum. 'Refugis amaram Sarmatis legem dederit, sub uno Vivere cœlo.'

136 *An te septenus habebit Ister*] Ister seu Danubius *septenus* dicitur, quia septem ostiis in pontum Euxinum effunditur.

137 *Undoso* [*undisono*] *circumflua conjuge Peuce*] Peuce parva insula in uno Istri ostio, quod ab ea *Peuces* vocatur. Finxerunt autem Poëtæ Peucen nupsisse Istro, a quo alluitur: unde dicitur *undisono conjuge circumflua.*

138 *An Solymum cinerem*] Intelligit reliquias ac rudera Hierosolymitanæ urbis, quam Titus vi cepit ac incendit. Valerius Flaccus 'Solymum pulverem' pro eodem dixit Argon. lib. I. 'Solymo nigrantem pulvere fratrem.' De excidio hujus florentissimæ totius Orientis urbis vide Josephum lib. septimo de Bello Judaico, Tacitum lib. v. Historiarum, aliosque. *Palmetaque capta subibis Non sibi felices sylvas ponentis Idumes*] Hoc dicit, quia palmæ felicius crescunt in Idumæa, regione Syriæ, contermina Ægypti ac Arabiæ, quam in alia regione. *Capta*] Subacta scilicet regione, in qua crescunt palmeta. *Non sibi*] Quia palmæ dabantur victoribus in signum victoriæ, victi autem Idumæi fuerant a Romanis. *Felices sylvas*] Palmeta, *felices*, quia dabantur felicibus, hoc est, victoribus.

140 *Frænata parenti*] Gubernata, Metaphora ducta ab arte equestri, et intelligit Armeniam et Britanniam, quas rexerat olim Vectius Bolanus pater Crispini.

141 *Exultabit*] Videndo te hæredem et imitatorem tanti ducis Bolani. *Araxes*] Armeniæ fluvius.

142 *Calydonios*] Britannicos, a Calydoniis populis Britanniæ, qui hodie Scoti vocantur. *Attollet gloria*] Quod legatum Cæsaris te possidebit.

Hic suetus dare jura parens; hoc cespite turmas
Affari: vigiles speculas, castellaque longe
Prospicis? ille dedit; cinxitque hæc mœnia fossa:
Belligeris hæc dona Deis, hæc tela dicavit:
Cernis adhuc titulos: hunc ipse, vocantibus armis,
Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno.
Qualiter in Teucros victricia bella paranti
Ignotum Pyrrho Phœnix narrabat Achillem.

terræ tibi narrabit; Hic pater tuus solebat jus dicere; hoc cespititio tribunali alloqui milites: procul vides pulchras speculas, et arces? ille construxit ambiitque hos muros fossa: hæc dona, hæc arma consecravit numinibus armorum. Vides adhuc inscriptiones; ipse gerebat pacis tempore hanc loricam; hanc abstulit regi Britanno. Ut Phœnix referebat præclara facinora incogniti Achillis Pyrrho præparanti arma

sis.—145 Plurimæ edd. *nitidas speculas;* Parm. *vides speculas;* unde Nic. Heinsius ad Val. Flac. v. 536. et in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 582. legit *viden' has speculas;* Marklandus vero: *vigiles speculas.* Venet. 1. habet: *vitæ specula.*—146 *Aspicis? ille dedit, &c.* edd. vett. *Aspicis? insedit, cinxitque* Heinsius ll. ll. *Prospicis?* edidit Marklandus.—148 Edd. vett. *vacantibus armis.* Correxit Nic. Heinsius ad Val. Flac. v. 536. Sil. Ital. x. 112. Claud. IV. Cons. Honor. 318. et in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 584.—149 Pro *thoraca* Parm. *tribracta;* codd. Domitii *thoraca* et *tributa,* quod ultimum habet Venet. 1. unde Domitius *vibrata.*—150 Omnes edd. ante Marklandum: *vic-*

NOTÆ

144 *Hic*] Δεικτικῶς. *Suetus dare jura parens*] Legati enim ac præsides provinciarum jus etiam dicebant. *Hoc cespite*] Δεικτικῶς. *Cespite*] Id est, tribunali cespititio, ex more. Tribunal enim Imperatoris in castris semper cespititium. Vide Theb. VII. 724.

145 *Speculas*] Hic speculæ accipiuntur pro locis editis, unde excubiæ fiebant ad detegendos hostes. *Castella*] Propugnacula sunt, quæ in limitibus construebantur ad arcendos hostes, et unde in hosticum excurrebatur.

146 *Hæc mœnia*] Δεικτικῶς.

147 *Belligeris hæc dona Deis, hæc tela dicavit*] Ex more, quo vota persolvebantur, Marti scilicet et Minervæ, ob victos hostes, quorum arma eorum templis appendebantur.

148 *Titulos*] Inscriptiones. Victores enim donis, quæ faciebant templis Deorum, nomina sua inscribebant, armis vero, quæ appendebant, devictarum gentium nomina.

150 *In Teucros*] Trojanos, qui et Teucri dicti, a Teucro Scamandri filio ac Dardani socero, qui hanc gentem condidit. *Victricia bella*] Id est, prælia in quibus vincere debebat Trojanos. *Paranti* [*parentis*] Lege *paranti,* et refertur ad τὸ Pyrrho.

151 *Ignotum Achillem*] Pyrrho scilicet, quia cum Achilles ad expeditionem Trojanam profectus est, Pyrrhus ejus filius, quem ex Deidamia Lycomedis regis Scyri insulæ filia susceperat, adhuc infans erat. *Pyrrho*] Pyrrhus alio nomine Neoptolemus vocabatur, quod admodum juvenis ad bellum venerat. *Narrabat*]

Felix, qui viridi fidens cœptaque juventa
Durabis quascumque vices, vallumque subibis
Forsan et ense latus (si numina principis adsint)
Cinctus, et unanimi comes indefessus amici;
Quo Pylades ex more pius, quo Dardana gessit
Bella Menœtiades: quippe hæc concordia vobis,
Hic amor est; duretque precor! nos fortior ætas
Jam fugit; hinc votis animum precibusque juvabo.
Hei mihi, sed cœtus solitos si forte ciebo,

victricia in Trojanos. Felix, o care, qui flores viridi juventa, sustinebis labores cujuscumque itineris, et castra intrabis. Forsan et ipse cinctus latus amictu militari, (sic numen Imperatoris annuat,) et socius infatigabilis amici concordis bellum geres eo modo, quo pius Pylades, et quo Patroclus filius Menœtii gessit ad Trojam: nam par concordia vobis est, par amicitia, atque utinam perseveret. Fortiores anni jam nos destituunt, hinc juvabo animum tuum votis et precibus. Sed si forte

tricia arma parentis.—152 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *optate juventa;* in aliis: *optata juventa.* Lectio nostra debetur Nic. Heinsio ad Sil. Ital. II. 463. et in Advers. l. l. non item Marklando; hic tamen primus in textum recepit. Heinsius tentabat etiam: *aptaque juventa;* vel *ætate juventæ.* Markl. conj. *meritis fidens;* vel: *viridi fidens, Crispine, juventa;* vel: *viridi fidens navaque juventa.*—153 *Durabis quascumque vias* edd. vett. mutavit Marklandus. Pro *vallumque subibis* Parm. *vellamque sub illis;* Rom. *veniamque sub illis.*—154 *Forsan et ipse latus (sic, &c.* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Forsan et ense latus* Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 158. quod, ut suum proposuit Marklandus, qui pro *sic* correxit *si.*—156 *Quæ Pylades* Parmensis.—157 Eadem: *quippe et concordia.*—159 Markl. conj. *hunc votis;* vel: *hoc votis omen;* vel denique: *hinc votis tantum precibusque juvaro.* Heinsius in Advers. l. l. *hinc votisque manum precibusque juvabo.* Pro *votis* Parmensis *notis.*—160 *Hei mihi, sed quæstus* edd. vett. *questus* Gronov. Diatr. c. 50. damnat tamen hanc conjecturam in Reliq. ad Sylv. et reponit *cœtus;* et sic malit Heinsius. Marklandus tentabat: *Hei mihi, quod, cœtus,*

NOTÆ

Ut exstimularet eum ad imitandum patrem. *Achillem*] Id est, facta Achillis patris.

153 *Durabis quascumque vices* [*vias*] Propositi tenax perges eodem pede ac animo, ubique locorum ac gentium, et sole sub omni.

155 *Cinctus*] Supple, amictu militari.

156 *Pylades*] Strophii filius, amicus Orestis, et omnium ejus laborum ac calamitatum comes sociusque. *Pius*] Quia Pylades pro amico mori voluit.

157 *Menœtiades*] Patroclus Menœtii filius, Achillis amicus. Et horum notissima amicitia.

158 *Nos*] Me Papinium.

159 *Hinc votis animum precibusque juvabo*] Sic Protreptico ad Metium: 'Cur nobis ignavus amor? sed pectore fido Nusquam abero, longisque sequar tua carbasa votis.'

160 *Cœtus*] Notat morem Poëtarum recitandi carmina sua in cœtu amicorum, eorumve, quos rogabant. Qui mos satis notus ex scriptis aucto-

Et mea Romulei venient ad carmina patres,
Tu deeris, Crispine, mihi; cuneosque per omnes
Te meus absentem circumspectabit Achilles.
Sed venies melior, (vatum non irrita currunt
Omina;) quique aquilas tibi nunc et castra recludit,
Idem omnes perferre gradus, cingique superbis
Fascibus, et patrias dabit insedisse curules.
Sed quis ab excelsis Trojanæ collibus Albæ
(Unde suæ juxta prospectat mœnia Romæ
Proximus ille Deus,) fama velocior intrat

cogam assuetos conventus, et proceres Romani conveniant versus meos audituri, heu me, tu mihi, Crispine, deeris, et meus Achilles quæret te oculis absentem per omnes circulos. Sed venies illustrior. Vatum præsagia non sunt irrita. Et qui nunc tibi viam aperit ad aquilas et castra, idem indulgebit transire per cunctos gradus, et circumdari magnificis fascibus, et sedere in paternis curulibus. Sed, o Crispine, quis nuntius a celsis Albæ Trojanæ montibus, unde ille vicinus Deus

&c. Pro *Hei* Parm. *Ei;* Rom. *Heu.*—161 Parmensis: *ad crimina patres.*—162 *Tu dederis* Parmensis.—166 Aldd. Colin. Gryph. &c. *perferre gradus cingetque;* codex Salisb. *perferre gradus cingitque;* unde Gronov. Reliq. ad Sylv. legit: *perferre gradus cingique*, quod habet etiam Parmensis. Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 585. legit: *perque ire gradus, cingique.* Hunc versum, ut spurium, damnat Barth.—170 *Proximus ille Deis* conj. Marklan-

NOTÆ

rum, præcipue ex Satyris Juvenalis, ac Epistolis Plinii, et Taciti Dialogo de Oratoribus. Juvenalis de Nostro: 'Curritur ad vocem jucundam et carmen amicæ Thebaidos, lætam fecit cum Statius urbem, Promisitque diem. Tanta dulcedine captos Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi Auditur.'

162 *Tu deeris, Crispine, mihi*] Statius officium Crispini sibi defuturum dolet. Anxie enim auditorum in ejusmodi recitationibus favor quærebatur, ut omnibus notum est. *Cuneosque per omnes*] Supple, auditorum.

163 *Achilles*] Id est, Achilleis.

165 *Quique*] Imperatorem intelligit. *Aquilas tibi nunc et castra recludit*] Qui tibi pandit viam ad dignitates militares et castrenses, quæ per *aquilas*, signa Romana, et *castra* hic designantur.

166 *Cingique superbis Fascibus, et patrias dabit insedisse curules*] Per *fasces* et *curules* maximi honores imperii designantur, ut quorum fasces et curules sellæ erant insignia, veluti consulatus, præturæ, Proconsulatus, et legationes, &c. *Patrias*] Vectius enim Bolanus Consul fuerat. Ex lapide: C. CALPURNIO PISONE, M. VETTIO BOLANO COS. Ubi legitur Vettius: apud Tacitum vero Vectius.

168 *Excelsis collibus*] Alba enim sita erat in monte. *Trojanæ Albæ*] Quia Alba a Trojanis condita.

169 *Unde suæ juxta prospectat mœnia Romæ, Proximus ille Deus*] Domitianum intelligit. Sic supra Pietate Abascantii: 'Notat ista Deus, qui

Nuntius, atque tuos implet, Crispine, penates?
Dicebam certe, Vatum non irrita currunt
Auguria: en! ingens reserat tibi limen honorum
Cæsar, et Ausonii committit munia ferri.
Vade, puer, tantisque enixus suffice donis.
Felix, qui magno jam nunc sub præside juras,
Cuique sacer primum tradit Germanicus ensem!
Non minus hoc fortis, quam si tibi panderet ipse
Bellipotens aquilas, torvaque induceret ora
Casside: vade alacer, majoraque disce mereri.

prope respicit muros suæ Romæ, venit celerior fama, atque implet tuam domum? Aiebam bene, Vatum præsagia non sunt vana. En magnus Cæsar recludit tibi fores dignitatum, et mandat curam gladii Ausonii. I, puer, et coneris satisfacere tantis muneribus. Beatus, qui nunc juras sub ingenti principe, cuique divinus Germanicus committit primum gladium: non minus hoc est, quam si ipse fortis Gradivus te præficeret aquilis, et indueret vultum tuum truci galea. I lætus, et disce præstare te dignum majoribus.

dus.—175 Eidem Marklando magis placet: *tantisque electus suffice donis.*—178 Vulgo distinguitur: *Non minus hoc, fortis quam, &c.* Margo Barth. *sortis*, ex codicibus manuscriptis.—179 Pro *torva* omnes ante Gronov. editiones habent *torta;* nisi quod Parm. habet *tortiva;* Rom. *torvi.*

NOTÆ

flectit habenas Orbis, et humanos propior Jove digerit actus.' Domitianus autem maxime delectabatur agro Albano. *Suæ Romæ*] Illud *suæ* designat peculiarem benevolentiam ac amorem Domitiani erga Romam.

172 *Dicebam certe, vatum non irrita currunt Auguria*] Iterata sententia *τὸ περιχαρὲς τῆς προφητείας* indicat. Ut apud Ovidium Met. xv. 879. 'Si quid habent veri vatum præsagia.'

174 *Ausonii committit munia ferri*] Hic interpretes per *munia Ausonii ferri* putant intelligi honorem seu præposituram cubiculi, quæ fuerit delata Crispino, quam exercebat Parthenius cubicularius, unus ex interfectoribus Domitiani; cui muneri incumbebat gestatio ensis imperatorii. Simplicius id potest intelligi de qualibet dignitate militari; designat enim Papinius honores militares per 'ferrum,' ut Pietate Abascantii per 'enses:' 'Præterea fidos dominus si dividat enses.'

176 *Juras*] Nam accepto munere jurabatur inter manus principis. *Magno sub præside*] Imperatore.

177 *Primum ensem*] Vide supra vs. 173.

III. EPICEDION IN PATREM SUUM.

Hoc carmine funebri Poëta demortui patris Manibus, non sine religiosissimo affectu, justa facit; atque ejus genus, personam, merita, virtutes, ac eximias tum animi quam ingenii dotes fuse enarrat.

IPSE malas vires, et lamentabile carmen
Elysio de fonte mihi, pulsumque sinistræ
Da, genitor perdocte, lyræ: neque enim antra movere
Delia, nec solitam fas est impellere Cyrrham
Te sine. Corycia quicquid modo Phœbus in umbra,
Quicquid ab Ismariis monstrabat collibus Evan,
Dedidici: fugere meos Parnasia crines
Vellera, funestamque hederis irrepere taxum
Extimui, trepidamque (nefas) arescere laurum,

Ipse, erudite pater, præbe mihi tristem opem, et luctuosos versus ex fonte Elysio, pulsumve infaustæ citharæ; nec enim licet sine te movere Delias specus, nec pulsare assuetam Cyrrham. Oblitus sum quicquid Phœbus modo me docebat in antro Corycio, quicquid Evan supra montes Ismarios. Vittæ Parnassiæ recessere e meis comis; et multum metui, ne feralis taxus serperet inter hederas, et ne pavida laurus

Epicedion in patrem edd. vett. præter Parm. quæ habet: *Epicedion in patrem suum;* et hoc revocavit Marklandus.—3 *Da genitor præclare* malit idem Marklandus. Parmensis habet *pdocte;* Venet. 1. *prædocte.* Marklandus etiam pro *moveri*, quod habent edd. vett. substituit *movere.*—5 Pro *Te sine* codd. Domitii Calderini et Parmensis *Desine.* Domitius correxit.—7 Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, *fugere mei*, quod ille recepit.—9 Pro *Extimui* Mark-

NOTÆ

1 *Ipse*] Invocat patrem, testatus nimio dolore didicisse quicquid ab Apolline, et Baccho acceperat, ipsumque solum posse sibi dare vires necessarias canendo epicedio.

4 *Delia*] Apollinea. *Cyrrham*] Cyrrha oppidum Phocidis sacrum Apollini.

5 *Corycia umbra*] Id est, Corycio antro ad radices Parnassi sito.

6 *Ismariis collibus*] Intelligit montem Ismarum Baccho sacrum. *Evan*] Bacchus, quia Bacchus etiam præerat eloquentiæ, et Poëticæ.

7 *Parnassia Vellera*] Sic Theb. IV. 'Vatem Parnassia monstrant Vellera.' Id est, vittæ Apollinis. Poëtæ enim, ut vates Apollinis, infulas gerebant, e quibus vittæ laneæ dependebant.

8 *Hederis*] Hederæ sacræ Baccho. Hederam etiam, ut et laurum vittasque, ferebant Poëtæ. *Taxum*] Taxus, arbor funebris. Epicedio in filium: 'Sed nec solitæ mihi vertice laurus, Nec fronti vittatus honos: en taxea marcet Sylva comis, hilaresque hederas damnata cupressus Excludit ramis.' Coronati enim canebant Poëtæ.

Ille ego, magnanimum qui facta attollere regum
Ibam altum spirans, Martemque æquare canendo.
Quis sterili mea corda situ, quis Apolline verso
Frigida damnatæ præduxit nubila menti?
Stant circum attonitæ vatem, et nil dulce sonantes
Nec digitis nec voce Deæ: dux ipsa, silenti
Fulta caput cithara, qualis post Orphea raptum
Astitit, Hebre, tibi, cernens jam surda ferarum
Agmina, et immotos sublato carmine lucos.
At tu, seu membris emissus in ardua tendis,
Fulgentesque plagas, rerumque elementa recenses,
Quis Deus, unde ignes, quæ ducat semita Solem,

(res dira) marcesceret. Certe ego, qui celebrabam fortes heroës, altum spirans, et æquabam carminibus eorum facta in bello. Quis replevit meum pectus infœcunda inertia, quis, obruto Apolline, immisit gelidas tenebras enecto animo meo? Consternatæ Deæ, et nihil suave nec voce nec digitis sonantes, circumdant suum poëtam. Ipsa earum domina, reclinato capite in tacitam citharam, talis est, qualis, o Hebre, astitit ad tuas ripas post extinctum Orpheum, videns jam surda animalia, ac sylvas immobiles, cessante cantu. At tu, seu egressus corpore, petens celsa, et lucentes tractus, penetras rerum principia, quis Deus, unde astra, qua via Sol



laudus conj. *Sustinui;* et pro *trepidam* malit *partam.*—10 *Certe ego, &c.* edd. vett. Correxit Marklandus.—11 Parmensis: *matremque æquare.*—12 Edd. vett. *quis Apolline merso.* Nic. Heinsius ad Sil. Ital. x. 411. et in Advers. lib. I. c. 14. p. 148. pro *merso* legit *verso.* Pro *corda* Venet. 1. *tota.*—13 Pro *produxit,* quod habent edd. vett. idem Heinsius ibidem legit *præduxit,* et sic legi jubet Barthius.—14 Pro *sonantes* Domitii Calderini codices *sonantem;* et ita Parmensis.—17 Pro *surda* Marklandus mallet *tarda;* Venet. 1. *dura sororum.*—19 Edd. vett. *ardua tendens.* 'Pro *tendens* constructio postulat *tendis;* si enim retineas *tendens,* dixisse debuit Statius *membris emissus et in ardua tendens.* Videtur ante oculos habuisse Lucanum, initio lib. IX. de anima Pom-

NOTÆ

10 *Ille ego*] Supple, eram. *Regum*] Heroum.

11 *Altum spirans*] Aliter accipitur 'spirare' apud Ammianum Marcellinum pro μεγαλοφρονεῖν lib. XXII. ubi refert 'Eusebium alte spirantem et dirum addixere pœnæ letali.' *Martemque æquare canendo*] Id est, æquare carminibus facta fortium virorum, ac Heroum in bello.

12 *Apolline verso*] Ob nimium luctum.

14 *Vatem*] Me Papinium.

17 *Hebre*] Hebrus, fluvius Thraciæ, in quem conjectum est caput Orphei a Bacchantibus.

19 *At tu, seu membris emissus*] Sic Genethliaco Lucani: 'At tu, seu rapidum poli sub axem Famæ curribus arduis levatus, Qua surgunt animæ potentiores, Terras despicis, et sepulcra rides: Seu pacis meritum nemus reclusæ Felix Elysiis tenes in oris.'

Quæ minuat Phœben, quæque integrare latentem
Causa queat, doctique modos extendis Arati:
Seu tu Lethæi secreto in gramine campi
Concilia heroum juxta Manesque beatos,
Mæonium Ascræumque senem, non segnior umbra
Accolis, alternumque sonas, et carmina misces;
Da vocem magno, Pater, ingeniumque dolori.
Nam me ter relegens cœlum, terque ora retexens
Luna videt residem, nullaque Heliconide tristes

incedat, quæ causa minuat lunam, et quæ possit plenam reddere, et auges modos celebris Arati: seu tu habitas in secretis pratis agri Lethæi, juxta cœtus Heroum, et Manes beatos, ac Mæonium senem, Ascræumque, umbra non illis inferior, vicissim canis et misces versus, da genitor vocem et ingenium magno meo luctui. Nam luna ter remensa cœlum, et ter faciem mutans, cernit me otiantem, et nullo carmine

peii.' *Markl.*—23 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *notique modos;* Venett. 1. 2. et Rom. *doctique modos.* Ne quis pro *extendis* legat *intendis* monuit Marklandus; *expendis* legendum putavit Barthius.—29 *Nam me ter relegens cœlo* edd. vett. *Jam me ter relegens* Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 587. Idem ad Ovid. Met. VIII. 173. pro *cœlo* correxit *cœlum;* quam correctionem illi eripere est conatus Marklandus. Barthius pro *ora* malit *orsa.*—

NOTÆ

22 *Quæ minuat Phœben, quæque integrare latentem causa*] Id est, quæ causa sit defectus lunæ, et quæ causa redditi luminis. *Phœben*] Pro luna sumi omnibus notum est. *Latentem*] In umbra terræ.

23 *Noti Arati*] Aratus poëta et medicus Siculus, qui Eudoxi librum de Astrologia carmine expressit, quod casu occidit. Nam cum, ut in illius vita traditur, apud Antigonum Gonatan, Macedoniæ regem, ipse et Nicander Astrologus degerent, et uterque carmina eleganter scriberent, rex præscripsit Arato, ut Poëseos specimen in Astrologicis (tradito illi Eudoxi libro), Nicandro, ut in medicis, Theriacis nimirum et alexipharmacis, ederet. Aratus poëma, quod fecit, inscripsit Phænomena, id est, apparentia in cœlo, in hocque opus plurima edita sunt commentaria, ut, ne memorem Ciceronem, Germanicum, Avienum, et alios Latinos interpretes, Græca extiterint circiter quadraginta. *Noti*] Suo opere, et commentariis in eo factis.

24 *Lethæi*] Id est, Elysii. *Secreto*] Quia ibi secreti Pii. Virgilius: 'Secretosque Pios.'

26 *Mæonium*] Homerum, a Mæone avo materno. *Ascræumque senem*] Hesiodum, natum in Ascra vico seu oppido Bœotiæ, in dextra parte Heliconis sito. Ovidius Ponto lib. IV. 'Intumuit vati nec tamen Ascra suo.' *Non segnior*] Scribendis scilicet carminibus ingenio tardior Homero et Hesiodo.

27 *Alternumque sonas et carmina misces*] Id est, alternis vicibus cum iis recitas carmina, tuaque misces.

30 *Residem*] Nihil componentem, cessantem a carmine. *Heliconide*] Mu-

Solantem curas, tuus ut mihi vultibus ignis
Irrubuit, cineremque oculis humentibus hausi.
Vilis honos studiis: vix hæc in munera solvo
Primum animum; tacitisque situm depellere curis
Nunc etiam trepidante manu, nec lumine sicco
Ordior, acclinis tumulo, quo molle quiescis
Jugera nostra tenens; ubi post Æneia fata
Solatus, Latiis ingessit montibus Albam
Ascanius, Phrygio dum pingues sanguine campos
Odit, et infaustæ regnum dotale novercæ.

lenientem mæstas ærumnas. Mea studia evilescunt, ex quo rogus tuus mihi illuxit, et hausi tuum cinerem flentibus oculis. Vix primum relaxo animum in hæc dona; et nunc adhuc cadente manu, nec aridis oculis incipio excutere inertiam ab ægro et tacito pectore, sepulcro innixus, quo leniter jaces occupans nostra arva, ubi Ascanius, solatio accepto post mortem Æneæ, condidit Albam supra montes Latinos, dum aversatur agros opimos cruore Phrygio, et dotale imperium infaustæ novercæ.



32 Pro *hausi* Parmensis *hausit*; Rom. *ausi.*—33 Rom. et Venet. 2. *hæc mihi munera.*—34 Parmensis; *tacitusque.*—35 *Nunc etiam labente manu, nunc, &c.* in vulgatis; *hebetant manu* Parmensis; *hebetante manu* Rom. *hebente manu* Venet. 1. *trepidante manu* est ex emendatione Marklandi, qui pro *nunc* reposuit etiam *nec.* Verba *nec lumine sicco* mutaret Barthius; sed quomodo non apparet.—36 Parmensis, *mole quiescis.*—38 *Stellatus* Parm. Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, probante Nic. Heinsio. Vide Syllog. Epist. Tom. II. p. 772.—39 *Phrygios dum pingues* Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii.—41

NOTÆ

sa. Musarum enim natale in nemore Heliconis montis Bœotiæ.

31 *Tuus ignis*] Ignis tui rogi.

34 *Primum animum*] *Primum* eleganter dixit *animum*, pro reversum a stupore, quo nimius dolor mentem ejus obruerat.

35 *Labente manu*] Virgilius Æn. VI. 'Ter conatus erat casus effingere in auro, Ter patriæ cecidere manus.' *Nec* [*nunc*] *lumine sicco*] Scribe *nec lumine sicco:* nam infra. 'Sumas gemitus et vulnera nati, Et lacrymas.'

36 *Acclinis*] Pro acclinatus, ut congruat τῷ προκεκλιμένος. *Molle*] Pro molliter.

37 *Jugera nostra tenens*] Innuit prædium Papinii Albanum, quod dono acceperat a Domitiano, ut diximus in Surrentino.

38 *Solatus*] Passive, aut *se* subintelligendum est. *Latiis ingessit montibus Albam Ascanius*] Ascanius Æneæ filius. Is, ut ait Livius lib. I. abundante Lavinii multitudine, florentem jam atque opulentam urbem matri seu novercæ reliquit, novam ipse aliam sub Albano monte in Latio condidit, quæ a situ porrectæ in dorso urbis longa Alba appellata est. *Ingessit*] Theb. IV. 'Et summis ingestum montibus Æpy.'

39 *Phrygio*] Trojano. Multa enim bella gesserat Æneas cum Latinis, Rutilisque, in quibus multi Trojani ciciderant.

40 *Infaustæ novercæ*] Laviniæ. Aliqui legunt, *infestæ.* Infestæ enim

His ego te (nam Sicanii non mitius halat
Aura croci, dites nec sicubi rara Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpsit aristas)
Insertum cum laude locis, te carmine plango
Pierio: sume hos gemitus, et munera nati,
Et lacrymas, cari quas nunquam habuere parentes.

Te sepelivi in hoc loco a te honorato (nec enim odor croci Siculi tibi suavius spiraret, nec jaceres gratius, ubi opulenti Sabæi colligunt rara cinnama, et Arabes suaveolentes messes). Sed defleo versibus Pieriis. Accipe suspiria, et dolorem filii, ac fletus, quos pauci parentes unquam obtinuerunt. Atque utinam fortuna mihi indul-

Hic ego edd. vett. correxit Bernartius, refragante Gronovio Elench. Antidiatr. cap. 7. Pro *halat* Nic. Heinsius in Advers. lib. I. cap. 18. p. 191. legendum putat *halet*.—42 Edd. vett. *dites nec sic tibi, &c.* Nic. Heinsius loco citato: *dites nec si tibi*; et ita Parm. Rom. Grasser. et Barth. nisi quod Parm. pro *dites* habet *ditis*. Dan. Heinsius ad Claud. Epist. II. ad Serenam, vs. 16. citat: *non si tibi*. Lectio nostra debetur Gronovio. 'Aliter legere posses, *sic tibi grata*, vel *cara*; sed non opus.' *Markl.*—43 Nic. Heinsius in Advers. loco citato pro *decerpsit* legit *decerpat*; Barthius: *vel Arabs decerpset.* —44 *Inserui cum laude loci, sed, &c.* Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Inferni cum laude loci, sed* Parm. Heinsius in Advers. l. l. *Inserui cum laude rogis, et carmine, &c.* Barthius, *pango*, non *plango*.—45 Edd. vett. *sumas gemitus et vulnere nati*; Heinsius ibidem: *sume hos gemitus, ut vulnera*; Gronovius: *sume et gemitus*. Lectio nostra debetur Marklando.—46 Edd. vett. *rari quas nunquam.* Morellus pro *nunquam* conj. *unquam*; et ita Parmensis. Pro *rari* Gevartius edidit *cari*. Heinsius in Advers. *cari quos un-*

NOTÆ

privignis novercæ. *Regnum dotale*] Lavinium, seu regnum Latini, quod Æneæ obvenerat per Laviniam uxorem. Unde *dotale*.

41 *His* [*Hic*] *ego te*] Conjunge cum *Inserui* [*Insertum*] infra. Id est, sepelivi in Albano. Aliqui legunt *His* pro *Hic*, et jungunt cum *locis* infra, ubi etiam legunt *locis* pro *loci*, rescribuntque: *His ego te, &c. Inserui cum laude locis. Sicanii croci*] Id est, Siculi: nam et Sicilia Sicania dicta est. *Croci*] Nam tertius principatus dabatur croco orto in monte Centuripino Siciliæ, ut ait Plinius.

42 *Sabæi*] Arabes. *Rara*] Quia in sola Arabia gignitur cinnamum.

43 *Cinnama*] De cinnamo jam sæpius diximus. *Odoratas aristas*] Myrrham intelligit.

44 *Cum laude locis* [*loci*] Hic enim locus sepulcro tuo nobilis evasit. Vel cum *laude loci*, quia hic locus gratiorem emittit odorem, quam Sicanius crocus, quamque Cinnamum et Myrrha cum colliguntur a Sabæis, et Arabibus. Si *locis* legas, intellige cum laude, id est, cum encomio, supple tuo: laudabantur enim defuncti in funeribus: unde addit *sed carmine plango Pierio.*

45 *Pierio*] Id est, modis et numeris poëticis.

46 *Cari*] Lege *rari*. *Nunquam*] Lege *unquam*.

Atque utinam fortuna mihi dare Manibus aras,
Par templis opus, aëriamque educere molem,
Cyclopum scopulos ultra, atque audacia saxa
Pyramidum, et magno tumulum prætexere luco!
Illic et Siculi superassem dona sepulcri,
Et Nemees lucum, et Pelopis solennia trunci.
Illic Œbalio non finderet aëra disco
Graiorum vis ulla virum: non arva rigaret

geres struere aras patris Manibus æquantes templa, et erigere sublime ædificium, altius scopulis Cyclopum, ac superbis molibus Pyramidum, et cingere sepulcrum tuum ingenti luco. Illic vicissem munera tumuli Siculi, et ludos Nemæos, ac sacra mutilati Pelopis. Illic robusti Græci non dividerent aërem disco Spartano, non

quam; Barthius: *quas nunc habuere.*—47 *Atque utinam Fortuna dares mihi* in vulgatis; Venett. Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii: *mihi dare;* alii, *daret mihi;* quod verum putat Barthius. Lectionem nostram probat Heinsius in Advers. recepit Marklandus.—52 *Et Nemees ludum* conj. Marklandus.—54 *Graiorum vis nuda* Exc. Vat. Heinsii, quod ille probat in Advers. lib. IV.

NOTÆ

49 *Cyclopum scopulos ultra*] Id est, quæ vinceret scopulos Cyclopum. Cyclopes enim construxerunt sub Ætna monstrosos specus, qui in hunc usque diem pro ostentis visuntur. Vide Fazellum Rer. Sicul. I. 6. et sane quicquid artificiose in ædificiis, audacterque factum, Cyclopibus etiam attribuitur. *Audacia*] Ob altitudinem. Sic Theb. III. 'Mons erat audaci seductus in aëra dorso.'

50 *Pyramidum*] Pyramides Ægyptiæ omnibus notæ sunt: numeratæ sunt inter septem mundi miracula. Has moles altissimas exstruxerunt reges Ægypti, tam in usum sepulcrorum, quam ut specimen potentiæ suæ divitiarumque posteris relinquerent: a quadrata basi decrescendo ascendentes in formam πυρὸς ignis, unde et nomen sortitæ sunt. Vide Herodotum, Melam, Plinium, Solinum, Amm. Marcellinum, et Diodorum Siculum. Consule etiam Bellonium ac Gravium, qui Pyramides quæ hodie visuntur dimensi sunt. *Et magno tumulum prætexere luco*] Tangit morem quo luci plantabantur circa sepulcra, qui hinc sacri erant.

51 *Siculi sepulcri*] Innuit ludos funebres celebratos ab Ænea in Sicilia ad tumulum patris Anchisæ. Vide Æn. VI.

52 *Nemees lucum*] Intelligit ludos Nemæos editos ad tumulum Archemori prope Nemæam sylvam. *Et Pelopis solennia trunci*] Designat ludos Olympicos primum institutos in honorem Pelopis. *Trunci*] Ob eburneum humerum. Nota fabula.

53 *Illic Œbalio non finderet aëra disco Graiorum vis ulla virum, &c.*] Mens: Dicit Poëta se non illic, id est, ad paternum tumulum editurum ludos, quales apud Lacones, nec propositurum certamina disci, nec equorum, sed musicæ solum, et carminum. *Œbalio*] Laconico. *Disco*] Vide Th. VI.

54 *Non arva rigaret Sudor equum*]

Sudor equum, aut putri sonitum daret ungula campo;
Sed Phœbi simplex chorus: hic frondentia vatum
Præmia laudato, genitor, tibi rite dicarem.
Ipse madens lacrymis, umbrarum animæque sacerdos
Præciperem reditum, cui te nec Cerberus omni
Ore, nec Orpheæ quirent avertere leges:
Meque habitus moresque tuos et facta canentem
Fors et magniloquo non posthabuisset Homero,

sudor equorum humectaret campos, aut ungula ederet strepitum in putri humo: sed sola cohors Phœbi adesset. Hic tibi ex more celebrato consecrarem frondentes laurus, quibus vates coronantur. Ipse antistes Manium et tuæ animæ, præcinerem humidis oculis funebre carmen, a quo audiendo, nec Cerberus cuncto hiatu, nec conditio Orpheo proposita posset te avocare: et dum tibi canerem tuos mores et tua facta, fortuna non me postponeret facundo Homero, ac pietas certaret me æqui-

cap. 4. p. 586. Venet. 1. habet, *vis uda.*—55 Edd. vett. omnes: *daret ungula fossa:* mutavit Marklandus, hæc addens: 'Vox *campo* ita scribitur in codd. *cāpo;* unde transpositis syllabis, *poca;* mox *posa, fosa, fossa!*' Thomas Stephens, scholæ Buriensis in Suffolcia quondam moderator, in ed. sua an. 1651, *fossam* interpretatur 'septum' vel 'carcerem,' quo continebantur equi priusquam ad cursum emittebantur. Barthius vero: 'Loca ad equorum cursum effossa et comparata.'—56. 57 Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 587. conjectabat: *Sed simplex Phœbi chorus hic frondentia vatum Præmia . . . dicarent,* vel etiam *ligarent;* nam *ligarem* exhibent Venet. 1. et Parm. Pro *hic frondentia* Parm. Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, *et frondentia;* quod reposuit idem Lindenbrogius.—58 *Ipse madens oculis* edd. vett. *Ipse madens lacrymis* Marklandus, qui conjectabat etiam: *umbrarum aræque sacerdos.*—59 *Pracinerem gemitum* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. mutavit Marklandus.—61 *Atque tibi moresque tuos* Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Atque ibi me moresque tuos et fata* Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 587. Parm. quoque *fata* retinet. *Meque tibi moresque tuos* conj. Marklandus; et hinc

NOTÆ

Currendo scilicet tota contentione.

55 *Campo* [*fossa*] Id est, impresso altius vestigio.

56 *Sed Phœbi simplex chorus*] Musarum scilicet ac Poëtarum; et supple, illic esset. *Frondentia vatum Præmia*] Laurus.

57 *Laudato tibi*] Supra 'cum laude.' Laudabantur enim defuncti in funeribus, ut jam diximus.

58 *Umbrarum animæque sacerdos Præciperem reditum* [*Præcinerem gemitum*] Sacerdotum enim erat præire precibus. Sic Papinius, ut Manium et animæ paternæ sacerdos, præcinere debebat næniam, seu carmen lugubre, quod vocat *gemitum.*

60 *Orpheæ*] Orpheo impositæ.

62 *Magniloquo*] Hic *τὸ magniloquo* non sumendum sensu quo *magniloquos* Theb. III. sumit Poëta de Niobe loquens: 'Qua magniloquos luit impia flatus Tantalis.' Magniloquus hic, cujus carmina sublimia sunt.

Tenderet et torvo pietas æquare Maroni.
Cur magis incessat Superos, et aëna Sororum
Stamina, quæ tepido genitrix super aggere nati
Orba sedet? vel quæ primævi conjugis ignem
Aspicit, obstantesque manus, turbamque tenentem
Vincit, in ardentem (liceat) moritura maritum?
Major certe illis Superos et Tartara pulsem
Invidia: externis etiam miserabile visu
Funus eat. Sed nec modo se Natura dolenti,

parare gravi Maroni. Cur mater, quæ sedet orba ad calidum filii sepulcrum, potius accusat Superos et dura sororum licia? vel uxor, quæ spectat rogum juvenis mariti, et rejicit manus obstantium, et turbam retinentem, interitura, si liceat, supra ardentem, conjugem? Certe magis quam alii invidiam faciam Superis et Inferis. Funus etiam alienis deplorandum videbitur. Sed licet nec natura, nec

edidit ut in textu. *Æqua tibi* legendum censet Barthius.—64 Vett. *et sæva sororum;* Venet. 1. *æqueva sororum;* Gronov. *et aëna sororum.*—68 Parmensis: *in ardentem, licet, ruitura maritum,* probante Heinsio; hoc etiam placet Marklando. Edd. vett. *liceat moritura;* Scriverius ex codd. *liceat modo itura,* probantibus Cruc. et Barth.—69 *Major certe aliis* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Major aliis forsan superos* Venet. 1. *Major certe aliis forsan superos et tartara pulsem* Parm. Correxit Marklandus.—70 *Invidia quæ ex-*

NOTÆ

63 *Torvo*] Id est, audaci, superbo. Superbi enim ac audaces aliquid torvi habent in vultu.

64 *Cur magis incessat Superos, &c.*] Mens: Non esse, cur genitrix ac fœmina magis debeat flere filium extinctum, ac maritum, et iniquos vocare Deos, quam ipse flere patrem, &c. *Incessat Superos*] His enim in casibus invehebantur in Deos, et iniquos vocabant, ut jam sæpius notavimus. *Aëna* [*sæva*] Legit Gronovius *aëna*, id est, dura: sic Horatio 'aëneum jugum,' id est, durum, quod rumpi non potest. *Sororum*] Parcarum.

65 *Tepido*] Lacrymis matris.

66 *Orba*] Amisso filio.

67 *Obstantesque manus, turbamque tenentem*] Ne sæviat in se ipsam.

68 *In ardentem* (*liceat*) *moritura maritum*] Quidam corrigunt *liceat modo itura maritum,* sed, ait Gronovius, intempestive. *Moritura in maritum,* est moriens se jactura, impositura in maritum, ut fecit Evadne, quæ se in rogum ardentem mariti conjecit, ut vidimus sub finem Theb. XII. et sumitur hic particula *in* pro super; nam quod hic Poëta dicit, id sic explicat in Theb. VI. de Eurydice: 'Lacerasque super procumbere nati Reliquias ardet.' Theb. v. 'Mactare in tumulos,' pro super tumulos. *Maritus* autem *ardens*, ut in Consolat. ad Ursum: 'accendere natos.' Seneca Ep. 99. 'Illo tempore, quo filius ardet.'

69 *Major*] Id est, magis quam alii, vehementius. *Pulsem Invidia*] Vide quæ diximus supra vs. 64.

71 *Sed nec modo se Natura dolenti, Nec Pietas injusta dedit*] Domitius male accepit hunc locum, sic explicando: Nec naturæ vires mihi suffi-

Nec Pietas injusta dedit : mihi limine primo
Fatorum, et viridi, genitor, ceu raptus ab ævo,
Tartara dura subis : nec enim Marathonia virgo
Parcius extinctum sævorum crimine agrestum
Fleverit Icarium, Phrygia quam turre cadentem
Astyanacta parens : laqueo quin illa supremos

pietas se præbeant iniquas erga me afflictum: tamen æque doleo, pater, ac si mihi raptus esses in vegeta ætate, et in primis foribus fatorum, et subiisses duros Inferos: nec enim puella Marathonia minus ploraverit Icarium patrem occisum scelere immanium rusticorum, quam genitrix filium Astyanacta præcipitatum e Phrygia turre.

---

ternis Venet. 1. et Parm.—71 Aldd. Colin. Gryph. &c. ut in textu ; *mihi se Natura* vet. Lindenbrogii ; unde Marklandus conj. *tibi se Natura.*—73 *Annorum, et viridi* tentabat Marklandus.—77 Venett. 1. 2. Parm. et Rom. *quin illa*

NOTÆ

ciunt ad lacrymas, nec pietas se totam mihi concessit, ut eam declarem lugendo patrem. Sunt qui corrigant *in justa*, vel *in busta*. Melius Gronovius intellexit. Prolepsis est, inquit, ac si dicat aliquis : nec naturam, nec pietatem hoc fato patris tui injustam fuisse, rapiendo aut juvenem aut filium. Natura nunc non se ostendit injustam, non præbuit iniquam, quia non turbato ordine mortalitatis, senem juvenis, patrem filius luges. Pietas proprie significat obsequium in parentes, et horum vicissim in liberos caritatem, omneque officium, quod sanguinis propinquitas exigit. *Pietas* ergo *injusta* est, injustam se præbet, hoc est, occasionem exercendi officii sui indigne obtrudit, vel exemplum sui dat infelix, cum pater filium luget; cum exigitur et præstatur a patre, qui filio superstes contra votorum ordinem. Natura et Pietas injustas se dant, cum pie quis luget injustum funus, male judicantibus fatis, ut habet vetus inscriptio. Ausonius: 'Et præter justum funera nulla fleas.' Pietas vel natura se dedit *injusta*, modus loquendi, qualis illud Virgilii : 'O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.' Pro 'ostendit se dextram.' Hoc ergo ait : Non iniqua sane mihi fuerit natura sene parente rapto : nec sinistra a me pietas exhibeatur, quasi ad filium aut juniorem, ex affectibus meis lugendum. Videatur ita aliis. At mihi certe ceu viridi ab ævo pater obire creditur : ego nec ætatem, nec fatorum ordinem computo.

74 *Marathonia virgo*] Erigone. Vide Theb. XI. 644.

75 *Parcius*] Minori dolore ac luctu. *Extinctum sævorum crimine agrestum Icarium*] Icarius pater Erigones occisus fuit a rusticis, quibus bibendum vinum dederat, quo ebrii facti crediderunt eum sibi venenum propinasse, ac sic occiderunt.

76 *Phrygia*] Trojana.

77 *Astyanacta*] Astyanax, Hectoris et Andromaches filius, post captam Trojam ex alta turre ab Ulysse dejectus est. *Parens*] Andromache. *Laqueo quin illa supremos Inclusit gemitus : at te, post funera magni Hectoris, Hæmonio pudor est servisse marito*] Mens

Inclusit gemitus: at te, post funera magni
Hectoris, Hæmonio pudor est servisse marito.
Non ego quas fati certus sibi voce canora
Inferias præmittit olor; nec rupe quod atra
Tyrrhenæ volucres nautis prædulce minantur,
In patrios adhibebo rogos; non murmure trunco
Quod gemit, et diræ queritur Philomela sorori;
Nota nimis vati: quis non in funera cunctos
Heliadum ramos, lacrymosaque germina duxit,

Quin illa nimio dolore se suspendit; at tibi dedecus est famulari conjugi Æmonio, post mortem ingentis Hectoris. Non ego afferam ad patris rogum eas inferias, quas olor certus suæ mortis dulci voce præmittit sibi, nec suavem cantum, quo volucres Tyrrhenæ pelliciunt e mortifero scopulo nautas in naufragium; non quod dolet Philomela mutilato garritu, nec quod queritur diræ sorori: hæc nimis cognita illi Poëtæ. Quis non memoravit in exequiis omnes frondes Heliadum, plorantesque arbores, et

supremo.—78 Eædem edd. cum Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *et te.* Gevart. et recéntt. *at te.*—80 Venett. 1. 2. Parm. et Rom. *morte canora.* Vide Heins. in Advers. p. 587.—84 Edd. vett. *et duræ.* Correxit Gronovius in Diatr. cap. 61.—85 Heinsius in Advers. l. 1. *Nota nimis: fratris quis non in funere junctos.* Edd. vett. quoque: *in funere;* Marklandus vero: *in fu-*

NOTÆ

Poëtæ: majorem fuisse dolorem Erigones de morte patris senis, quam Andromaches de casu sui filii Astyanactis, ut quæ præ impatientia doloris vitam laqueo finierit, Andromache vero non solum superfuit ac supervixit filio suo, sed etiam servivit nupsitque Pyrrho, cum debuisset potius eligere gloriosam mortem, quam turpem et ignominiosam vitam. Non igitur mirum, si ipse, exemplo Erigones, tantis lacrymis tantoque dolore prosequatur funus senis patris. *Hæmonio marito*] Id est, Pyrrho, qui filius erat Achillis Thessali. Thessali autem antiquitus Hæmonii dicti. *Marito*] Quia Andromache, Troja capta, venit in potentiam Pyrrhi, cui postea nupsit, ex eoque suscepit Molossum.

81 *Inferias præmittit olor*] Cycni enim seu olores præcinere mortem suam voce canora vane crediti. *Rupe atra*] Naufragiis famosa.

82 *Tyrrhenæ volucres*] Sirenes, quæ dicuntur incoluisse scopulos Sirenusarum insularum in mari Tyrrheno, in quos, præternavigantes dulcedine cantus attrahebant, ac misere dilacerabant: unde *nautis prædulce minantur. Volucres*] Quia excepto muliebri capite, cetero corpore aves erant.

83 *Murmure trunco*] Ob abscissam linguam.

84 *Et diræ queritur Philomela sorori*] Nota fabula Philomelæ, cui a Tereo abscissa fuit lingua, et quæ in lusciniam mutata fuit. *Diræ sorori*] Procne, *diræ*, quia proprium filium discerpsit, Tereoque marito epulandum dedit.

86 *Heliadum ramos, lacrymosaque* [*plorantiaque*] *germina duxit*] Heliades

Et Phrygium silicem, atque ausum contraria Phœbo
Carmina, nec fœda gavisam Pallada buxo?
Te pietas oblita virum, revocataque cœlo
Justitia, et gemina planget facundia lingua;
Et Pallas, doctique cohors Heliconia Phœbi;
Quis honor Aonios seno pede ducere cantus,

cautem Phrygiam? ac illum, qui ausus est provocare Apollinem in certamen cantus? et Minervam non lætam inflasse perforatam tibiam? Pietas immemor hominum, Justitia reducta e cœlo, ac Eloquentia duplici lingua, Pallasque ac chorus Heliconius eruditi Phœbi te defleant: et hi, qui gloriantur duces esse Heroico carmina.

nera.—88 *Carmina nec fissa* edd. vett. *nec fida* Parm. et Rom. *nec fido;* unde Nic. Heinsius in Advers. loco citato legit *nec fœda;* et hoc sibi vindicat Marklandus.—89. 90 Edd. vett. *Te pietas oblita . . . et gemina plangat.* Heinsius ibid. *Te pietas abitura iterum . . . et geminæ plangat facundia linguæ.* Marklandus ex conjectura, *planget.*—91 *Et Phœbus doctique, &c.* Marklandus.—92 *Queis labor* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Queis honor* Venet. 2. Rom. et vet. Lindenbrogii, quod ille reposuit; *Queis dolor* Venet. 1. et Parm. Pro *ducere campos*, quod habent edd. vett. amicus Gronovii quidam, *ducere cantus;* Heinsius vero, *currere campos.* Parmensis et codd. Domitii *sacro pede.*—

NOTÆ

sic dictæ ab Helio seu Sole patre, Phaëthontis orores, tanto dolore ob mortem fratris correptæ sunt, ut, cum non cessarent plorare, misericordia Deorum in platanos mutatæ fuerint, quæ arbores etiam flere videntur. Sic Epith. Stellæ: 'Clymeneaque deesse Germina, nec virides satis illacrymare sorores.'

87 *Et Phrygium silicem*] Intelligit Niobem, quæ dolore cædis liberorum obriguit in saxum 'Sypilon' dictum in Phrygia. Vel Hecubam versam in saxum in Phrygia dolore cædis mariti et liberorum, et excidii Trojæ. *Atque ausum contraria Phœbo Carmina*] Innuit Marsyam, qui ausus fuit Apollinem ad certamen cantus provocare, victusque, ab eodem excoriatus fuit, mutatusque in amnem sui nominis in Phrygia prope Apameam. Meminit vero Poëta casus Marsyæ, quem Nymphæ tantopere luxerunt, ut amnis earum lacrymis creverit.

88 *Nec fœda* [*fissa*] *gavisam Pallada buxo*] Pallas cum tibia caneret, et vidisset se in aqua genis inflatis, projecit eam, ut pulchritudinem corrumpentem. Mentionem autem facit Poëta 'fissæ buxi,' seu tibiæ, quia tibia ad funera adhibebatur.

89 *Pietas oblita virum*] Pietas enim cœlum petiisse dicebatur, fugata sceleribus hominum. *Revocataque cœlo Justitia*] Idem de Justitia seu Astræa, quæ offensa hominum iniquitate in cœlum etiam se receperit.

90 *Gemina lingua*] Id est, Græca et Latina, vel prorsa et vorsa oratione.

91 *Pallas*] Pallas enim liberalibus artibus præsidet. *Cohors Heliconia Phœbi*] Musæ, quibus Helicon mons natalis, et quæ semper Apollinem comitantur.

92 *Quis honor Aonios seno pede ducere cantus* [*campos*] Poëta non solum invitat Pietatem, Justitiam, Eloquentiam, Minervam, et Musas omnium bonarum artium ac disciplinarum

Et quibus Arcadia carmen testudine mensis
Cura lyræ, nomenque fuit: quosque orbe sub omni

mine in agris Aoniis, et quibus lyra Arcadia, qua carmen metiuntur, studium fuit

94 *Ciclalyben nomenque fuit* Florent. et Venet. 1. *Cidalyben nomenque fuit* Parmensis; *Cida libem* codd. Domitii; *Cicla liben* Medic. *Cyda labor* fecit Domitius in Rom. quod deinceps receptum est in Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Cura lyræ* Gronovius in Diatr. cap. 50. Vide Syllog. Epist. Tom. II. p. 531. *Oda labor* vir quidam doctus apud Gevart. Papin. Lect. v. 6. applaudente Gevartio. *Corda labor* tentabat Cruceus; *Pisa labor* vir doctus in Miscel.

NOTÆ

præsides, ad celebrandum funus patris sui, sed septem Sapientes, ac omnes omnino Poëtas, Heroicos, Lyricos, Tragicos, et Elegiacos, quos propriis et peculiaribus notis designat, ut hic designat Heroicos per 'senum pedem,' id est, metrum, quia carmen heroicum constat hexametris versibus. Porro τὸ *Aonios seno pede ducere campos,* varie correctum ac explicatum est ab interpretibus. Gevartius 'seno pede decurrere' explicat. Quidam corrigunt, et pro *campos* legunt *cantus:* alii *Andinos,* sive *Ausonios seno pede dicere cantus,* vel *ducere,* vel *cludere.* Sed non intellexerunt, ut bene observat hic Gronovius. Ducere, ait ille, est duces esse, ut 'chorum ducere.' Tibullo: 'Dux anni dies,' pro Kalendis Januariis. Manilio: 'lanigerum ducentem sidera.' Ciceroni: 'familiam ducit.' Itaque *ducere campos Aonios,* est ducentes scilicet vatum choros, duces esse vatum, primarios principes in campis Aoniis. Ut et metonymia possit videri: *Campi* nempe, pro qui in campis. Quod est simplicius. Grande et cothurnatum heroicum opus est, genusque poëseos supra omnia maximum. Quare, qui tali opere se Phœbo approbat, is Aonios campos ducit, dux est in campis Aoniis, ducit choros musicos in campis Aoniis: qui honor præclarissimus. Ideo *honor* scripsit Papinius non *labor.* Neque sine ista voce intelligi mens ejus poterat.

93 *Et quibus Arcadia carmen testudine mensis Cura lyræ* [*Cyda labor*] *nomenque fuit*] Locus corruptus. Quid enim *Cyda labor?* Somniant qui ex his vocibus aliquem sensum elicere conantur. Quidam igitur correxit: *Oda labor,* aitque hoc loco Lyricos Poëtas intelligi, quia horum Poëmata Odæ voce Græca, dicuntur. Alius *Sido labor,* quia Sido prima fuerit, quæ odas ex arte cecinit, ut docet Santhoniaton apud Eusebium Præpar. Evang. lib. I. Alii *Lydia amor,* et id interpretantur de Horatio Lyricorum facile principe, qui toties inter amores suos 'Lydiæ' meminit. Alii *Ludus amor,* quia amor Lyrici carminis præcipua materia. Sed nulla harum emendationum stare potest: Quomodo enim ex omnibus his lectionibus nomen Lyrici potuit trahi. Solus Gronovius bene emendavit, legendo: *Cura lyræ.* Horum igitur versuum: *Et quibus Arcadia carmen testudine mensis Cura lyræ nomenque fuit,* sensus erit: et hi, qui lyra ab Arcade Mercurio ex testudine facta carmen dimensi, exercuerunt illam, quique ab ea 'Lyrici' appellati sunt. *Mensis*] Alii interpretes ad mensas interpretati sunt: Lyrici enim ad mensas canere solebant, ut constat ex solo Pindaro Olymp. I.

Ardua septena numerat Sapientia fama:
Qui furias, regumque dolos, aversaque cœlo
Sidera terrifico super intonuere cothurno:
Et quis lasciva vires tenuare Thalia
Dulce, vel heroos gressu truncare tenores.
Omnia namque animo complexus, et omnibus auctor,
Qua fandi via lata patet: sive orsa libebat
Aoniis vincire modis, seu voce soluta
Spargere, et effræno nimbos æquare profatu.

et nomen dedit: et septem sapientes, quorum fama in toto orbe celebratur. Qui intonuere super tragicum cothurnum, furores, familiasque regum, et retrocedentem solem, et hi, quibus gratum est temperare vim tragici carminis lasciva Thalia, et minuere uno pede heroicos modos. Pater enim mente hæc omnia tenebat, et omnes docebat in quantum facultas dicendi extenditur: sive placebat astringere numeris Aoniis suos conceptus, seu eos effundere libera oratione, et æquare torrentes effræna

Obss. Nov. Tom. I. Part. 1. p. 147.—96 *Qui furias regumque domos* edd. vett. Lectio nostra debetur Heinsio in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 588. non vero Marklando.—98 *At qui* Parmensis; et in eadem *tenuere Thalia.*—99 Codices Domitii Calderini: *vel oroos gressu truncare senones;* unde ille eruit lectionem nostram. Parmensis habet: *vel oroos gressu tentare lenones.*—101 *Qua fandi vis lata* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *jus lata* Rom. Marklandus ex

NOTÆ

95 *Ardua septena numerat Sapientia fama*] Aliqui intelligunt septem illos celeberrimos Græciæ sapientes. Alii vero, non tamen probabilius, Pleiada septem Tragicorum, nam infra designat Tragicos 'cothurno.'

96 *Qui furias, regumque dolos* [*domos*], *aversaque cœlo Sidera terrifico super intonuere cothurno*] Hæc omnia enim argumenta Tragœdiarum. Per *aversa* vero *cœlo sidera,* intelligit reditum solis in sua vestigia, cum Atreus apposuit fratri epulandos liberos. Nota fabula. *Intonuere*] Eleganter dicitur de Tragicis. Tragici enim cum quodam vocis impetu loquuntur. *Terrifico*] Id est, Tragico. *Cothurno*] Cothurnus calceamenti genus alti, quo calceati Tragœdi in scenam prodibant: unde cothurnus sumitur pro sublimi genere dicendi, et pro tragœdia.

98 *Et quis lasciva vires tenuare Thalia Dulce*] Sic designat Elegiographos. *Vires*] Heroici scilicet carminis. *Lasciva Thalia*] Thalia nomen Musæ, quæ præest elegiaco carmini: dicitur *lasciva* propter argumentum Elegiæ, quod ut plurimum est de amoribus.

99 *Gressu*] Id est, pede. Heroicum enim epos constat uno hexametrorum tenore; sed Elegiacum carmen alterum versum hexametrum habet, alterum pentametrum. Igitur truncatum, cum uno pede deficiat. Idem Noster Epith. Stellæ: 'Qui nobile gressu Extremo fraudatis opus.' Ovidius: 'Par erat inferior versus: risisse Cupido Dicitur, atque unum surripuisse pedem.'

103 *Spargere*] Eleganter de soluta oratione, in qua liberrima verborum connexio. *Effræno nimbos æquare pro-*

Exsere semiustos Vesuvino fulgure vultus,
Parthenope, crinemque afflato monte sepulti
Pone super tumulos, et magni funus alumni,
Quo non Monychiæ quicquam præstantius arces,
Doctave Cyrene, Sparteve animosa creavit.

eloquentia. Parthenope, extrahe cito de pulvere semiobrutum caput, et impone comam afflatam Vesuvii flammis sepulcro, et cineribus magni alumni, quo nihil excellentius arces Munichiæ, erudita Cyrene, et generosa Sparte genuerunt. Si tu

conjectura edidit, *via lata*.—104 *Extra semiviros subito de vulnere* Venet. 1. *Exere semirutos subito de pulvere* Rom. Venet. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *Vesuvino e pulvere* Heinsius ad Sil. Ital. XIV. 583. et in Advers. p. 588. *Exsere semiruto subitos de pulvere* Gronovius Elench. Antidiatr. cap. 7. *Exere semiustos Vesuvino fulgure* Marklandus, qui pro *Exere* conj. etiam *Extrahe*.—105 Venett. 1. 2. Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii; *ciheremque afflato;* Venet. 1. et Parm. *sepultum*. Lipsius legit *afflata mente;* Dan. Heinsius: *afflatum monte;* Nic. Heinsius: *crinemque afflatu montis adustum, &c.* Marklandus: *crinemque afflatu montis adesum*.—107 Venet. 1. *Quo non Monicicæ;* Parm. *Modicæ q. p. artes*. Heinsius ad Ovid. Met. II. 709. ex quibusdam codd. legit *Monichiæ;* et ita in vet. cod. Anglicano, Theb. II. 252. et sic etiam legebat vetus Scholiastes Lactantius. Steph. B. utrumque Μωνυχία, et Μουνυχία agnoscit. Vide Scholiast. ad Theb. XII. 616. *Munichiæ* edd. vulgg. ante Marklandum.—108 *Doctaque* edd. vett. mutavit Marklandus.—

NOTÆ

fatu] Veteres nimbum orationis pro vehementi et præcipiti quodam orationis genere usurparunt. Sic 'nimbum procellamque verborum' Valerius Maximus dixit. Ab Aristophane in Ranis: τυφὼς, χάλαζα vocatur, id est, *procella* et *grando*. Quintilianus lib. XI. cap. ultimo: 'Hoc præcipit Homerus Ulyssis exemplo, quem stetisse oculis in terram defixis, immotoque sceptro, priusquam illam eloquentiæ procellam effunderet, dicit.'

104 *Vesuvino fulgure* [*subito de pulvere*] Vesuvius enim tunc temporis subito exarsit, circumvicinaque loca cineribus et caligine replevit.

105 *Parthenope*] Neapolis. *Afflato monte*] Lipsius legit *afflata mente:* sed Heinsii amplectenda correctio, emendantis *afflatum monte*, et interpretantis: Pone, o Parthenope, crines tuos, ut sunt etiamnum ambusti et afflati incendio Vesuvii montis, super tumulum parentis mei apud te sepulti. Et tangit Poëta morem sæpius a nobis observatum lacerandi crines, ac ponendi super sepulcra mortuosve. Vide Theb. VI. in funere Archemori. *Alumni*] Papinii patris, quem aluisti.

107 *Monychiæ* [*Munichiæ*] *arces*] Athenæ. Munichius enim portus prope Athenas, de quo Thucydides lib. III. Vide Theb. II. 252.

108 *Doctave Cyrene*] Cyrene urbs in Cyrenaica regione Africæ prope Marmaricam, a Batto condita, ut diximus supra Consol. ad Ursum vs. 67. Dicitur *docta* ob præstantissimos Philosophos et doctissimos viros, quos tulit, ut Aristippum, Aretam ejus filiam, quæ successit ei in scholam, Aristippum hujus filium appellatum

Si tu stirpe vetus, famæque obscura jaceres,
Nil gentile tumens, illo te cive probares
Graiam, atque Euboico majorum sanguine duci.
Ille tuis toties pressit sua tempora sertis,
Cum stata laudato caneret Quinquennia versu,
Ora supergressus Pylii senis, oraque regis
Dulichii, specieque comam subnexus utraque.
Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus,

evilesceres ignota genere et fama, nihil habens de tua gente, tamen illo cive demonstrares te esse Græcam, et trahere originem ab avis Euboicis. Ille toties cinxit sua tempora tuis sertis, quoties celebravit laudato carmine, et ornatus crinem utraque corona tuos statos quinquennales ludos, superans eloquentiam longævi Pylii et Dulichii principis. Non tibi erant obscuri natales, nec domus sine splendore;

---

109 Venett. 1. 2. *famæque;* ceteræ, *famaque.* Heinsius in Advers. p. 588. scribit: *Si stirpisve situ famæve . . . Nil g. tenens, illo te cive probabas, &c.* Edd. vett. habent etiam *tenens;* altera lectio *tumens* est figmentum Marklandi. Venet. 1. Parm. et Rom. *probabas,* ut vult Heins.—111 Marklandus conj. *aque Euboico.*—112 Venet. 1. et Parm. *præstat sed tempora;* Parmensis *seris* pro *sertis.* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *præstrinxit tempora.* Lectio nostra debetur Marklando.—114 Marklandus malit: *orsaque regis.* —115 Parmensis: *speciemque comam subnexus utroque.* Gronovius Diatr. cap.

NOTÆ

ματροδίδακτον, id est, *doctum a matre,* Anniterim, unde et secta Cyrenaica, Eratosthenem, Callimachum poëtam, Cronum, et Apollonium. *Spartere animosa creavit*] Intelligit Lycurgum et Alcmanem, quorum primus, ut omnes sciunt, optimis legibus fundavit patriam, alter vero poëta fuit præstantissimus. *Sparte*] Alias Lacedæmon caput Laconiæ. Dicitur *animosa* ob contemtum mortis. Vide Theb. I. 262.

109 *Tu*] Parthenope. *Jaceres*] Eleganter res ignotæ et viles 'jacere' dicuntur.

110 *Nil gentile*] Nihil ex majoribus tuis Græcis. *Illo te cive*] Nempe Papinio patre.

111 *Graiam, atque Euboico majorum sanguine duci*] Neapolitani enim originem ducebant ex Chalcide Eubœæ insulæ.

112 *Ille*] Papinius pater. *Toties pressit sua tempora sertis*] Qui vicerant in ludis publicis non coronabantur, sed eorum patriæ, ut discimus ex Plinio.

113 *Stata Quinquennia*] Id est, ludos quinto quoque anno Neapoli celebratos. *Stata*] Quia fixo anni tempore edebantur. *Laudato versu*] Id est, versu seu carmine, qui laudem publicam, ac sic coronam meruerat.

114 *Ora*] Eloquentiam. *Pylii senis*] Nestoris, cujus eloquentiam celebrat Homerus, aitque ab ejus ore dulciorem melle fluere orationem. *Regis Dulichii*] Ulyssis principis Ithacæ ac Dulichii insularum: hujus etiam facundiam prædicat Homerus, et Horatius nimbis nivium comparat.

115 *Specie utraque*] Id est, donatus utraque corona poëtica et oratoria.

Nec sine luce genus; (quanquam fortuna parentum
Arctior expensis;) etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos, et nobile pectoris aurum.
Protinus exorto dextrum risere sorores

(quanquam res parentum arctior;) etenim infans, more nobilium, sumsisti purpureas vestes concessas honori sanguinis, et auream bullam. Statim germanæ Aonides

54. *subnixus.*—118 Venet. 1. *Arctior extensis;* et sic Parm. et Rom.—119 *Sumere purpureos* conj. Marklandus. Venet. 1. et Parm. *legit* pro *adegit.*—123

NOTÆ

117 *Nec sine luce genus*] Sic Protreptico Crispini: 'Nec priscæ lucis egentem.' *Quanquam fortuna parentum Arctior expensis*] Id est, quanquam parentes opibus destituti non possent facere sumtus convenientes splendori natalium.

118 *Te divite ritu*] Id est, more nobilium.

119 *Ponere purpureos infantia adegit amictus Stirpis honore datos*] *Ponere* in hoc versu ambiguitatem facit, et potest significare 'deponere' et abjicere, quasi abjecisset ac deposuisset, quod fortuna parentum arctior fuerit expensis, vel e contra, *ponere*, id est, 'sumere' tanquam *stirpis honore datos.* Qui sensus mihi videtur melior. Dicit enim Papinium, patrem suum, divitum ritu posuisse seu sumsisse purpureum amictum, qui nihil aliud est, quam prætexta puerilis ingenuis solis concessa.

120 *Et nobile pectoris aurum*] Intelligit bullam auream, quæ erat insigne puerorum, et præsertim nobilium, quod a collo in pectus dependebat. Macrobius refert Saturn. I. cap. 6. 'Ingenuis pueris concessum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent, hoc est sapientia et magnanimitate. Togam quoque prætextam his additam, ut ex purpuræ rubore, ingenuitatis rubore tegerentur.' Adducit et originem et causam idem Macrobius: 'Tarquinius,' ait, 'rex tertius ab Hostilio, quintus a Romulo, de Sabinis egit triumphum, quo bello filium suum annos quatuordecim natum, quod hostem manu percusserat, et pro concione laudavit, et bulla aurea prætextaque donavit: insigniens puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis et honoris. Nam sicut prætexta magistratuum erat, ita bulla gestamen erat triumphantium: quam in triumpho præ se ferebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima. Hinc deductus mos, ut prætexta et bulla in usum puerorum usurparentur, ad omen et vota conciliandæ virtutis: ei similis cui primis in annis munera ista cesserunt.' Bulla ista ingenuorum erat aurea, et libertinorum scortea, et in iis includebantur remedia contra fascinum. Hanc pueri annos egressi pueritiæ apud Lares familiares suspendebant, ut puellæ Veneri pupas donabant. Persius Sat. v. 'Bullaque succinctis Laribus donata pependit.'

121 *Protinus exorto dextrum risere sorores Aonides, pueroque chelyn sum-*

Aonides, pueroque chelyn summisit, et ora
Imbuit amne sacro, jam tum tibi blandus, Apollo.
Nec simplex patriæ decus, et natalis origo
Pendet ab ambiguo geminæ certamine terræ.
Te de gente suum Latiis ascita colonis
Graia refert Selle; (Phrygius qua puppe magister

nascenti tibi arriserunt, et Apollo, tum jam tibi gratiosus, summisit testudinem puero, et potavit os sacro fluvio. Nec unica gloriaris patria, et natalis origo in incerto est, duobus locis inter se contendentibus. Græca Selle habitata incolis Latinis, ubi gratus gubernator e puppe corruit, et infelix expergefactus est in mediis

Parmensis: *jam tum mihi;* Venet. 2. et Rom. *jam tu mihi.*—125 *Pendet et* habent edd. vett. *Pendet in* Rom. et Venet. 2. *Pendet ab* Heinsius in Advers. p. 496.—126 *Te degente* edd. vett. mutavit Lindenbrogius; non vero Cruceus, ut ait Marklandus.—127 *Graia refert Hyele,* vel *Helie,* Heinsius ad Ovid. Met. xv. 626. et in Advers. loco modo citato. *Graia refert Velie* margo

NOTÆ

misit, et ora Imbuit amne sacro, jam tum tibi blandus, Apollo] Fingit Poëta, nascenti patri sorores Aonides, id est, Musas, dextrum risisse, et ipsum Apollinem illi summisisse citharam, et imbuisse ora ejus sacro amne. Hæc omnia ad omen ingentis illius claritatis, quam versibus ac suis operibus consecuturus erat: et dicendo Musas arrisisse nascenti, insinuat eas quasi adoptasse eum pro filio, et materno affectu arrisisse ei: quia cum parentes arridebant liberis nascentibus, signum erat eos omnem felicitatem adepturos: sicque portendisse Musas, Papinium seniorem summum ac eximium fore poëtam: non enim inter geniales Deos seu præstites censebantur Apollo et Musæ. Tantum quatuor numerantur a Macrobio ex doctrina Ægyptiorum, Genius, Fortuna, Amor, Necessitas. Quin et risus etiam ad dextrum latus inter omina felicia positus. *Amne sacro*] Id est, fonte Castalio, vel aliquo fluvio Musis et Apollini sacro, ut Permesso et Hormio.

124 *Nec simplex patriæ decus, et natalis origo Pendet ab* [*et*] *ambiguo geminæ certamine terræ*] Lege *in ambiguo*, et omnia clara sunt. Mens: Non simplex et unicum tibi patriæ decus: sed origo natalis incerta est *in ambiguo certamine geminæ terræ*, seu duarum urbium, Neapolis et Selles, quæ sibi etiam te vindicat ut infra videtur: seu inter anceps certamen duarum urbium ventilatur. Quidam per *geminam terram* intelligunt Sellen Epiri urbem celeberrimam, ubi incunabula gentis Papiniæ erant, et Veliam urbem in Lucania, quæ etiam Selle nuncupabatur, ubi majores Papiniorum in Italiam transvecti consederant. Vide Surrentinum Pollii vs. 9.

126 *Te de gente suum Latiis ascita colonis Graia refert Selle*] Mens: Selle, quæ eadem ac Velia, in quam missa est colonia Latinorum, te vendicat pro cive. *Graia* dicitur, quia Strabo testatur lib. VI. Veliam Lucaniæ conditam fuisse a Phocensibus Græcis, et triplici nomine donari Ἐλέαν, Ὑέλην, καὶ Ἕλλην, quod postremum vocabulum in Sellen Latine mutatum est.

127 *Phrygius* [*Graius*] *qua puppe magister*] Intelligit Palinurum guber-

Excidit, et mediis miser evigilavit in undis ;)
Parthenopeque suum longo probat ordine vitæ.
* * * * * *

aquis, dicit te suum esse. Et in hac urbe Mæon, post longas hominum ætates,

Parmensis in Biblioth. Florent. *Graia refert Helle* Marklandus. *Graius qua puppe magister* Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. &c. *Graia refert Tiren, Trous qua puppe magister* Gronovius Heinsio Syllog. Epist. Tom. III. pp 486. 487. Idem ibid. legit : *Te de gente sua .... Graia refert Siren, Trous, &c.* Heinsius Gronov. Tom. III. pp. 481. 482. *Phrygius qua puppe magister* ex margine Parmensis in Biblioth. Florent. Pro *Graius* Gronovius aliquando conj. *gratus*, teste Heinsio ibidem.—129 *Major et inde suum* Venet. 1. *Mater et inde suum* Parm. *Major* quoque codex Domitii; unde ille : *Mæon et inde suum;* quod habent Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ. *Parthenopeque* suum conj. Marklandus. *Mater et inde suum longe probat ordine avito Mæoniden* Heinsius in Advers. lib. III. cap. 13. p. 497. Idem tamen in Syllog. Epist. Tom. III. p. 481. proposuit : *Excidit, inde* (vel *unde*) *suum longo probat ordine vitæ Mæonidem.* Gronovius Syllog. Epist. Tom. III. p. 487. *Major et unde suam longo probat ordine vitæ Mæonides.* 'Lacunam hic esse suspicamur. Certe neminem mortalium hæc compositurum, ut constanti sententia intelligi possint ; nisi si codices aliqui, omnibus hactenus visis meliores, supervenerint. Dixi de lacuna. Potest etiam superfluum hic aliquid esse, quod tantis tenebris omnia induat. Sermo est de *Mæone* quodam, quem quis et unde sit nemo novit. Est mox de *Mæonide*, i. e. Homero, de quo certarint urbes multæ. Mihi, si detur audacia, Papinius reliquisse perhibeatur : *Mæonis inde suum longo probat ordine vatem Mæonidem; aliæque .... Diripiunt ; cunctæque probant : non omnibus ille Verus, &c. Mæonis*, i. e. ora vel regio sic nominata ; quam suspicor non longe Sellis abfuisse.' *Barth.* 'De iis desperandum est, donec inveniatur codex aliquis qui locum suppleat : mihi enim minime dubium est unum versum excidisse, cujus sensus hic esse debet : Ita Smyrna et Athenæ (vel duæ aliæ quævis urbium contendentium) sibi vindicant Mæoniden, &c. Asteriscis igitur

NOTÆ

natorem navis Æneæ, qui somno obrutus in mare lapsus est, quique cum experrectus enatavisset, et terram jam apprehendisset, a Veliensibus occisus est. Postea vero Lucanis gravissima peste laborantibus, respondit oraculum manes Palinuri a Veliensibus occisi placandos esse. Illi itaque consecratus est lucus, erectumque cenotaphium, locusque ubi sepultus fuit Palinuri nomen accepit. Pro *Graius* autem, quo epitheto Palinurus insigniri non poterat, qui Phryx erat aut Trojanus, reposuit Gronovius *gratus*, sive Æneæ sive Teucris, sive ipsi denique puppi: nam frequenter legimus gaudere tecta et locos præsentia boni domini, et rursum mœrere illius discessu.

129 *Parthenopeque* [*Mæon et inde*] *suum longo probat ordine vitæ Mæoniden*] Mens Statii : Mæonem, a quo Homerus descendebat, et unde Mæonides vocatur, nunc decidere controversiam, quæ de Mæonidæ seu Homeri patria orta fuerit inter tot urbes, et probare Sellen ipsi patriam fuisse, quippe cum tantus Poëta, quantus Papinius pater extitit, non in alia nasci potuerit urbe, quam quæ ipsum Homerum omnium Poëtarum principem dedit. *Longo ordine vitæ*]

Mæoniden, aliæque aliis natalibus urbes
Diripiunt, cunctæque probant: non omnibus ille
Verus: alit victos immanis gloria falsi.
Atque ibi dum profers annos, vitamque salutas,
Protinus ad patrii raperis certamina lustri
Vix implenda viris, laudum festinus, et audax
Ingenii: stupuit primæva ad carmina plebes
Eubœa, et natis te monstravere parentes.

Mæonidem filium natum affirmat, cujus ortum aliæ nationes sibi vindicant, et cunctæ demonstrant: ad omnes tamen non ille vere pertinet: qui victi sunt aluntur gloria talem virum sibi asseruisse. Atque ibi dum adolescis et auspicaris vitam, statim, laudum properus et audax ingenio, volas ad ludos patrii quinquennii, vix digne a viris celebrandos. Populus Eubœus admiratus est tuos juveniles versus, et

---

locum, utpote mutilum, notavi: quod jam cuivis patet.' *Markl.*—130 *Mænides* Venet. 2. *aliæ quem aliis certantibus urbes Deripiunt* Gronovius in Diatr. edidit tamen: *quem aliis natalibus urbes Diripiunt.*—131 In edd. vett. ita distinguitur: *cunctæque probant non omnibus: ille Versus alit, &c.* Adrianus Schottus Observ. Human. II. 3. correxit *Verus.*—133 Venet. 1. et Parm. *victos et inanis.* Heinsius ad Ovid. Remed. Amor. vs. 93. et in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 588. legit: *vitamque solutam*, i. e. otiosam.—135 Edd. vett. *laudum festina, sed ut dux.* Lectio nostra debetur Lipsio Elect. I. 9. eamque receperunt Gevart. Grasser. Dan. Heins. in Amstel. Gronov. et recentt.—137 *Eubois*, sive *Eu-*

NOTÆ

Id est, post multas hominum ætates. Sic frequenter usurpat vocabulum 'vitæ' Plinius. Lib. IX. cap. 36. 'Sic omnes, qui istis gaudent, præmia vitæ suæ calleant.' Id est, ætatis in qua nati sunt. Alibi: 'Postea tot subiere nomina atque genera, ut vel hoc solum æstimantibus appareat mutatam esse vitam.' Id est, ævum.

130 *Aliæque aliis natalibus urbes Diripiunt*] Nota multarum urbium inter se contentio de asserendo sibi Homero.

131 *Cunctæque probant*] Id est, argumenta verisimilia afferunt ad probandum, quod Homerus apud se natus est. *Non omnibus ille Verus*] Id est, non ab omnibus Homerus jure vindicari potest.

132 *Alit victos immanis gloria falsi*] Id est, qui pro re magna certant, etiam si vincantur, falsa dicentes, tamen aluntur gloria, quod in re magna victi sunt: 'In magnis voluisse sat est.'

133 *Ibi*] Apud Sellen.

134 *Patrii lustri*] Neapolitani. Intelligit ludos Neapolitanos quinto quoque anno celebratos. *Patrium lustrum* vocat, vel notans suos ipsius natales, quos debebat Neapoli, vel patris; quia Neapolis etiam sibi Papinium patrem vindicabat, ut supra dictum est.

135 *Vix implenda viris*] Id est, quæ viri in scribendo exercitati vix digne canerent.

137 *Eubœa*] Neapolitana. Vide supra vs. 111. *Et natis te monstravere parentes*] Persius Sat. I. 'At pulchrum est digito monstrari, et dicier,

Inde frequens palmæ, nulloque ingloria sacro
Vox tua: non toties victorem Castora gyro,
Nec fratrem cæstu virides plausere Therapnæ.
Sit pronum vicisse domi; quid Achæa mereri
Præmia, nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Athamantea protectum tempora pinu?
Cum toties lassata, tamen nusquam avia frondes
Abstulit, aut alium tetigit Victoria crinem.
Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes

parentes te ostentavere liberis suis. Inde eloquentia tua sæpe certavit, nec victa fuit in ullis ludis. Virides Therapnæ non toties plauserunt Castorem victorem equestri certamine, germanumve ejus cæstu victorem. Esto, facile fuerit apud suos vicisse: quid mereri palmas Achæas, tempora redimitus nunc frondibus Phœbi, nunc apio Lernæ, nunc pinea corona Athamantea? Cum toties fatigata victoria, nusquam tamen aversa, tibi ramos eripuit, aut tetigit alias comas. Hinc tibi spes

boica legendum putabat Heinsius in Advers. loco jam citato.—138 *Inde frequens pugnæ* edd. vett. mutavit Marklandus.—140 Parm. *clausere Therapnæ;* Ald. 1. *Theramnæ.*—141 *Sin pronum* Parmensis.—147 Edd. vett. *mores et*

NOTÆ

hic est.' Horatius IV. Ode 3. ad Melpomenen: 'Totum muneris hoc tui est, Quod monstror digito prætereuntium, Romanæ fidicen lyræ.'

138 *Frequens palmæ* [*pugnæ*] Similis locutio præcedentibus 'laudum festinus et audax Ingenii.' Quidam legunt *pugna. Sacro*] Id est, ludicro: nam ludicra certamina consecrata erant vel Diis vel Heroibus.

139 *Castora gyro*] Equestri scilicet. Castor enim equitandi peritissimus.

140 *Fratrem*] Pollucem fratrem Castoris pugilem celeberrimum. *Virides Therapnæ*] Therapnæ urbs Laconiæ, patria Castoris et Pollucis: *virides* vel a marmore viridi, vel a sylvis virentibus.

141 *Pronum*] Id est facile, promtumque. Statius alibi: 'cognoscere pronum.' *Achæa*] Id est, Græca ab Achaia Græciæ provincia.

142 *Præmia*] Coronas, quæ victoribus dabantur. *Ramis Phœbi*] Laurea, quæ dabatur in ludis Pythii: laurus autem sacra Phœbo seu Apollini. Meminit et Plutarchus Symposia lib. v. Prob. 2. agonis poëtici in ludis Pythiis. De quo etiam Pausanias in Phocicis videndus. *Germine Lernæ*] Id est, apio, quo coronabantur victores in ludis Nemæis. Lerna autem erat urbs palusve Argolidis, vicina Nemee regioni et sylvæ.

143 *Athamantea pinu*] Corona pinea, qua donabantur victores in ludis Isthmicis, celebratis in honorem Palæmonis Athamantis filii: unde *Athamantea pinus.* Meminit et Plutarchus ibidem, ut et Symposia lib. II. Prob. 4. agonis poëtici in ludis Isthmicis. Non hic meminit Poëta Olympici certaminis, quia tunc, a temporibus Neronis, Poëticum certamen apud Olympiam non celebrabatur.

146 *Vota patrum*] Liberi.

Te monitore regi, moresque et facta priorum
Discere: quis casus Trojæ; quam tardus Ulixes;
Quantus equos pugnasque virum decurrere versu
Mæonides; quantumque pios ditarit agrestes
Ascræus, Siculusque senex: qua lege recurrat
Pindaricæ vox flexa lyræ, volucrumque precator

genitorum committi, ut mores nobilis juventutis formares, et eam doceres instituta et acta majorum: quæ fuit Trojæ excidium, quam lentus Ulysses in reditu: quantus Mæonides in celebrandis carmine equis ac certaminibus Heroum, et quantum Ascræus et Siculus senex opulentaverint pios agricolas. Qua lege flexus cantus lyræ

facta: conjunctionem *que* addidit Marklandus.—150 Parmensis: *dictaret*

NOTÆ

147 *Monitore*] Monitores alias custodes, ut in Æneid. v. qui scilicet semper comitabantur nobiles adolescentes, ut inspectores et censores actionum assidui. Alias monitor, qui monet simpliciter.

148 *Casus Trojæ*] Excidium Trojæ ab Homero aliisque Poëtis decantatum. *Quam tardus Ulixes*] Id est, quam lente et per quos errores Ulysses tandem in patriam redierit.

149 *Quantus equos, &c.*] Quantum assurgit, et quam mirabilis Homerus in describendis equis et viris.

150 *Mæonides*] Homerus. *Pios agrestes*] Ut quos extremos omnium reliquit Justitia. Virgilius Georg. II. ‘Extrema per illos Justitia excedens terris vestigia fecit.’

151 *Ascræus*] Hesiodus sacerdos fuit templi Musarum in Helicone monte Bœotiæ in Ascra pago ad radicem ejus montis sito. Composuit tria opera, quorum primum inscripsit Opera et Dies, in quo tractat de agricultura, interseritque alia atque alia præcepta de moribus ad justitiam et pietatem colendam, injustitiam vero, et ignaviam fugiendam. Alia ejus opera sunt Clypeus Herculis et Theogonia. *Siculusque senex*] Aliqui per *Siculum senem* intelligunt Hieronem quendam, qui de Re Rustica scripsit apud Varronem. Sed potius intelligendus Theocritus. Natus est Syracusis in Sicilia patre Simmicho, matre vero Philine: auditor fuit Philiadi et Asclepiadis, vixitque tempore Ptolemæi filii Lagi, et filii ejus Philadelphi. Florebant eadem ætate Menander Comicus, Callimachus Cyrenæus, et Nicander Astrologus. Scripsit Dorica dialecto Idyllia, in quibus multa sunt physica et descriptiones herbarum ac florum pulcherrimæ: multa etiam œconomica: quædam politica, quædam et historica: maxima tamen pars ad doctrinam de moribus referri potest. *Qua lege recurrat Pindaricæ vox flexa lyræ*] Hoc dicit propter Strophas, Antistrophas, ac Epodum, quarum lege movebantur in saltatione Lyrici in canendis odis. Vide Surrentinum Pollii vs. 137. De Pindaro jam diximus. Vide ibidem.

152 *Volucrumque precator Ibycus*] Ibycus Lyricus Poëta Phytii filius, sive, ut alii dicunt, Polyzeli Messenii historici, alii Cerdantis. Rhegii natus est, ex quo discedens Samum insulam petiit, quæ tunc temporis a patre Polycratis regebatur, quinquagesimam circiter Olympiadem, ut

Ibycus, et tetricis Alcman cantatus Amyclis,

Pindaricæ recurrat. Quid scripserit Ibycus rogator avium, et Alcman cantatus in

agrestes.—153 *Obsonus et tetricis alcinam* Parmensis ; *Obsitus* Rom. Venet. 2. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Ibycus* emendavit Gulielmus Canterus Nov. Lect.

NOTÆ

testantur historici Græci. Extant multa Epigrammata Græca in Ibycum, ex quibus discimus eum in amorem proclivem fuisse : quod et referunt M. Cicero, Athenæus, et Suidas. De morte ejus hac traduntur, et faciunt ad intelligentiam hujusce loci. Cum peregrinaretur, incidit in latrones, qui cum se præpararent ad illum occidendum, forte accidit, ut prætervolarent grues, quas Ibycus intuens ait : ‘ Hæ aves aliquando meæ mortis vindices erunt ;’ quo dicto occisus est. Post aliquod tempus, cum hi latrones nihil timentes in theatro, vel, ut alii, in foro sederent, ecce supervolarunt grues, quas cernentes illi, per jocum inter se summisse dicebant : ‘ ecce Ibyci vindices.’ Hæc verba a quodam circumstantium excepta ad magistratus civitatis delata sunt, apprehensique latrones de Ibyco interrogati minus constanter responderunt. Itaque Ibycus multa cura perquisitus est : cum autem non inveniretur, tormentis scelus suum fateri adacti latrones pœnas Ibyco dederunt. Historiam perstringit hoc versiculo Ausonius : ‘ Ibycus, ut periit, vindex fuit altivolans grus.’ Inde ortum proverbium : ‘ Ibyci grues,’ vel ‘ Ibyci ultrices,’ in eos, quorum crimina via quadam mirabili deteguntur. Perierunt Ibyci scripta, ut et omnium fere Lyricorum, nisi paucula quædam a scriptoribus excerpta et citata. Scripsit Ibycus Dorica dialecto. Vide Lilium Gregorium Gyraldum Dialogo IX. de Poëtarum Historia.

153 *Et tetricis Alcman cantatus Amyclis*] Variant scriptores de patria Alcmanis. Plerique illum Laconem fecerunt, ut noster hoc loco, quod tamen manifeste negat Velleius Paterculus. Quidam natum Messanæ tradunt, inter quos Suidas. Crates vero et Antipater in quodam carmine, et Leonidas in ejus Epitaphio perhibent ex Sardis urbe Lydiæ fuisse. Floruit eadem ætate, qua Pittacus, 53. scilicet Olympiade, alii 28. regnante apud Lydos Ardio, qui et ab aliquibus Ardis vocatus est. Ventri ac gulæ operam dedisse eum legimus, et inter voraces numeratur a Græcis, vel ipso eodem teste, qui se πολυβρώματον, id est, *voracem*, nuncupat : ea propter non mirum est, si supra modum amatoriis et venereis rebus vacasse dicitur. Quin etiam ipsum amatoriorum carminum ἡγέμονα nonnulli credidere. Certe leguntur apud Athenæum ejus ipsius carmina, quibus discimus eum Megalostratam poëtriam efflictim deperiisse. Scripsit sex libros de familiaribus ac domesticis, Melicos etiam versus, et quas ipse *Colymbosas* vocavit. Primus insuper modulamina induxit, quæ sine hexametris canuntur : usus est lingua Dorica, qua usi et Lacedæmonii. Refert Ælianus Alcmana servum fuisse Agesidis, sed ab eo manumissum ob illius virtutes, et excellentiam ingenii. Unde Græcis γλυκὺς, hoc est, *dulcis*, cognominatus est : periit vero pediculari morbo. Ab hoc carmen Alcmanicon. Vide eundem Gyraldum eodem Dialogo. *Tetricis Amyclis*] Amyclæ oppidum Laconiæ. *Tetricis*] Propter austerita-

Stesichorusque ferox, actusque egressa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho;

austeris Amyclis, et gravis Stesichorus, ac temeraria Sappho saltu virili non

lib. II. cap. 12.—154 Venett. Rom. Parm. Vicent. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. omnes: *saltusque ingressa viriles.* Lectio nostra est ex ingenio Marklandi.—155 *Calchide* Venet. 1. 2. Parm. et Rom. *Leucade* Aldd. Colin. Gryph.

NOTÆ

tem vitæ Laconum.

154 *Stesichorusque ferox*] Stesichorus Poëta Lyricus patriam habuit Himeram Siciliæ urbem. Ferunt, cum infans esset, lusciniam in ejus ore concinuisse, quod eximium sane omen erat suavitatis ac dulcedinis futuri poëtæ: florere cepit a 38. Olympiade ad 56. usque; unde discimus illum ad summam senectutem pervenisse. Lucianus quidem in Macrobiis octoginta et quinque annos vixisse eum affirmat. Filias habuit, quas de morte patris consolatus est tyrannus Phalaris. Quæ etiam adeo gloria modulandorum numerorum, ac carminum faciendorum inclaruerunt, ut indignæ patre non reputatæ sunt, eique in ea facultate solum cedere dicebantur. Dorica usus est dialecto, qua scilicet Siculi utebantur, Suidas refert. Poëmata illius sex et viginti libris comprehensa: meminit et canticorum ejus, id est, ἀσμάτων Athenæus, qui et ipsum collocat inter eos, qui ardentius amaverunt. Celebrat etiam Poëma illius in Calycem puellam, quæ cum Evanthum adolescentem arderet, nec maritum habere potuisset, impatientia amoris ac repulsæ e Leucadis rupe se præcipitem dedit. Tradunt etiam Stesichorum, cum acerrimo carmine proscidisset Helenam tanquam excidii Trojani facem, fuisse oculis privatum a Castore et Polluce fratribus Helenæ; moxque cantata palinodia visum recuperasse. Dicitur *ferox* Papinio, ut et illius Musæ 'graves' Horatio, ob sublimitatem scilicet carminum, qua videtur, ut ait Quintilianus, æmulari proximus Homerum, dicitque illum maxima bella, et clarissimos cecinisse duces, et epici carminis onera lyra sustinuisse. Quin et Dionysius Halicarnassæus dicit Stesichorum, non solum felicem esse in his, in quibus Pindarus et Simonides eminent; sed etiam ea attigisse, ad quæ illi non perveniunt: nimirum magnificentiam rerum, quæ pro argumento sumuntur, in quibus ut et morata esset oratio, et dignitas personarum servaretur, operam dedit. Unde Synesius Heroicum ferme poëtam facit Stesichorum, cum ait, Stesichorus veluti et Homerus, qui Heroicum genus nobilius et illustrius suis versibus reddidere. Fazellus refert monumentum ejus ante portam Catanæ adhuc suo tempore videri, quæ Stesichoria ex ea re dicta fuit. Erat illud figura octogona. Vide eundem Gyraldum loco citato. *Actusque egressa* [*saltusque ingressa*] *viriles Non formidata temeraria Leucade Sappho*] Sappho Scamandronymi filia, ut communior fuit opinio, patriam habuit Mitylenem urbem Lesbi insulæ. Strabo affirmat nullum ei similem fuisse, ne in minima quidem poëtices parte. Post mortem Cercolæ mariti, qui erat ex Andro ditissimus, diversis fuit diffamata amoribus, præsertim Phaonis Lesbii, cujus amore impatiens, se e rupe Leucadis in mare præcipitem

Quosque alios dignata chelys: tu pandere docti
Carmina Battiadæ, latebrasque Lycophronis atri,
Sophronaque implicitum: tenuisque arcana Corinnæ;
(Sed quid parva loquor?) tu par assuetus Homero

reverita Leucadem, aliique, quos testudo illustravit. Tu peritus explicare versus Callimachi oriundi a Batto, ac recessus obscuri Lycophronis, involutumque Sophrona, et secreta subtilis Corinnæ. Sed quid dico modica? Tu solitus par jugum cum

&c.—156 Edd. omnes ante Marklandum *doctus*.—157 Pro *atri* Parmensis habet *acri*.—158 Eadem: *arcana Cornnaæ.* 'Pæne est ut mendosum dicam hunc Papinii locum, et de mimis non vulgare epitheton corruptum esse.'

NOTÆ

dedit; unde Papinio dicitur *saltus ingressa viriles Non formidata temeraria Leucade*, Horatio vero 'mascula,' quod hunc saltum Leucadium animose aggressa fuerit, qui virorum erat: multi enim ex hoc saxo se præcipites dedere, unde in proverbium 'saltus Leucadius.' Leucas vero promontorium Epiri, nec non insulæ urbisque nomen. Scripsit Sappho Æolica dialecto Lyricorum libros novem, Epigrammata, Iambos, Monodias, Epithalamium, et alia quædam: ab ipsa quoque carmen Sapphicum, Æolicum, et Antipæsticon dicitur. Vide eundem Gyraldum ibidem.

157 *Battiadæ*] Callimachi oriundi a Batto, ut jam diximus. Vide Epith. Stellæ vs. 253. *Latebrasque Lycophronis atri*] Lycophron Poëta patria Chalcidensis, Sophoclis grammatici, adoptione vero Lyci Rhegini filius, inter septem Poëtas, qui Pleiades dicebantur a numero stellarum, quæ Pleiades vocantur, Philadelpho Ptolemæo acceptus. Hi septem erant Aratus, Nicander, Apollonius, Philecus, Homerus junior, Theocritus, Lycophron auctore Suida. Scripsit Alexandram poëma valde obscurissimum: unde *latebræ Lycophronis atri*, seu obscuri, in quo meminit vaticiniorum Cassandræ, exorsus ab Hercule et rebus Trojanis, prosequitur usque ad Alexandrum Macedonem. Sagitta confossum periisse narrant. Ovidius in Ibin: 'Utque cothurnatum periisse Lycophrona narrant: Hæreat in fibris fixa sagitta tuis.'

158 *Sophronaque implicitum*] Sophron poëta Syracusanus, cujus scriptis ita afficiebatur Plato, ut ea pulvino subjecta habuerit. Floruit ætate Xerxis Persarum regis et Euripidis poëtæ. Scripsit lingua Dorica nomos viriles, nomos muliebres, et alia quædam non contemnenda, ut dicit Athenæus lib. XIII. sed adeo intricata, ut a paucis intelligerentur; unde *implicitum* vocat Poëta. *Tenuisque arcana Corinnæ*] Corinna poëtria Thebana, vel Tanagræa, Achelodori et Pocratiæ filia, discipula Myrtidis, dicta 'musca Lyrica.' Claruit tempore Pindari, quem et quinquies vicit: libros quinque scripsit, Epigrammata, nomos lyricos. Vide Suidam et Pausaniam. Scripta ejus videntur obscura fuisse, vel fuisse de rebus arcanis; unde *arcana* Papinio dicuntur. *Tenuis*] Quia subtilis erat ingenii. Fuit et alia Corinna Thespia, et ipsa veterum monumentis celebrata. Vide Suidam.

159 *Tu par assuetus Homero Ferre jugum*] Metaphora sumta a duobus

Ferre jugum, senosque pedes æquare solutis
Vocibus, et nunquam passu breviore relinqui.
Quid mirum, patria si te petiere relicta,
Quos Lucanus ager, rigidi quos jugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, neglectaque tellus
Alcidæ, vel quos e vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni speculatrix virgo profundi?
Quos propiore sinu lituo remoque notatus
Collis, et Ausonii pridem laris hospita Cyme:

Homero ferre, et illum æquare Hexametris tuis, et nunquam post ipsum relinqui breviore gressu. Quid mirum igitur, si patria deserta te adiere hi quos campus Lucanus, quos agri severi Dauni, quos ædes defletæ Veneri, et terra ab Alcide contemta, vel ii quos virgo contemplatrix maris Tyrrheni mittit e jugo Surrentino? Hi quos viciniore sinu mons insignitus lituo, et remo, ac Cyme quæ dudum obtinet

Barth.—161 *Versibus* edd. ante Marklandum, qui conj. etiam : *solutis Gressibus.*—164 Idem Marklandus pro *neglectaque* malit *dilectaque.*—167 *Quis* Parmensis.—168 Eadem: *hospita Cyrne.*—170 Rom. Aldd. Colin. Gryph. *per-*

NOTÆ

bobus eidem jugo alligatis, et æqualiter trahentibus.

163 *Lucanus*] A Lucanis Italiæ populis. *Rigidi jugera Dauni*] Intelligit Apuliam Dauniam, quam Italiæ regionem Daunus, Diomedis socer, occupavit victis Apulis. *Rigidi*] Ob victos Apulos. Sed et Rutuli etiam intelligi possunt, qui Ardeam tenuerunt, et Silius appellat eos 'Dauniam plebem:' Daunus enim pater Turni Rutulis imperavit.

164 *Veneri plorata domus*] Intelligit Lavinium, ubi erat templum Veneris commune nomini Latino, ut scribit Strabo, magna populorum celebritate. *Plorata*] Numicus enim fluvius proximus est, in quo Æneas filius submersus est, cum tribus annis imperasset, collata acie cum Rutulis. *Neglectaque tellus Alcidæ*] Eum tractum Campaniæ intelligit, qui est inter Misenum et Puteolos. Cum enim Hercules illac boves traducere commode posset, maluit Lucrinum lacum structo aggere trajicere. Vide Strabonem lib. v. et Diodorum Siculum.

165 *Vel quos e vertice Surrentino Mittit Tyrrheni speculatrix virgo profundi*] Intelligit Surrentinum, in cujus promontorio Minerva habebat templum. Unde dicitur 'speculari mare Tyrrhenum,' ut jam diximus.

167 *Lituo remoque notatus Collis*] Intelligit Misenum Promontorium, in quo Misenus sepultus est. Virgilius Æneid. VI. 'At pius Æneas ingenti mole sepulcrum Imposuit, suaque arma viro, remumque tubamque Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo Dicitur.'

168 *Et Ausonii pridem laris hospita Cyme*] Intelligit Cumas, veterem Chalcidensium coloniam in Italia: unde dicitur *Ausonii pridem laris hospita Cyme.*

Quosque Dicarchei portus, Baianaque mittunt
Littora, qua mediis alte permixtus anhelat
Ignis aquis, et operta animos incendia servant.
Sic ad Avernales scopulos, et opaca Sibyllæ
Antra, rogaturæ veniebant undique gentes:
Illa minas Divum, Parcarumque acta canebat,
Quamvis decepto vates non irrita Phœbo.
Mox et Romuleam stirpem, proceresque futuros
Instruis, inque patrum vestigia ducere perstas.
Sub te Dardanius facis explorator opertæ,

sedem in Italia? quosque portus Dicæarchi, mittunt, ac ripæ Baianæ, ubi ignis alte permixtus mediis undis vaporat, ac latens servatur in locis subterraneis. Sic populi responsa petituri undique concurrebant ad rupes Averni, et umbrosum specum Sibyllæ. Hæc referebat Deorum monitus, et facta parcarum, vates non vana, etsi decepisset Apollinem. Mox erudis Romanam sobolem, et optimates futuros, ac eos excitas ad insistendum majorum vestigiis. Inspector Dardanius arcani ignis, qui

missus anhelat; altera lectio, *permixtus anhelat*, est ex emendatione Adr. Behottii Apophor. lib. II. cap. 11.—171 *Ignis aquas* Parm. Pro *domos*, quod habent omnes edd. *animos* substituit Marklandus.—174 *Illa animos Divum*

NOTÆ

169 *Dicarchei portus*] Puteoli. *Baiana mittunt Littora*] Baiæ. Vide Viam Dom.

170 *Qua mediis alte permixtus anhelat Ignis aquis*] Intelligendus hic locus de aquis calidis Baiarum, et balneis, quem et illustrat Dio lib. XLVIII. Vide Behottium in Apophoretis lib. II. cap. 11.

171 *Et operta animos* [*domos*] *incendia servant*] Cruceus legit *domus* in nominativo casu, et sermonem esse, ait, de balneis Baiarum, quæ servant operta incendia, quoniam subjecto igne perpetuo calefiunt. Potest et intelligi de ignibus, qui servabantur perpetuo in locis subterraneis, quibusque aquæ tepefiebant in littore Baiano. Hæc loca *domos* vocat Poëta.

172 *Avernales scopulos*] Intelligit rupes juxta Avernum lacum, in quarum latere excisum erat antrum, in quo habitabat Sibylla Cumana, et responsa dabat. Hodie dicitur *la Grotta della Sibylla.*

173 *Rogaturæ*] Oracula petituræ.

175 *Decepto vates non irrita Phœbo*] Alludit ad fabulam, qua Sibylla, promissa copia corporis sui Phœbo, ab eo obtinuerat tot annos, quot erant corpora in cumulo arenæ, quem manu ceperat, quo impetrato elusit promissum, decepitque Apollinem. Neque tamen irrita fuit vates, quamvis decepisset Apollinem, id est, non credita, ut Cassandra, cui hæc pœna a Phœbo eodem modo decepto irrogata est, ut non ei crederetur.

178 *Dardanius facis explorator opertæ*] Pontificem designat, cui jus erat inspiciendi, an Vestales ignem æternum conservandum curarent, quem per *facem opertam* designat, quod non omnibus licebat illum videre.

Qui Diomedei celat penetralia furti,
Crevit, et inde sacrum didicit puer: arma probare
Monstrasti Saliis, præsagumque æthera certis
Auguribus; cui Chalcidicum fas volvere carmen,
Lanea cui Phrygii est coma flaminis, et tua multum

occultat Palladium raptum a Diomede, sub te adolevit, et puer a te didicit hos ritus. Docuisti Salios gestare ancilia, et avium volatu cognoscere certa auguria: et illum, cui licet volvere libros Chalcidicos: et flaminem Phrygium, qui habet caput cinctum

conjectabat idem Marklandus.—179 *Qui Diomedes* in quibusdam edd. ante Lindenbrog. *Qui Diomedei* Venet. 2. Aldd. &c.—180 Pro *arma probare*, Parmensis: *arma probatque.*—181 *Monstrastis halis* Romana; *Monstrastis alis*, vel *aliis* in ceteris vett. Lipsius emendavit Elect. I. 9. Heinsius vero in Advers. p. 589. *rotare Monstrasti Saliis.* Mox: *præsagumque æthera certis Auguriis* in edd. ante Marklandum, qui ex ingenio: *præsagisque æthera certum Auguribus.* Parmensis tamen et Venet. 1. habent *Auguribus.*—183 *Cur Phrygii lateunt coma Flaminis* Parmensis; *Cui Phrygii laneu est coma Flaminis* Romana contra metrum. Vulgatum retinent Venet. 2. Aldd. Colin. Gryph. &c.—184

NOTÆ

179 *Qui Diomedei celat penetralia furti*] Palladium intelligit, quod clam surreptum fuerat Trojanis a Diomede, quodque in templo Vestæ occultabatur. Nefas enim erat illud videri, unde *celat.* Vide Livium lib. XXVI. Herodianum in Commodo, et Clementem Alexandrinum, et Lipsium in tractatu singulari de Vestalibus. *Penetralia*] Id est, sacra Palladii.

180 *Inde*] Ex tua disciplina. *Arma probare Monstrasti Saliis*] Salii erant 12. Sacerdotes Martis, qui ancilia gestabant, ut jam supra diximus. Dicit ergo patrem rationem gestandorum horum clypeorum Salios docuisse.

181 *Præsagum æthera certis Auguriis*] Id est, aves in aëre volantes, ex quarum volatu voceque certa auguria capiebantur.

182 *Cui Chalcidicum fas volvere carmen*] Doces illum, qui inter Quindecimviros eligendus est, rationem inspiciendi libros Sibyllinos, quos vocat *carmen Chalcidicum*, quod Sibylla Cumana originem ducebat a Chalcidensibus. Vide Via Domitiani vs. 142. et sequentibus.

183 *Lanea cui Phrygii est coma flaminis*] Id est, doces eos, qui flamines debent esse, rationem sacrorum cujusque Dei, cujus flamines seu sacerdotes sunt. Flamines dicti, ut ait Varro, quod in Latio erant semper velato capite, ac filo haberent caput cinctum. Horum singuli cognomen habebant a Deo, cui dicati erant, ut Martialis, Dialis, Vulcanalis, Furinalis. Servius in illum versum Æneid. VIII. 'Lanigerosque apices,' hæc habet: 'Flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga desuper habens lanæ aliquid, quod cum per æstus ferre non possent, filo tantum capita religare ceperunt: nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas erat: unde a filo, quo utebantur, flamines sunt dicti, quasi filamines. Verum festis diebus, filo deposito, pilea necesse erat accipere, quæ secundum alios ad ostendendam sacerdotis eminentiam sunt reperta.' *Phrygii*] Quia e Phrygia seu a Troja-

Verbera succincti formidavere Luperci.

filo laneo: et nudi Luperci valde timuerunt tua flagella. Et nunc forte ex illa

Heinsius ad Ovid. Fast. v. 102. et in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 589. conjicit:

NOTÆ

nis ritus sacrorum invecti, et quia Æneas Phrygius caput velare inter sacrificandum instituit; unde mos inductus, ut flamines filo laneo caput redimirent. *Lanea coma*] Coma laneo filo redimita. *Et tua multum Verbera succincti formidavere Luperci*] Id est, Luperci, qui succincti pellibus solent currere, obviosque verberare, timuerunt tua verbera, dum eos docebas. Luperci vero erant nudi homines, qui in Lupercalibus discurrebant per urbem, et obvios quosque, præsertim fœminas, scuticis ex dissectis pellibus factis verberabant: inductaque opinio, mulierem fœcundam reddi, si illis currentibus palmas obtulisset, et eorum verberibus percussa fuisset. Unde Juvenalis: 'Nec agili prodest palmas præbere Luperco.' Ovidius Fast. II. 'Nupta, quid expectas? non tu pollentibus herbis, Nec prece, nec magico carmine mater eris. Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ, Jam socer optatum nomen habebit avi.' De Lupercalium origine non consentiunt auctores. Nonnulli, ut Plutarchus, Dionysius, Livius, ab Evandro allata in Italiam hæc sacra referunt. Valerius Maximus instituta a Romulo Remoque, propter datam sibi potestatem ab avo Numitore condendæ urbis in Palatino monte. Ovidius vero in Fastis dicit Romanos memores beneficii sibi præstiti a lupa in alendis infantibus Romulo et Remo, templum illi condidisse ad ficum Ruminalem, quod est appellatum Lupercal. Sic enim ait: 'Illa loco nomen fecit, locus ipse Lupercal. Magna dati nutrix præmia lactis habet.' Templi hujus sacerdotes dicebantur Luperci auctore Varrone, et discurrebant per vicos et compita, eo modo, quo diximus. Unde et 'Crepos' vocat Festus a crepitu pellicularum. Sed præter Sacerdotes, currebant qui volebant, tam viri, quam mulieres, ut de Antonio scribit Plutarchus in ejus vita. Hoc festum agebatur XV. Kal. Mart. eorumque diem februatam veteres dixerunt. Et Lupercalia stativa erant, ut Agonalia, et Carmentalia, teste Macrobio. Plures autem erant Lupercorum sodalitates: una Fabiorum, alia Quintiliorum, et hæ antiquissimæ: addita postea Juliorum a Julio Cæsare, ut colligitur ex Dione lib. XLIV. Ea sacra paulatim abolita restituit Augustus, ut habetur apud Suetonium. Manserunt usque ad tempora Anastasii Imperatoris, Theodorico Amalo in Italia regnante, ut testatur Onuphrius Panvinius. His sacris canis immolabatur, vel expiationis gratia, quod a Græcis canes adhiberentur ad expiandum; vel in gratiam lupæ, quæ mammam præbuerat Romulo et Remo; vel denique quod sacrificium fieret Pani, cui propter greges canis amicus est, hique ludi *Lupercales* dicti sunt, quod hoc sacrificio lupos credebant ab ovibus arceri. Servius dicit Lupercal fuisse speluncam sub monte Palatino, in qua capro luebatur. Pro *succincti* vero, forsan legendum *cinctuti*, ut apud Ovidium Fast. v. 101. 'Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis; Cum lustrant celebres vellera secta vias.'

Et nunc ex illo forsan grege, gentibus alter
Jura dat Eois, alter compescit Iberos,
Alter Achæmenium secludit Zeugmate Persen:
Hi dites Asiæ populos, hi Pontica frænant,
Hi fora pacificis emendant fascibus, illi
Castra pia statione tenent: tu laudis origo.
Non tibi certassent juvenilia fingere corda
Nestor, et indomiti Phœnix moderator alumni;
Quique tubas acres, lituosque audire volentem

turba, alter dicit jus populis Orientis, alter regit Iberos, alter sejungit Zeugmate Persam Achæmenium: hi compescunt opulentas gentes Asiæ, hi Ponticas, hi corrigunt fora pacificis fascibus, illi tenent castra fida statione. Tu causa cur hi omnes laudentur. Nestor tecum non contendisset de formandis puerorum moribus, nec Phœnix magister invicti discipuli, nec Chiron, qui alio cantu avertebat Æacidem

cinctuti formidavere Luperci.—187 Pro *Zeugmate* Parmensis *Zeumate.*—188 *Condita frenat* Venet. 1. et Parm. Deinde versu sequente Parm. *emendat* pro *emendant.*—191 *Non tibi certasset* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. &c. *certassent* Parmensis, probante Heinsio in Advers. lib. I. cap.

NOTÆ

185 *Grege*] Discipulorum.

186 *Eois*] Orientalibus, ut Syriis. *Iberos*] Duplices Iberi, Europæi, quos Hispanos dicimus, et Asiatici, qui sunt populi ad Pontum Euxinum supra Colchos.

187 *Achæmenium Persen*] Persæ Achæmenii dicti ab antiquo rege Achæmene, ut jam diximus. *Secludit Zeugmate*] Zeugma urbs ad Euphratem sita. Quidam credunt oppidulum, quod Membigio ad Euphratem e directo aut propinquo opponitur, munitione et transitu fluminis haud obscurum, quod propterea *Gesr Menbige*, Pons Membigii dicitur, esse veterum Zeugma (id et Græcis Pontem) 72. passuum mill. a Samosatis, transitu Euphratis nobile, uti Plinius lib. v. cap. 24. habet. Apud Zeugma autem præsidium erat Romanorum, quo incursus ac impetus Parthorum Persarumve in terras Romanas reprimebantur. Unde *secludit.* Et alibi: 'Et Zeugma Latinæ Pacis iter.'

188 *Asiæ*] Supple Minoris. *Dites*] Alibi: 'Florentes Asiæ populos.' Ditissimi quondam hi populi. *Pontica*] Pontus regio Asiæ Minoris, ab Occidente Haly flumine, ab Oriente Colchide terminata: a Meridie minori Armenia, a Septemtrione Ponto Euxino.

189 *Emendant fascibus*] Innuit Consules et Prætores, qui jus dicebant in foro: fasces enim ante Consules Prætoresque ferebantur.

190 *Pia*] Quia pro patria defendenda. *Tu*] Papinii pater. *Laudis*] Scilicet quam referunt, merenturve.

192 *Nestor*] Nestor senex sapientissimus. *Indomiti alumni*] Achillis, *indomiti*, quia nimium iræ indulgebat, nec ullis precibus adduci potuit, ut arma sumeret pro Græcis, iratus quod Hippodamia ipsi erepta fuerat. *Phœnix*] Præceptor Achillis.

Æaciden, alio frangebat carmine Chiron.
Talia dum celebras, subitam civilis Erinnys
Tarpeio de monte facem, Phlegræaque movit
Prælia: sacrilegis lucent Capitolia tædis,
Et Senonum furias Latiæ sumsere cohortes.
Vix requies flammæ, nec dum rogus ille Deorum
Siderat, excisis cum tu solatia templis
Impiger, et multum facibus velocior ipsis,
Concipis ore pio, captivaque fulmina defles.

optantem audire lituos et acres tubas. Dum hæc agis, civilis furia de rupe Tarpeia movit repentinam facem, ac Phlegræa certamina. Capitolium coruscat impiis tædis, et cohortes Latinæ correptæ sunt furore Senonum. Vix ignis cessaverat: nec dum illud bustum Deorum erat extinctum, cum tu sedulus, et longe celerior flammis ipsis, canis ore religioso carmina in solatium dirutorum templorum, et ploras ob-

2. p. 10. et sic Venet. 1.—194 Eadem editio *flagrabat* pro *frangebat*.—196 *Phlægeaque* in eadem.—198 Edd. vett. *sensere cohortes*, præter Parm. Rom. et Venet. 2. quæ habent: *sumsere cohortes*, probante Gronovio Diatr. cap. 57. —200 *Siderat* Salisb. Parm. Rom. et Venet. 2. *Sederat* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. Vide Gronov. Obss. IV. 17.—202 *Concinis ore pio* edd. vett. mutavit Marklandus. *captivaque flumina* codex Florent. et Rom. *captivaque fulmina* codex Salisb. Parm. et Venet. 2. et sic edidit Gronovius. *Captivaque*

NOTÆ

194 *Æaciden*] Achillem, ab avo Æaco. *Chiron*] Præceptor Achillis.

195 *Civilis Erynnis*] Intelligit bellum civile gestum inter Vitellianos, et Flavium Sabinum fratrem Vespasiani, qui cum Domitiano sese receperat in Capitolium ad evitandam illorum vim. Vide Tacitum et Suetonium.

196 *Tarpeio de monte facem*] Alludit ad incendium Capitolii, quod accidit in hoc bello, Vitellianis, ut creditum est, ignem injicientibus in Capitolium. *Tarpeio*] Quia ille mons in quo conditum Capitolium, Tarpeius vocabatur. *Phlegræa movit Prælia: sacrilegis lucent Capitolia tædis*] Vitelliani enim injiciendo ignem in Capitolium bellum Diis intulerunt, et imitati sunt furorem Gigantum, qui sumtis armis adversus Deos, montes montibus imposuerunt, quo propius Deos aggrederentur: sed percussi fulminibus impietatis pœnas dederunt. Hoc autem dicitur accidisse in campis Phlegræis prope Pallenen in Macedonia, unde dicit *phlegræa prælia*. *Sacrilegis*] Quia in templa Deorum injectæ.

198 *Et Senonum furias Latiæ sumsere cohortes*] Optime, 'Sumere furias,' ut 'sumere bellum.' Florus: 'Nec temere sumtus, ut barbaris impetus.' Mens: Latias seu Romanas cohortes aut legiones iisdem furiis actas, quibus Senones Galli, cum intulerunt faces in Capitolium et tecta Romæ. Nota historia. Consule historicos Romanos.

199 *Rogus ille Deorum*] Bene *rogus*, quia hoc incendio simulacra Deorum exusta sunt.

202 *Concipis ore pio*] Hoc incendium Capitolii Papinius senior sin-

Mirantur Latii proceres, ultorque Deorum
Cæsar, et e medio Divum pater annuit igni.
Jamque et flere pio Vesuvina incendia cantu
Mens erat, et gemitum patriis impendere damnis;
Cum pater exemtum terris ad sidera montem
Sustulit, et late miseras dejecit in urbes.
Me quoque vocales lucos lustrataque Tempe
Pulsantem, cum stirpe tua descendere dixi,
Admisere Deæ: nec enim mihi sidera tanti,
Æquoraque et terras, quam vos debere parenti.

sessa fulmina. Primores Romani, et Cæsar vindex numinum admirantur, et pater Deorum nutu approbavit e mediis flammis. Jamque proposueras deplorare piis versibus incendium Vesuvii, et dare suspiria ruinis patriæ, cum pater Vulcanus sustulit ad astra partem montis avulsam terra, et late dejecit in infortunatas civitates. Deæ quoque Musæ admisere me pulsantem canoros saltus et peragrata Tempe, cum me dixi tuum filium. Nec tanti æstimo, debere patri astra, tellurem, ac maria,

numina Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Grasser. Gevart. &c.—208 Markland. conj. *et miseras Latii dejecit in urbes.*—209 Idem pro *lustrataque Tempe* tentabat: *monstrataque Tempea;* Venet. 1. habet: *luctataque templa.*—211. 212 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. &c. *nec enim mihi sidera tantum Æquoraque et terras, quantum ostendere parenti;* nonnullæ edd. *neque enim.* Parmensis habet: *neque enim mihi sidera tantum, Æquoraque et terras, quam vos debere parenti;* quod recepit Gronovius. Hinc lectionem nostram eruit Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 590. quam etiam proposuit Marklandus,

NOTÆ

gulari carmine deploraverat, qua in re testatus est pietatem suam erga Deos. *Captivaque fulmina*] *Captiva* scilicet, cum obsideretur Capitolium; quod erat templum Jovis, cui fulmina attribuuntur.

203 *Ultorque Deorum Cæsar*] Vespasianus, qui deletis Vitellianis ultus est injurias Deorum.

206 *Patriis*] Quia Neapolis hoc incendio Vesuvii afflata est.

207 *Cum pater*] An Vulcanus, an Jupiter, an Deus, qui monti Vesuvio præest. *Montem*] Id est, excisas rupes e monte.

208 *Miseras urbes*] Herculaneum et Pompeios, quæ hoc incendio submersæ sunt.

209 *Vocales lucos*] Vocales luci sunt, qui personant cantu Musarum, veluti Heliconius saltus. *Lustrataque Tempe*] Tempe, locus amœnus in Thessalia. Hic ponuntur pro locis quos lustrant Musæ, et in quibus degunt.

211 *Nec enim sidera tanti, [tantum] Æquoraque et terras, quam vos debere parenti*] Mens: non se tanti facere, quod debeat parenti sidera, æquoraque, ac terram, id est, animam, vitamque, quanti, quod Musas parenti debeat, id est, a parente acceperit. *Quam* pro 'quantum,' ut Propertio contra 'tam' pro 'tantum.' 'Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.' *Sidera, æquora, terræ,* id est, τὸ πᾶν, mundus.

Tu decus hoc quodcumque lyræ, primusque dedisti
Non vulgare loqui, et famam sperare sepulcro.
Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres
Mulcerem, felixque tui spectator adesses
Muneris! heu quali confusus gaudia fletu,
Vota piosque metus inter, lætumque pudorem!
Quam tuus ille dies! quam non mihi gloria major!
Talis Olympiaca juvenem cum spectat arena
Qui genuit, plus ipse ferit, plus corde sub alto
Cæditur: attendunt cunei; spectatur athletes
Ille magis, crebro dum lumina pulveris haustu
Obruit, et prensa vovet expirare corona.

quanti quod vos, o Musæ, ipsi debeam. Sic quodcumque est mihi gloriæ ex cithura, tuum est. Et primus dedisti mihi dicere nihil plebeium, et sperare famam post mortem meam. Quanto gaudio afficiebaris, quoties ego delectarem meis versibus proceres Latinos, et fortunatus spectator tui muneris assisteres! Heu qualibus lacrymis permixta tua lætitia, inter vota, et pios timores, et hilarem verecundiam! Quam tuus fuit hic dies, qua major gloria mihi nunquam evenit! Ut cum pater spectat adolescentem pugnantem in studio Olympico, plus animo ferit, altius in corde cæditur: attendunt omnes: sed pater magis athleta est quam spectator, dum crebrum pulverem recipit oculis, et cupit exspirare, modo filius coronetur. Heu

non nominato Heinsio.—213 *Sed decus* Parm. unde Heinsius ibidem: *Et decus;* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Sic decus.* Marklandus ex conjectura: *Tu decus.* Pro *primusque* Venet. 1. *funusque;* unde Markl. conj. *munusque;* Parm. *primumque.*—218 Heinsius Advers. l. l. *lætumque pavorem.*—219 *Quamvis illa dies quam non* Venet. 1. *Qualis et ille dies, quo non* Parmensis. *Qualis et illa dies, qua non* Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. &c. *Quam tuus ille dies, qua non* correxit Politianus Epist. VI. 1. et sic edidit Gronovius. Pro *qua* Marklandus e conjectura *quam.* 'Videtur aliquid excidisse post hunc versum.' *Barth.*—221 *Qui geniū* Parmensis.—222 *Creditur, attendunt cunei, spectatur Acates* Parm. *Acestes* Rom. *Acetes* Aldd. Colin. Gryph. &c. *spectator atletes* correxit Salmasius.—223 *Ipse magis* vult idem Salmasius. Pro *haustu* Parmensis *hausti.*—231

NOTÆ

214 *Sepulcro*] Post mortem.

216 *Tui Muneris*] Id est, facultatis, seu artis poëticæ, quam a te didiceram.

218 *Vota piosque metus inter, lætumque pudorem*] Affectum studiosi spectatoris et amantis eleganter exprimit.

222 *Cunei*] Spectantium scilicet. *Spectatur athletes* [*Aletes*] *Ille magis*] Legit Salmasius *spectator athletes Ipse magis.* Alii, inquit, attendunt pugnantes, sed ille spectator qui genuit, magis athleta est quam spectator: ita haurit oculis, &c. Nec obstat quod prima syllaba in *athletes* positione longa sit: potest enim esse et brevis, sic ἄτλητον primam habet brevem. Hanc Salmasii lectionem in interpretatione secutus sum.

Hei mihi quod tantum patrias ego vertice frondes,
Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ
Te sub teste tuli! qualem te Dardanus Albæ
Vix cepisset ager, si per me serta tulisses
Cæsarea donata manu! quod subdere robur
Illa dies, quantum potuit demsisse senectæ?
Heu quod me mixta quercus non pressit oliva,
Et fugit speratus honos, cum Lustra parentis
Invida Tarpeii canerem! Te nostra magistro
Thebais urgebat priscorum exordia vatum:
Tu cantus stimulare meos, tu pandere facta

me, quod, te præsente, ego tantum reportavi patrios ramos, et sola munera Cerealia coronæ Chalcidicæ! Dardania Alba vix te continuisset nimio gaudio exultantem, si per me reportasses coronam datam manu Cæsaris! Quas vires hæc dies tibi subministrasset, et quantum abstulisset senectuti. Nam quod quercus inserta olivæ non me coronavit, nec mihi obtigit expectata gloria, in causa est nostra Thebais, quam, te magistro, tunc suaviter canebam, et quæ invidebat laudibus Jovis Capitolini. Me urgebant scripta antiquorum Poëtarum. Tu me excitabas ad canendum,

Nam quod edd. vett. *Nam quid* Gronov. *Heu quod* ex conjectura Markl.—232 Venet. 1. et Parm. *qua dulce parentis;* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *cum dulce parentis;* Heinsius Advers. p. 591. *cum luce parentis;* Markl. ex ingenio: *cum Lustra parentis.*—233 *Invidia tarpei caperet* Parm. *Invida tarpei raperes* Venet. 1. *Irrita Tarpeii canerem* Gronov. in Reliq. ad Sylv. *parenti Invida Tarpeio caneret te, &c.* idem in Diatr. cap. 58. *Invida Tarpeii caneret te, &c.* in vulgatis.—234 *Thebais urgebat* Salisb. *Thebais urgebant* edd. vett.

NOTÆ

225 *Patrias*] Neapolitanas.

226 *Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ*] Intellige coronam ex frugibus, qua donabantur victores in ludis Neapolitanis in honorem Cereris patriæ Deæ, ut vidimus in Epistola ad Menecratem: Ceres enim frugum Dea.

227 *Dardanus Albæ ager*] Quia Alba, ut jam diximus, condita ab Ascanio Dardanio seu Trojano.

231 *Heu quod, &c.* [*Nam quod me mixta quercus non pressit oliva, Et fugit speratus honos, cum dulce parentis Invida Tarpeii caneret te nostra magistro Thebais. Urgebant priscorum exordia vatum*] Scaliger et Gronovius aliter legunt, et varie suo quisque modo explicat, ut videre est apud Gronovium Diatribes cap. 58. sed interpretationem Domitii secutus sum, ut meliorem et veriorem: non enim verum, sicuti Scaliger et Gronovius inferunt, Statium suam Thebaidem his ludis Capitolinis commisisse, ac fuisse victum, ut in ejus vita retuli.

235 *Pandere*] Poëtarum verbum proprium. Nemesianus Cyneg. 'Securi prælia ruris Pandimus.' Valerius Flaccus Argon. lib. I. 'Versam proles tua pandet Idumen.'

Heroum, bellique modos, positusque locorum
Monstrabas: labat incerto mihi limite cursus
Te sine, et orbatæ caligant vela carinæ.
Nec solum larga memet pietate fovebas:
Talis et in thalamos: una tibi cognita tæda
Connubia, unus amor: certe sejungere matrem
Jam gelidis nequeo bustis; te sentit, habetque,
Te videt, et tumulos ortuque obituque salutat,
Ut Pharios aliæ ficta pietate dolores
Mygdoniosque colunt, et non sua funera plorant.
Quid referam expositos servato pondere mores?
Quæ pietas? quam vile lucrum? quæ cura pudoris?
Quantus amor recti? rursusque, ubi dulce remitti,

tu docebas scribere acta heroum, et rationes belli, ac situs locorum. Nunc sine te navigo incertus, et vela navis destitutæ gubernatore tenebris involvuntur. Nec me solum complectebaris profusa pietate; talis eras et in conjugem. Una face tibi expertum matrimonium, et unus amor. Certe non possum avellere genitricem a tuo busto jam frigido: te sentit, te amplectitur, te cernit, et salutat sero ac mane sepulcrum tuum: sicut aliæ plorant simulata pietate in sacris Phariis ac Mygdoniis, et lugent non suos mortuos. Quid memorem faciles mores retenta gravitate? Qualis pietas? Quantus lucri contemtus? Quanta cura honestatis? Quantum recti studium? Et rursus, ubi juvaret relaxare animum, quantus lepor verbis? Quam

urebant Heinsius.—244 *At Pharios* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii.—250. 251

NOTÆ

237 *Cursus*] Navigatio, πόρος. Curtius lib. x. 'Inde Numidiæ solitudinibus peragratis, cursum Gades dirigere.' Paterculus lib. I. 'Hujus classis cursum esse directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt.' Cicero de Natura: 'Ab Etesiis ventis maritimi cursus et celeres diriguntur.' Vide Propempticon Metii.

238 *Orbatæ*] Gubernatore scilicet. *Caligant*] Nesciunt, quo vadunt.

240 *In thalamos*] Uxorem. *Tæda*] Quia tædæ in nuptiis.

242 *Jam gelidis*] Quia jam tres menses effluxerant, ex quo sepultus erat Papinius pater. *Te sentit, &c.*] Supple, tanquam præsentem.

243 *Tumulos*] Supple, 'tuos.' *Ortu obituque*] Supple, solis.

244 *Ut Pharios aliæ ficta pietate dolores Mygdoniosque colunt et non sua funera plorant*] Intelligit mulieres quæ ficto planctu et ejulatu celebrabant sacra Isidis, quæ per *Pharios* seu Ægyptios dolores intelliguntur, et Cybeles quæ per *Mygdonios* seu Phrygios. Mygdonia enim erat provincia Phrygiæ, seu vicina Phrygiæ, unde pro ipsa Phrygia sumitur. *Non sua funera plorant*] Nam in Isidis sacris plorabant Osirin necatum; in Cybeles autem Attyn, qui sibi genitalia absciderat: neuter autem ad eas pertinebat.

248 *Ubi dulce remitti*] Id est, se remittere, seu relaxare animum. Hinc

Gratia quæ dictis? animo quam nulla senectus?
His tibi pro meritis, famam laudesque benignas
Index cura Deum, nulloque e vulnere tristes,
Concessit: raperis, genitor, non indigus ævi,
Non nimius; trinisque decem quinquennia lustris
Juncta ferens: sed me pietas numerare, dolorque
Non sinit: o Pylias ævi transcendere metas,
Et Teucros æquare senes, o digne videre

nullum senium in animo? Pro his meritis cura Deorum, quæ eos esse indicat, indulsit tibi existimationem nulla re adversa læsam, et benignas omnium laudes. Moreris pater maturus annis, sed non caducus, habens decem quinquennia cum tribus Olympiadibus. Verum pietas luctusque non permittunt me computare. O qui merebaris superare terminos vitæ Nestoris, et æquare longævos Trojanos, et me

Edd. vett. *His tibi pro meritis, famam, laudesque benignas Vindex cura Deum, nulloque e vulnere tristem, &c.* Parm. Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii: *Index cura Deum;* et ita citat Heinsius ad Ovid. Fast. IV. 393. Gronovius Diatr. cap. 59. hos versus transposuit in hunc modum: *His tibi pro meritis nulloque e vulnere tristem Index cura Deum famam laudesque benignas Concessit.*

NOTÆ

'remissiones' Tacito in Vita Agricolæ: 'Tempora curarum ac remissionum divisa.' Valerius lib. VIII. cap. 8. 'Scipio et Lælius, ut actuosæ vitæ iter æquali gradu exsequebantur, ita animi quoque remissioni acquiescebant.'

249 *Animo quam nulla senectus*] Senes enim plerumque morosi.

250 *His tibi pro meritis, famam laudesque benignas Index* [*Vindex*] *cura Deum, nulloque e vulnere tristes* [*tristem*] *Concessit*] Inversi versus, ut bene monet Gronovius. Legendum: *His tibi pro meritis nulloque e vulnere tristem Vindex cura Deum famam, laudesque benignas Concessit. Vulnere*] Vulnus hic maledicentiam significat, vultque famam patris nulla quidem maledicentia læsam. *Vindex*] Romana editio Venetaque habent *Index.* Et *index cura Deum,* quæ ostendit et probat Deos esse: cum enim bonos bonis affici videbant, malos malis, dicebant esse Deos, ut jam diximus. Martialis lib. II. Ep. 91. 'Sospite quo magnos credimus esse Deos.' Contra si esset, negabant. Auctor Octaviæ: 'Nullum Pietas nunc numen habet, nec sunt Superi.' *Vindex* etiam ferri potest, id est, aut ἀποτρόπαιος, et quæ patrem Statium ab incursibus fortunæ propter virtutem suam defenderet, ac vindicaret: aut quæ Deos vindicaret ab invidia omissæ curæ rerum humanarum.

252 *Non indigus ævi, Non nimius*] Id est, nec immatura ætate, nec decrepita raptus es.

253 *Trinisque decem quinquennia lustris Juncta ferens*] Id est, attigeras sexagesimum quintum ætatis annum. Nam decem quinquennia, id est, 50. addita ad trina lustra, seu quindecim, faciunt 65. lustrum enim et quinquennium est spatium quinque annorum.

255 *Pylias*] Nestoreas. Nestor enim Pylius, seu ex Pylo erat, et longissime vixit, ut omnes sciunt.

256 *Teucros senes*] Priamum et Ti-

Me similem! Sed nec leti tibi janua tristis:
Quippe leves causæ; nec segnis tabe senili
Exitus instanti præmisit membra sepulcro;
Sed te torpor iners, et mors imitata quietem,
Explicuit, falsoque tulit sub Tartara somno.
Quos ego tunc gemitus? comitum manus anxia vidit,
Vidit et exemplum genitrix, gavisaque vovit
Quæ lamenta tuli: veniam concedite, Manes;

cernere ejusdem, ac eras, ætatis! Sed mortis porta non tibi fuit mæsta; quippe levis causa: nec lentus exitus senili tabe te præmisit imminenti sepulcro; sed segnis veternus, et mors quieti similis te extendit, et simulato sopore te misit ad Inferos. Quos ego ejulatus? Mœsta turba comitum vidit. Et mater vidit exemplum, et læta expectavit a me similem luctum. Manes ignoscite; liceat dicere, genitor, non



Marklandus edidit *tristes.*—258 Edd. vett. *labe senili.* Parmensis: *segnes* pro *segnis.* Gronovius Elench. Antidiatr. cap. 7. legit: *tabe senili.*—259 Idem pro *præmisit* vult *promisit.*—262. 263 Totum hunc locum sic scribit et distinguit Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 592. *Quos ego tum gemitus, (c. m. a. vidit, V. e. e. genitrix, g. fovit,) Q. l. tuli!* Edd. vett. *gavisaque novit,*

NOTÆ

thonum, qui longissime vixisse dicuntur.

257 *Me similem*] Id est, senem. *Tristis*] Ob nimios dolores, qui mortem comitantur.

258 *Leves*] Non vehementes, non violentæ. *Nec segnis tabe senili exitus*] Paulatim enim senes plerumque moriuntur, deficiente scilicet natura, et sine gravibus doloribus.

259 *Instanti*] Omnibus imminenti.

260 *Sed te torpor iners*] Hinc veterno extinctus fuit Papinius pater. *Mors imitata quietem*] Ægri enim hoc morbo semper dormiunt, nec excitari possunt, sicque moriuntur.

261 *Explicuit*] Extendit. Noster Theb. x. 'Illius, [somni,] aura solo volucres pecudesque ferasque Explicat.' Id est, extendit. Morientes corpus solent, præcipue pedes exporrigere. Hinc mors 'explicare' proprie dicitur. Sophocles γέροντα μόρῳ ἐκτανύσαι dixit; et 'porrigere pedes' proverbii specie significat mori apud Martialem: 'Tu languore quidem falso subitoque laboras: At mea porrexit sportula, Paule, pedes.' Mortuis etiam pedes extendebantur, cum scilicet eorum corpora formabantur, et componebantur, quod σχηματίζειν vocat D. Chrysost. in sermone de Jobo. *Falso*] Non enim erat verus somnus, sed imitatio somni. Verus enim somnus oritur ex aliis causis, quam veternus.

262 *Quos ego tunc gemitus*] Supple, edidi.

263 *Vidit et exemplum genitrix, gavisaque vovit Quæ lamenta tuli*] Mens: Mater in hoc summo meo mœrore gavisa est, quantum possunt lugentes, tam pio filio, et ab eodem hæc lamenta sibi, cum mori contigerit, conferri vovit: nam duo parentum summa vota, superstites liberos relinquere, et ab iis pie defleri. Gaudebat exemplo, quod in se quoque recasurum

Fas dixisse, Pater: non tu mihi plura dedisses.
Felix ille patrem vacuis circumdedit ulnis,
Vellet et, Elysia quamvis in sede locatum,
Abripere, et Danaas iterum portare per umbras;
Tentantem et vivos molitum in Tartara gressus
Detulit infernæ vates longæva Dianæ.
Si chelyn Odrysiam pigro transmisit Averno
Causa minor; si Thessalicas Admeton in oras,
Si conjux retro Phylaceida retulit umbram,

me magis plorasses. Beatus ille, qui patrem amplexus est vacuis brachiis. Hunc optaret abripere etsi positum in locis Elysiis, ferreque iterum nocte per medios Græcos. Vates grandæva infernæ Dianæ deduxit illum vivum in Tartara. Si minor causa detulit Orpheum cum cithara in pigrum Avernum; si Alcestis reddita est Admeto regi Thessaliæ a Diis infernis, si Laodamia obtinuit videre per unum diem Protesilaum Phylaci nepotem ab Inferis reversum, cur, pater, tua aut mea

præter Parm. quæ habet *vovit*, ut edidit Gronovius.—266 'Ante hæc: *Felix ille patrem, &c.* videntur versus unus atque alter excidisse, est enim loco haudquaquam sensus integer.' *Heins.*—270 *Depulit infernæ* Gronov. Elench. Antidiatr. cap. 7. improbante Marklando, qui tentabat, *Retulit.*—271 Nonnulli *nigro.* Vide ad Theb. XI. 588.—272 Edd. vett. *si thessalicis Admetus in oris.* Heinsius ad Ovid. Fast. I. 287. legit: *si Thessalicas Alcestin in oras;* in Advers. vero loco supra citato: *si Thessalicas Admeton in oras*, quod illi abripuit Marklandus.—273 *Silva una retro philacridis* Venet. 1. *Silva una retro* etiam in Parm. *Silva una tetra* Domitius in Rom. et hinc in Venett. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. &c. Heins. in Advers. et ad Ovid. Heroid. Epist. XIII. 35. legit: *Si lux una retro.* Gronovius Diatr. cap. 59. *Si lasciva*

NOTÆ

sperabat. Contra, de Agrippinæ pavore, ubi Britannicum veneno extinctum accepit, Tacitus Ann. XIII. 'Quippe sibi supremum auxilium ereptum, et parricidii exemplum.' Sic Troadibus Senecæ, occiso Memnone: 'Suique victor operis exemplum horruit, Didicitque Achilles et Deis natos mori.'

265 *Non tu mihi plura dedisses*] Supplè, lamenta. Id est, si fuissem mortuus ante te, tu non plus me flevisses, quam ego te flevi.

266 *Ille*] Æneas. *Patrem*] Anchisem. *Vacuis ulnis*] Mortui corpus non habent: ideo Æneas amplectendo patris umbram, nihil amplectebatur.

268 *Danaas umbras*] Id est, noctem, qua Danai Trojam expugnarunt.

270 *Infernæ Dianæ*] Proserpinæ, quæ in terris Diana vocabatur: una enim eademque Dea est. *Vates longæva*] Sibylla Cumana, quæ multa sæcula jam vixerat.

271 *Odrisiam*] Thraciam. Innuit descensum Orphei Thracis in Inferos, et videtur esse imitatio Virgilii: 'Si potuit manes accersere conjugis Orpheus.'

272 *Si Thessalicas, &c.* [*Thessalicis Admetus in oris Sylva una retro Phylaceida rettulit umbram*] Locum hunc corruptum feliciter restituit Nicolaus Heinsius paucis mutatis, et legit: *Si Thessalicas Alcestin in oras, Si lux*

Cur nihil exoret, genitor, chelys aut tua Manes,
Aut mea? fas mihi sit patrios contingere vultus,
Fas junxisse manus, et lex quæcumque sequatur.
At vos umbrarum reges, Ennæaque Juno,
(Si laudanda precor,) tædas auferte, comasque
Eumenidum: nullo sonet asper janitor ore:
Centaurosque, Hydræque greges, Scyllæaque monstra
Aversæ celent valles; umbramque senilem
Invitet ripis, discussa plebe, supremis
Vector, et in media componat molliter alga.

cithara nihil pro te simile impetrabit? Liceat mihi osculari paternam faciem, liceat implicare dextras, et quæcumque conditio imponatur. At vos, reges mortuorum, et Juno Ætnea, si justa postulo, avertite faces ac crines Furiarum. Dirus ostiarius nullo hiatu obstrepet, et semotæ valles occultent Centauros et capita Hydræ, ac portenta Scyllæa, et portitor, repulso vulgo, invitet ad oram ripæ manes



retro Phylaceia, &c. Marklandus: *Si conjunx retro, &c. unx* pro *una.*—275 *Cur nihil exhorret* Venet. 1. et Parm.—277 *Ætnæaque Juno* edd. vett. mutavit Gronovius. Heinsius vero ad Claud. Rap. Pros. I. 122. docet scribendum esse, *Hennæaque.*—278 *Si blanda precor* Parmensis.—280 *Centaurusque, Hydræque graves* Venet. 1. Parm. et Rom. unde Markl. tentabat: *Centaurosque, Hydrasque graves.*—281 *Aversæque cedāt* Parmensis; *Aversæ cedāt* Romana.—282 Pro *supremis* Marklandus conj. *supremus,* sc. vector, i. e. Charon; et ita Venet. 1.—283 Idem pro *alga* malit *ulva.*—285 ' Recte: nec quic-

NOTÆ

una retro Phylaceida rettulit umbram: Tangit fabulam Alcestidis, cujus reditum in vitam Admetus vir ejus obtinuisse dicitur, et Protesilai, qui impetravit a Diis infernis videre per unum diem Laodamiam uxorem. *Si lux una*] Unus enim dies Protesilao impetratus est, quo ad superos rediret. Hoc narrat Lucianus in Dialogis mortuorum. *Phylaceida umbram*] Quia Protesilaus Phylaci erat nepos.

276 *Et lex quæcumque sequatur*] Alludit ad legem Orpheo præscriptam.

278 *Tædas auferte comasque Eumenidum*] Lacrymis Etrusci: ' Longe Furiarum sibila, longe Tergeminus custos.'

279 *Janitor*] Cerberus. Pietate Abascantii: ' Tacet ille piis.' *Nullo ore*] Tria enim habebat.

280 *Centaurosque Hydræque greges, Scyllæaque monstra*] Virgilius Æn. VI. ' Centauri in foribus stabulant, Scyllæaque monstra.' Idem: ' At bellua Lernæ Horrendum stridens.' Dicit *greges Hydræ,* ob multiplicia capita quæ habebat. Vide Theb. IV. 533.

281 *Aversæ*] A via qua transeundum est patri. *Umbramque senilem Invitet ripis, discussa plebe, supremis Vector, &c.*] *Vector* Charon. Similis locus Epicedio in Glauciam: ' Illum nec terno latrabit Cerberus ore, Nulla soror flammis, nulla assurgentibus hydris Terrebit. Quin ipse avidæ trux navita cymbæ Interius steriles ripas, et adusta subibit Littora, ne puero dura ascendisse facultas.'

Ite, pii Manes, Graiumque examina vatum,
Illustremque animam Lethæis spargite sertis,
Et monstrate nemus, quo nulla irrupit Erinnys,
In quo falsa dies, cœloque simillimus aër.
Inde tamen venias melior, qua porta malignum
Cornea vincit ebur, somnique in imagine monstra
Quæ solitus. Sic sacra Numæ, ritusque colendos
Mitis Aricino dictabat Nympha sub antro:

senis, et molliter ponat in alga. Accurrite, piæ umbræ, turbæque vatum Græcorum, et perfundite insignem animam floribus Lethes, et ei lucum ostendite, quem nulla Erinnys intrat, in quo lux adumbrata est, et aër simillimus cœlo. Inde tamen venias gratiori forma, porta cornea, quæ vincit eburneam, et me doce in somniis, quæ vivus assueveras. Sic placida Nympha dictabat Numæ in specu Aricino sacra et servandas

quam mutandum. Epithal. Stell. 21. 'Floribus innumeris et olenti spargere nimbo.'' *Markl.* Quam mutationem ante oculos habuerit Marklandus nescio. —287 *In quo haud falsa dies* legi jussit Barthius.—288 Venet. 2. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *qua in porta;* Gevart. Heins. Gronov. Barth. &c. *qua porta.* Pro *porta* Venet. 1. et Parm. *parte.*—289 Pro *monstra* Parm. et codd. Domitii Calderini, *monstrat.*

NOTÆ

284 *Ite, pii Manes, Graiumque examina vatum, Illustremque animam Lethæis spargite sertis*] Pietate Abascantii: 'Jubet ire faces Proserpina lætas, Egressasque sacris veteres Heroidas antris Lumine purpureo tristes laxare tenebras, Sertaque et Elysios animæ præsternere flores.' *Pii Manes*] Manes piorum. *Graium*] Quia Papinius Neapolitanus, ideo Græcus.

287 *Falsa dies, cœloque simillimus aër*] Elysii enim campi suum diem, 'solemque suum, ac sua sidera norunt.' *Falsa*] Quia non similis nostræ diei.

288 *Inde*] Ex locis Elysiis. *Melior*] Gratiori specie: nam persuasum habebant veteres, ut jam observavimus ad Genethliacon Lucani, defunctorum umbras noctu errare, et in somnis apparere amicis carisque, ut eos alloquiis delectarent, ac de instantibus periculis monerent, et semper cum blandissima forma, ne eos terrerent. *Qua porta malignum Cornea vincit ebur*] Respicit fabulam, qua per portam corneam vera somnia mitti credebant veteres, falsa vero per eburneam. Quod elegantissime descripsit Virgilius Æneid. VI. 'Sunt geminæ somni portæ: quarum altera fertur Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris: Altera candenti perfecta nitens elephanto; Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.

290 *Sic sacra Numæ, ritusque colendos Mitis Aricino dictabat Nympha sub antro*] Tangit historiam Numæ, qui, ut facilius induceret Romanos ad recipienda ea, quæ ad religionem, sacraque ac cærimonias Deorum spectabant, simulabat habere nocturna colloquia cum Egeria Nympha in antro, quod erat in sylva Aricina.

Scipio sic plenos Latio Jove ducere somnos
Creditur Ausoniis, et non sine Apolline Sylla.

cærimonias. Sic Scipio ab Italis creditur per quietem instrui a Jove Capitolino, et Sylla nunquam esse sine Apolline.

NOTÆ

292 *Scipio sic plenos Latio Jove ducere somnos Creditur Ausoniis*] Tradit Valerius Maximus, Scipionem Africanum, non ante ad negotia publica vel privata ivisse, quam in cella Jovis Capitolini moratus esset; et ideo Jove genitus credebatur. Vide et Gellium.

293 *Et non sine Apolline Sylla*] Valerius Maximus: 'L. Sylla, quoties prælium committere destinabat, parvum Apollinis signum Delphis sublatum in conspectu militum complexus, orabat, uti promissa maturaret.' Vide eundem Valerium lib. I. cap. 2. ubi affert plura exempla simulatæ religionis.

IV. AD SOMNUM.

Somnum invocat, ut illius beneficio tandem quiescere possit, cum per septem dies totidemque noctes non dormiisset.

CRIMINE quo merui juvenis, placidissime Divum,
Quove errore miser, donis ut solus egerem,
Somne, tuis? tacet omne pecus, volucresque, feræque,
Et simulant fessos curvata cacumina somnos:
Nec trucibus fluviis idem sonus; occidit horror
Æquoris, et terris maria acclinata quiescunt.
Septima jam rediens Phœbe mihi respicit ægras

Quo scelere ego juvenis, quo peccato infelix merui, Somne Deorum lenissime, ut solus carerem tuis muneribus? Omne pecus avesque ac feræ silent, et arbores vertice inclinato videntur quasi lassitudine dormire. Nec idem murmur rapidis fluviis. Horror maris desedit, et æquora littoribus acclinata quiescunt. Jam luna per sep-

NOTÆ

1 *Juvenis*] Bene *juvenis.* De sene enim id mirum non esset. *Placidissime Divum*] Sic Ovidius: 'Placidissime Somne Deorum.'

4 *Curvata cacumina somnos*] Noctu enim cacumina arborum et plantarum curvantur, rursusque ad solem eriguntur.

5 *Idem sonus*] Nocte scilicet quam die.

6 *Maria acclinata*] Poëtæ etiam mare dormire fingunt, ut Maro Æn. IV. 'Sylvæque et sæva quierant Æquora.'

7 *Phœbe*] Luna seu nox; luna enim pro nocte sæpius apud Poëtas, ut supra Epicedio in patrem: 'Nam me ter relegens cœlo, terque ora retexens Luna videt residem.' *Ægras Stare genas*] Id est, non claudi oculos, quippe qui stent semper aperti. *Genas* vero pro oculis sumi Nostro jam

Stare genas; totidem Œtææ, Paphiæque recursant
Lampades, et toties nostros Tithonia questus
Præterit, et gelido tangit miserata flagello.
Unde ego sufficiam? non si mihi lumina mille,
Quæ sacer alterna tantum statione tenebat
Argus, et haud unquam vigilabat corpore toto.

tem noctes remeans videt non mihi claudi solicitos oculos. Ignes Luciferi et Solis toties revisunt me vigilantem, et toties Tithonia transmittit nostras querelas, et tamen miserata perfundit me rore frigidi flagelli. Quomodo ego sufficiam? Non, si mihi essent mille Argi oculi, quos ille sacer tantum alternis excubantes habe-



8 Venet. 1. *totidem Otheæ;* Parm. *totidem Ætheæ.* Eadem pro *revisunt,* quod exhibent Venet. 2. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *reviset;* Venet. 1. *recusent.* Hinc lectionem nostram exsculpsit Marklandus.—10 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Vicent. Brix. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *et gelido tangit.* Hanc lectionem primus mutavit Marklandus.—12 Barthius legendum putat: *alterna tamen in statione.* Heinsius vero in Advers. lib. I. cap. 18. p. 189. *Quæ vafer alterna patula in statione,* vel: *caute in statione:* quem vide ad Ovid. Heroid. Epist. XVI. 314. Hinc Marklandus:

NOTÆ

observavimus.

8 *Totidem Œtææ, Paphiæque recursant* [*revisunt*] *Lampades*] Domitius legit *Æthæas* ab Æthone, uno ex solis equis. Alii legunt *Æthonis.* Sed retinenda vulgata lectio. Nam Poëta appellat *Œtæas lampades* seu stellas, quas Catullus vocat ‘Œtæos ignes:’ et sunt stellæ, quæ in Œta monte videntur oriri, quod accidit iis populis, qui Œtam ab ortu habent. Virgilius: ‘Tibi deserit Hesperus Œtam.’ Nam cacumina montium prima oriente sole illustrantur. *Paphiæque*] Per Paphias lampades intelligit stellam Veneris, quæ eadem ac Lucifer et Hesperus, prout mane vel sero exoritur.

9 *Tithonia*] Aurora.

10 *Gelido flagello*] Quia mane frigidius est. Fingunt autem poëtæ auroram curru vehi, sicque habet flagellum, ut excitet equos morantes. *Tangit* [*spargit*] Quia Aurora roscida est.

11 *Non si mihi lumina mille, Quæ sacer alterna tantum statione tenebat Argus*] Respicit fabulam Argi, cujus corpus respersum erat oculis, quemque Juno commiserat custodiæ Ius. Noster mille lumina habuisse Argum dicit, Ovidius tantum centum: ‘Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.’ *Sacer*] Quia in tutela Junonis. Quidam corrigit *vafer. Alterna statione*] Ovidius: ‘Inque suis vicibus capiebant bina quietem: Cetera servabant, atque in statione manebant.’ *Statione*] Statio proprie militum excubantium ad limen principis, quorum alii alternis vigilant, aliis dormientibus.

13 *Haud unquam vigilabat corpore toto*] Quia semper aliquos oculos apertos habebat, aliis somno ligatis. Hunc Argum fistula sopitum Mercurius interfecit. Juno autem oculos ejus caudæ suæ avis, hoc est, pavonis inseruit.

Et nunc fors aliquis longa sub nocte, puellæ
Brachia nexa tenens, ultro te, Somne, repellit.
Inde veni, nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis; (hoc turba precetur
Lætior ;) extremo me tange cacumine virgæ,
(Sufficit,) aut levior suspenso poplite transi.

bat, et nunquam vigilabat toto corpore. At nunc, heu, aliquis tenens puellam illigatis lacertis, te per longam noctem, o Somne, ultro rejicit. Hinc veni, nec te precor inspergere totum soporem, qui est in pennis tuis : (felicior caterva hoc rogat :) me tange extremitate virgæ : satis est : aut leviter supervola suspenso pede.

alterna tantum in statione.—14 *At nunc heus aliquis* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Heins. Gronov. &c. *At nunc heu aliquis* correxit Joannes Meursius ad Arnobium lib. II. cap. 2. p. 48. et sic etiam legit Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. v. 48. *At nunc heu, si aliquis* Barthius. *Et nunc fors aliquis* ex conjectura Marklandus.—15 Idem Marklandus pro *nexa* malit *nixa.*—16 Barthius Advers. lib. XVIII. cap. 17. proponit: *te totis infundere pennis.*—17 Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *precatur :* mutavit Marklandus.—19 Parm. Rom. et Venet. 1. *aut levior,* quod recepit Markl. *aut leviter* in ceteris.

NOTÆ

14 *Fors* [*Heus*] Lege *Heu.*

16 *Inde*] Ab oculis amantis. *Nec te totas infundere pennas Luminibus compello meis*] Id est, non peto, ut totis alis, seu totus venias. Noster Theb. x. ' Cum vero humentibus alis Incubuit [Somnus]....errare oculi, resolutaque colla, Et medio affatu verba imperfecta relinqui.'

18 *Extremo cacumine virgæ*] Virgam somno dat Statius, ramum Virgilius, alii cornu, ut alibi etiam Noster. *Extremo cacumine*] Summo, *ἀκρᾷ τῇ ῥάβδῳ* Græcis. Sic Horatius: ' Sublimi flagello Tange Chloën semel arrogantem.'

19 *Aut levior* [*leviter*] *suspenso poplite transi*] Volare etiam somnus dicitur. Vide ejus descriptionem Theb. x. Sperabat vero Poëta, sibi soporis aliquid conciliari posse aura ejus, si solum leviter supra eum pertransiret. Noster Theb. x. ' Illius [Somni] aura solo volucres pecudesque ferasque Explicat.'

V. EPICEDION IN PUERUM SUUM.†

Deflet præproperam ac immaturam mortem pueruli, quem recens natum adoptaverat.

Me miserum ! (neque enim verbis solennibus ulla

Me infelicem ! (nunc enim nihil ordiar solennibus verbis, odiosus canoris aquis

† Vulgo : *Epicedion in filium ;* Parmensis : *Epicedion in filium suum ;* Venet. 1.

Incipiam nunc, Castaliæ vocalibus undis
Invisus, Phœboque gravis) quæ vestra, sorores,
Orgia, Pieriæ, quas incestavimus aras?
Dicite: post pœnam liceat commissa fateri.
Numquid inaccesso posui vestigia luco?
Num vetito de fonte bibi? quæ culpa? quis error,
Quem luimus tantis mœroribus? ecce lacertis,
Viscera nostra tenens animamque, avellitur infans;

Castaliæ, ac molestus Phœbo) quæ sacra vestra, quæ altaria polluimus sorores Pieriæ? Dicite: post perlatum supplicium liceat mihi crimen fateri. Numquid posui pedem in nemore interdicto? Num potavi de prohibito fonte? Quæ noxa? Quod scelus, cujus pœnas persolvimus tantis doloribus? Ecce puer, quem visceribus nostris animaque complectebamur, abripitur e nostris brachiis. Non quidem de

Ad Musas. Inscriptio *Epicedion in puerum suum* est ex conjectura Marklandi. *Epicedion in vernam puerum* Heinsius in Advers. pp. 549. 594.—1 Barthius scribendum putat *ultra* pro *ulla*. Vide Advers. lib. XIII. cap. 10.—2 *Incipiam, nec Castaliæ* Rom. Ald. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *ceu Castaliæ* Barthius. *Incipiam nunc, Castaliæ* Isacius Pontanus et Scriverius.—6 Editio Lindenbrogii, *inaccessa*.—8 Pro *mœroribus* Parm. *morientibus*. Pro *lacertis* Venet. 1. Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii, *lacessit*. Hinc Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 4. conj. *fatiscit*, vel *facessit*. Lectio nostra, *lacertis*, debetur Politiano.—9 *Viscera nostra tenens animaque* edd. vett. *animamque* est

NOTÆ

† *Filium Puerum*] Filius ille erat adoptivus.

1 *Neque enim solennibus*] Erant enim certæ et solennes precum formulæ, quibus Deos invocabant. *Ulla*] Id est, carmina.

2 *Vocalibus undis*] Sic Epithalamio Stellæ: 'Et de Pieriis vocalem fontibus undam.' Vide de Castalio fonte prope Parnassum Theb. I. 565.

3 *Sorores Pieriæ*] Musæ.

4 *Orgia*] Orgia proprie sacra Bacchi. Hæc vox usurpatur etiam pro sacris aliorum numinum. *Quas incestavimus aras*] Veteres, cum sibi quid mali accidebat, se in Deos aliquid commisisse existimabant, ut eorum sacra arasque polluisse, lucos ingressos esse, de fontibus sacris et inconcessis bibisse, ut hic Papinius notat. Eadem querela Tibulli lib. I. El. 2. 'Num feror incestus sedes adiisse Deorum? Sertaque de sanctis deripuisse locis.'

5 *Post pœnam liceat commissa fateri*] Domitius hunc locum sic interpretatur: Permitto, ut narretis culpam meam etiam post sumtum de me supplicium.

6 *Numquid inaccesso posui vestigia luco? Num vetito de fonte bibi*] Luci et fontes quidam sacri erant, quos ingredi aut tangere licebat tantum initiatis. Propertius IV. Eleg. 10. 'Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo: Cede agedum, et tuta limina linque fuga. Di tibi dent alios fontes, hæc lympha puellis Avia secreti liminis una fuit.'

8 *Ecce lacertis, Viscera nostra tenens animamque, avellitur infans*] Sic ad uxorem Claudiam: 'Fixamque

Non de stirpe quidem, nec qui mea nomina ferret
Oraque; non fueram genitor: sed cernite fletus,
Liventesque genas, et credite planctibus orbi:
Orbus ego. Huc patres, et aperto pectore matres
Conveniant, cineresque oculis, et munera ferte.
Si qua sub uberibus plenis ad funera natos
Ipsa gradu labente tulit, madidumque cecidit
Pectus, et ardentes restinxit lacte favillas;
Quisquis adhuc teneræ signatum flore juventæ
Immersit cineri juvenem, primaque jacentis
Serpere crudeles vidit lanugine flammas,
Adsit, et alterno mecum clamore fatiscat:
Vincetur lacrymis, et te, Natura, pudebit.

genere erat, nec qui portaret meum nomen, vultumque: non eram pater. Sed videte lacrymas, et sugillatas genas, et meis planctibus orbum me credite. Sane ego orbus. Huc genitores, et matres nudato pectore conveniant, et apportate næniam, et caput pulvere conspersum, si qua est, quæ pede titubante portavit sub mammis turgentibus ad bustum liberos, et contudit humidum pectus, et sopivit lacte flagrantes cineres. Quisquis etiam imposuit rogo adolescentem, florentem tenera ætate, et aspexit sævos ignes irrepere primæ jacentis lanugini, adveniat, et contendat mecum alterno ejulatu. Superabitur fletibus meis, et tu natura erubesces. Tam immanis,



emendatio Heinsii, non item Marklandi. Vide eundem Heinsium ad Claud. p. 37. et in Advers. l. I.—11 *Orave* Markl.—12 Heinsius in Advers. loco jam citato scribendum putat: *et credite fletibus orbum.*—13 Marklandus conj. *apertæ pectora matres.*—14 Edd. vett. *cineresque oculis et carmina ferte.* Heinsius in Advers. *cineremque rogis.* Lectio nostra debetur Marklando. 'Ineptissimus et spurio omni magis spurius versus.' *Barth.*—17 Pro *restinxit favillas* Parm. et Venet. 2. *restrinxit papillas;* et ita Domitii Calderini codd. qui primus recte fecit *favillas:* retinuit tamen *restrinxit;* et ita Amstel. et Gronov.—19 Parm. *primāque jacentis.*—20 Venet. 1. Parm. et codd. Domitii *lanugine malas.* Domitius correxit: *lanugine flammas.* 'Hujus loci constructionem donec aliquis mihi expediverit, det veniam ad hunc modum constituendi: *Carpere crudelem vidit lanugine malas Adsit, et alterno mecum clamore fatiscat.* Ordo est: Et vidit crudelem, cinerem scilicet, carpere malas jacentis prima lanugine.' *Wakef.* Vide Sylv. Crit. Part. IV. p. 23. Venet. 2.

NOTÆ

animi penetralibus imis, nocte dieque tenes.' Et Pietate Abascantii: 'Visceribus totis animoque amplexa.'

13 *Aperto*] Ut fit in luctu.

14 *Cineresque oculis*] Vultum enim ac caput cinere ac pulvere conspergebant. *Munera* [*carmina*] Ad me consolandum.

15 *Plenis*] Lacte.

17 *Ardentes restinxit lacte favillas*] Alludit ad morem, quo rogus vino extinguebatur, ut vidimus ad vs. 69. Consolat. ad Ursum. Sed cum de infante loquatur, elegantissime dicit matrem lacte restinxisse cineres, non vino.

Tanta mihi feritas, tanta est insania luctus.
Hoc quoque cum in * * ter dena luce peracta
Acclinis tumulo, luctus in carmina verto,
Discordesque modos, et singultantia verba
Molior: orsa * * est: atque ira tacendi
Impatiens: sed nec solitæ mihi vertice laurus,
Nec fronti vittatus honos: en taxea marcet
Sylva comis, hilaresque hederas plorata cupressus
Excludit ramis: ignavo pollice chordas

tam vecors est dolor meus. Atque etiam cum post elapsos triginta dies meditor hoc carmen funebre, innixus sepulcro, commuto versus in lamenta; tento dissentientes numeros, et dicta suspiriis interrupta. Luctus loqui impedit, et ira non potest silere. Sed nec mihi suetæ laurus cingunt caput, nec frontem decora infula: en rami taxi arent supra crines, et luctuosa cupressus expellit frondibus suis lætas hederas. Per-

prima lanugine.—24 Venet. 1. et Parm. *Hoc quoque cum in ter, &c.* spatio relicto; Domitii Codd. *Hoc quoque cum in terdena, &c.* unde ille: *Hoc quoque cum meditor terdena, &c.* quod exhibent Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ. *Hoc quoque dum nitor* conj. Gronov. qui tamen maluit hunc versum cum lacuna ponere. Monitis ejus paruit Marklandus. —25 *Acclivis* Rom. Venett. 2. 3. 4. Aldd. &c. correxit Lindenbrogius.—26 *Discordesque in singultantia verba*, spatio iterum relicto, in Venet. 1. —27 *Mollior: orsa est: atque ita tacendi* Venet. 1. et Parm. *Molior: orsa dolor prohibet atque ira tacendi* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. ex emendatione Domitii Calderini: 'Verissima res est sic scribendum. Ira cogit eloqui; dolor prohibet. Vide Advers. lib. XIII. cap. 10. Nihil boni sensus est in Papinii hoc loco, sine ista correctione.' *Barth.* Et hic quoque lacunam statuit Marklandus, jubente Gronovio. Heinsius vero in Advers. lib. I. cap. 2. p. 16. totum locum sic refingit: *Huic quoque dum me do, terdena l. p. Acclinis t. luctusque in c. v...... Molior, orsa dolor prohibent atque ira tacendi, &c.* Antiqui codd. præbent, *luctusque.*—31 *Excludit: ramis ignavo, &c.* vel:

NOTÆ

22 *Et te, Natura, pudebit*] Cum ego, qui non sum pater, ipsos patres, ipsasque matres luctu vincam.

24 *Hoc quoque cum, &c.*] In omnibus codicibus hic versus ita scribitur, spatio relicto: *Hoc quoque cum in terdena luce peracta.* Suggessit Domitius *meditor;* Gronovius conjicit ponendum *nitor.* Niti carmen dicitur, qui magno labore velut e quercu exsculpit.

26 *Discordes*] Ob perturbationem animi.

28 *Sed nec solitæ mihi vertice laurus, Nec fronti vittatus honos*] Hæc insignia in luctu deponere solebant, ut sæpius diximus. *Vittatus honos*] Honor seu ornamentum vittarum.

29 *Taxea marcet Sylva comis, hilaresque hederas plorata cupressus Excludit ramis*] Epicedio in Patrem: 'Fugere meos Parnassia crines Vellera, funestamque hederis irrepere taxum Extimui, trepidamque (nefas) arescere laurum.' *Taxea Sylva*] Taxei rami.

Pulso: sed incertum digitis errantibus amens
Tundo chelyn: juvat heu, juvat illaudabile carmen
Fundere, et incomte miserum laudare dolorem.
Sic merui; sic me cantuque habituque nefastum
Aspiciant Superi: pudeat Thebasque novumque
Æaciden: nil jam placitum manabit ab ore.
Ille ego, qui toties blandus matrumque patrumque
Vulnera, qui vivos potui mulcere dolores;
Ille ego lugentum mitis solator, acerbis
Auditus tumulis, et descendentibus umbris,
Deficio, medicasque manus, fomentaque quæro
Vulneribus (sed summa) meis. Nunc tempus, amici,
(Quorum ego manantes oculos et saucia tersi
Pectora,) reddere opem, sævasque exsolvere grates.

cutio fides debili pollice: sed incertus quid canam, frango citharam vagantibus digitis. Juvat heu, juvat fundere illaudatos versus, et inculte celebrare infelicem luctum. Sic merui, sic Dii me cernant funestatum cantu et habitu. Pudeat scripsisse Thebas ac novum Æacidem. Nihil jam lene ore effluet. Ille ego, qui blandus toties quivi lenire plagas, et vehementissimos dolores genitorum ac genitricum; ille ego placidus solator flentium, auditus ab acerbis sepulcris, ac umbris descendentibus in Inferos, fatisco, et postulo medicus manus, et remedia (sed extrema) meis malis. Nunc tempus, sodales, (quorum ego siccavi oculos lacrymis manantes et tersi vulnerata pectora,) reddite auxilium, mutuam referte crudelem gratiam. Scilicet cum ego

Excludit: tremulis ignavo, &c. conj. Marklandus.—32 Edd. vett. *incertam;* Barthius in Advers. lib. XIX. cap. 7. maluit, *insertam;* Marklandus ex conjectura edidit, *incertum.*—33 *Scindo chelyn* edd. vett. mutavit Marklandus.—34 Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 594. legit: *satiare dolorem,* vel *saturare;* Barthius in Advers. lib. XIX. cap. 7. *lacerare dolorem;* Scriverius: *cantare laborem;* Marklandus: *et incomtu miserum nudare dolorem;* Parmensis enim habet, *incomite.*—37 Edd. vett. *placidum,* pro quo Marklandus edidit: *placitum.*—38 Pro *blandus* Parmensis *blando.*—39 Marklandus conj. *qui veros potui.*—42 Heins. ad Ovid. Pont. v. 11. 20. tentabat: *fomentaque quæro Vulneribus, sed vana, meis.* Locum corruptum putat Marklandus, sed intentatum reliquit.—43 *Nunc tempus amicam* Parmensis.—45 Edd. vett. *reddite*

NOTÆ

35 *Cantu*] Id est, funebri nænia. *Habitu*] Taxo scilicet et cupresso, quibus coma cingitur.

36 *Thebas*] Thebaidem. *Novumque Æaciden*] Achilleidem, quam post absolutam Thebaida susceperat.

39 *Vivos*] Ad vivum pungentes, altius penetrantes.

41 *Descendentibus umbris*] Sic Lacrymis Etrusci: 'Talia dicentem genitor dulcedine læta Audit, et immites lente descendit ad umbras.'

43 *Sed summa*] Cum vulnera mea gravissima sint.

44 *Manantes*] Lacrymis.

45 *Sævas exsolvere grates*] Grates

Nimirum tunc vestra domans ego vulnera, mœstos
Increpui: nunc damna dolens alterna, reposco
Infelix lacrymas, et mitia carmina quæro.
Verum erat: absumtæ vires, et copia fandi
Nulla mihi, dignumque nihil mens fulmine tanto
Repperit: inferior vox omnis, et omnia sordent
Verba: ignosce, puer: tu me caligine mersum
Obruis ah dira: viso sic vulnere caræ

reprimens vestros luctus, vos afflictos redarguebam, tunc dolens aliena mala, mihi miser reponebam fletus, et reservabam mœstos versus. Æquum est, ut nunc mihi rependatis: exhaustæ enim vires mihi sunt, nullaque mihi facultas loquendi, et animus nihil invenit, quod respondeat tanto infortunio: omnis vox infra est, et omnia verba sordent. Da veniam, o infans. Tu me tristem obruis horrendis tenebris.

opem, sævas exolvite grates. Heinsius emendavit ad Claud. Præf. Rufin. I. 4. non vero Marklandus.—46 *Nimirum cum vestra domus ego funera, mœstus* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *Nimirum cur* Parm. et Venet. 1. Hinc Heinsius in Advers. *Nimirum cur vestra domus ego funera mœstus;* pro *domus* etiam conjectabat *domans;* unde Gronovius: *domans ego funere mœstos.* Venet. 2. et Rom. habent *domans.* Lectio nostra debetur Marklando.—47 *Increpitans qui damna* Venet. 1. et Parm. *Increpito tunc damna* Aldd. Colin. Gryph. &c. *Increpito, qui damna* Heinsius in Advers. *Increpui: nunc damna* Markl. et, *alterna reposco* pro vulg. *aliena repono;* Venet. 1. *aliena repone.*—48 Venet. 1. *et tristia carmina serva;* Aldd. Colin. Gryph. &c. *et tristia carmina servo;* altera lectio est ex ingenio Marklandi.—49 *Verum eat* Heinsius ad Claudian. Eutrop. II. 155. *Verum hæ jam absumtæ vires* Barthius.—50 Edd. vett. *flumine tanto;* Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, *fulmine tanto,* quod reposuit Til. et sic legit Scriverius.—52. 53 Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *ignosce puer: tu me caligine mœstum Obruis, a duro viso sic vulnere caræ.* Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 594. legendum putabat: *tu me caligine mersum:* et hoc proposuit Marklandus, non nominato Heinsio. Mox Parmensis habet: *Obruis, ah! durum;* unde Heinsius ibidem: *haud durum, viso sic vulnere caræ, &c.* Barthius in Advers. lib. XIX. cap. 7. tentabat: *tu me caligine mœstum Obruis ah dura! viso, &c.* vel: *Obruis, adjuro: viso, &c.* Gronovii amicus: *tu mi caligine merso Obvius arsurus: viso, &c.* Gruterus in Schedis voluit: *Obruis ah durus! viso*

NOTÆ

sævæ sunt, cum in casu crudeli redduntur.

46 *Nimirum tunc vestra domans ego vulnera, mœstos Increpui*] Hoc pæne loquendi modo utitur Epicedio in Glauciam: 'Ægrumque dolorem Libertate doma.'

47 *Reposco* [*repono*] *Infelix lacrymas*] Cum ego lugerem, ac carmine celebrarem damna aliorum, reservabam pro me lacrymas et tristes versus.

49 *Verum erat*] Quod scilicet dicebatis, nullum carmen satis esse ad lacrymas reprimendas. *Domitius.*

50 *Fulmine tanto*] Sic Epicedio in Glauciam: 'Me fulmine in ipso Audivere patres.' Quintilianus: 'Ut prorsus posset hinc esse tanti fulminis metus, quod observatum fere est, celerius occidere festinatam maturitatem.'

53 *Viso sic vulnere caræ Conjugis*]

Conjugis, invenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce sibi: sic busta Lini complexus Apollo
Non tacuit. Nimius fortasse, avidusque doloris
Dicar, et in lacrymis justum excessisse pudorem.
Quisnam autem gemitus, lamentaque nostra reprendit?
O nimium felix, nimium crudelis, et expers
Imperii, Fortuna, tui, qui dicere legem
Fletibus, aut fines audet censere dolendi!
Incitat (heu) planctus: potius fugientia ripas
Flumina devincas, rapidis aut ignibus obstes,
Quam miseros lugere vetes: tamen ille severus
(Quisquis is est) nostræ cognoscat vulnera causæ.
Non ego mercatus Pharia de pube loquaces

Sic Orpheus, ut aspexit sævam plagam dilectæ uxoris, non reperit, quo se cantando solaretur: sic Apollo tenens tumulum Lini siluit. Immodici fortasse pertinacisque luctus censeor, et superasse æquum modum lacrymarum. Quisnam autem culpat gemitus et ejulatus nostros? O nimium beatus, nimium sævus, et immunis est a tua dominatione, o fortuna, qui audet præscribere leges lacrymis, et ponere modos dolori. Auget, heu, gemitus. Potius sistes fluvios exundantes ripis, aut resistes rapidis flammis, quam prohibeas infelices flere. Ille tamen rigidus (quisquis ille est) discat causam nostræ plagæ. Non ego emi garrulas delicias de nave Pharia, nec

---

si vulnere; et mox quoque: *si busta Lini.* Gronovius in Diatr. cap. 61. *haud diro viso sic vulnere.* Ex his omnibus conjecturis lectionem nostram consarcinavit Marklandus.—56 *Conticuit* Parmensis, probantibus Heinsio et Gronov. —57 *Dicor* edd. vett. mutavit Marklandus.—58 Barthius conj. *Quispiam autem.* Venet. 1. *lamentaque nostra reprendis.*—63 *Flumina devinces* Parmensis; *citius fugientia ripas Flumina detineas* Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 4. p. 595.—66 *Pharia de puppe* edd. vett. Heinsius correxit ad Ovid. Met. VII.

NOTÆ

Similis locus in Pietate Abascantii: 'Qualis conspecta conjuge segnis Odrysius vates positis ad Strymona plectris Obstupuit, tristemque rogum sine carmine flevit.'

55 *Lini*] Duo fuerunt Lini Apollinis filii, alter illius et Psamates filius, quem infantulum canes dilacerarunt, de quo pluribus agitur sub finem Theb. I. Alter et Terpsichores filius, qui Musicæ peritissimus fuit, ac magister Thamyræ, Herculis, et Orphei. Hunc ab ipso Hercule ictu citharæ occisum ferunt, quod cum rusticius canentem irrideret.

56 *Nimius doloris*] Id est, qui nimium indulget dolori. Sic apud Livium: 'M. Manlius nimius animi, cum alios principes sperneret.' Tacito: 'Nimius sermonis erat.'

62 *Incitat* (*heu*) *planctus*] Id est, injustitia istius reprehensoris magis incitat planctus, quam sistit. *Fugientia ripas*] Id est, e ripis erumpentia.

65 *Nostræ cognoscat vulnera causæ*] Hypallage: Causam nostri vulneris.

66 *Non ego mercatus Pharia de pube*

Delicias, doctumque sui convicia Nili
Infantem, lingua nimium, salibusque protervum
Dilexi: meus ille, meus: tellure cadentem
Excepi, et vinctum genitali carmine fovi;
Pulsantemque novas tremulis ululatibus auras
Inserui vitæ: quid plus tribuere parentes?
Quin alios ortus, libertatemque sub ipsis

amavi puerum eruditum probris sui Nili, et procacem simili lingua et jocis. Meus ille meus: sustuli illum labentem terra, illum pannis involvi, ejusque diem natalem cecini, et vitæ inserui illum petentem novas auras trepidis vagitibus. Quid plus parentes dederunt? Quin præbui tibi, infans, alios natales, et libertatem sub ipsis

56.—67 *Ede tuas doctumque* Venet. 1. *Ædituas doctumque* Parm. Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii; *Delitias doctumve* Aldd. Colin. Gryph. *Nequitias doctumque* tentabat Marklandus.—68 Venet. 1. *lingua summum;* Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii: *lingua simium;* Gronovius Diatr. cap. 61. *lingua simili;* Heinsius in Advers. p. 595. *lingua eximie;* Marklandus: *linguæ nimium;* sed edidit: *lingua nimium;* T. Demster. ad Rosin. Antiq. lib. v. *lingua Samium;* et sic voluit Petavius ex Cicerone, improbante Gronovio. Barthius vero ad h. l. *linguaque simul manibusque protervum.* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. ceteræ exhibent: *linguaque simul, salibusque protervum.*—70 *Aspexi et unctum* Rom. et Venet. 2.—71 *Poscentemque novas* edd. vett. Marklandus mutavit. —72 *Inferni vitæ* Parm. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii.—73 Pro *ortus* Parm.

NOTÆ

loquaces Delicias] Sic in Epicedio in Glauciam: 'Non te barbaricæ versabat turbo catastæ; Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans Compositosque sales, meditataque verba locutus,' &c. Vide quæ diximus ad hunc locum. *Pharia*] Ægyptia. *De puppe*] Alii legunt *gente,* alii *pube.* *Delicias*] Inde vocabantur 'delicati,' ac 'delicatæ' Suetonio: nec vox hæc in malam partem semper accepta, ut diximus ibidem.

67 *Doctumque sui convicia Nili*] Seneca lib. de Tranq. Vitæ: 'Pueros quidam in hoc mercantur procaces, et eorum linguam acuunt, et sub magistro habent, qui probra meditate effundant, nec has contumelias vocamus, sed argutias.' *Nili*] Nilus fluvius Ægypti notissimus. *Sui*] Quia pueri isti Ægyptii erant.

68 *Lingua nimium, salibusque protervum*] Describit puerum Pantomimum, qui sensus sermonemque aliorum comœdice refert. Epitaphio Vitalis Mimi: 'Fingebam vultus, habitus, ac verba loquentum, Ut plures uno crederes ore loqui.' Manilius: 'Et si tanta operum vires commenta negarint: Externis tamen actus erit, nunc voce poëtis, Nunc Satyra gestu, referetque affectibus ora, Et sua dicendo faciet, solusque per omnes Ibit personas, et turbam reddet in uno.'

69 *Tellure cadentem*] Sic Theb. I. 60. 'Si me de matre cadentem Fovisti gremio.' Vide ibidem quæ diximus.

70 *Vinctum*] An pannis involutum, an amplexum. *Genitali carmine*] Genethliaco carmine, ut mos erat.

73 *Alios artus*] Natales: manumiserat enim hunc vernulam Papinius, statim ac natus fuerat.

Uberibus tibi, parve, dedi: tu munera nostra
Ridebas, ignarus adhuc: properaverit ille,
Sed merito properabat, amor; ne perderet ullum
Libertas tam parva diem: nonne horridus ipsos
Invidia Superos, injustaque Tartara pulsem?
Nonne gemam te, care puer? quo sospite natos
Non cupii: primo gremium cui protinus ortu
Applicui, fixique meum: cui verba, sonosque
Monstravi, questusque et murmura cæca resolvens;
Reptantemque solo demissus ad oscula dextra
Erexi; blandique sinus jam jamque natantes
Excepisse genas, dulcesque accersere somnos.

mammis. Heu adhuc inscius non curabas nostra dona. Ille amor festinaverat, sed jure festinabat, ne libertas tam exigui temporis amitteret ullum diem. Nonne squalidus incessam ipsos Deos, et iniquos Inferos? Nonne te fleam, dilecte infans, quo vivo non optavi liberos? Qui, statim ac natus es, direxisti ad me et injecisti mihi vagitum, quem docui verba, pronunciationemque (detegam querelas, et occultas plagas) et inclinatus manu levavi ad oscula reptantem per terram: cui solebam in dulci gremio siccare humentes oculos, et conciliare blandum somnum. Cui primum

artus; Rom. Venet. 2. et vet. Lindenbrogii, *arctus.*—74 Edd. vett. *heu munera nostra;* Heinsius in Advers. lib. I. cap. 10. *Lex munera nostra.* Lectio textualis est a Marklando.—75 Sen. Parm. Venet. 2. et Rom. *ingratus adhuc.* Mox *properaverat* Rom. Aldd. Colin. Gryph. &c. *properaverit* Parm. quod reposuit Marklandus.—76 Venet. 2. et vet. Lindenbrogii: *ne perderet omnem.*—80 *Concupii: primo* Parm. et codd. Domitii. Edd. vett. *gemitum qui;* Heinsius in Advers. p. 595. conj. *gremium;* unde Marklandus, non nominato Heinsio, *gremium cui.*—81 *Implicuit fixitque* edd. vett. *Applicui fixique* est ex ingenio Marklandi.—82 Venett. 1. 2. 3. 4. Parm. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c. *questusque et vulnera cæca resolvam;* Heinsius loco citato: *questusque in murmura cæca solutum;* vel: *suetumque in murmura cæca resolvi;* vel: *questusque et murmura cæca cientem.* Hinc Marklandus: *et murmura cæca resolvens;* Heinsium vero, de more, non nominat. Idem Markl. tentabat etiam: *questusque et vulnera cæca resolvi.*—84. 85 Parm. Rom. et vet. Lindenbrogii: *blandoque sinus jam jamque nitentes Excepere genas;* Venet. 1. etiam *sinus,* et *Excepere,* sed deest vox *natantes.* Aldd. Colin. Gryph. Basil.

NOTÆ

74 *Munera nostra*] Libertatem, seu munera quæ dabat infantulo Papinius.

76 *Ne perderet ullum Libertas tam parva diem*] Quia cito extinctus est ille puer.

77 *Horridus*] Efferatus dolore.

80 *Primo gremium, &c.* [*gemitum qui protinus ortu implicuit, fixitque mihi*] Aliqui legunt: *primo genitum quem protinus ortu Implicui, fixique mihi.*

82 *Murmura* [*vulnera*] *cæca*] Virgilius Æn. x. ‘Nec jacta cæcum dare cuspide vulnus.’

Cui nomen vox prima meum, ludusque tenello
Risus, et e nostro veniebant gaudia vultu.

* * * *

DESUNT CETERA.

verbum, quod protulit, fuit nomen meum, et risu nostro delectabatur infans, et lætitia illius veniebat e nostro vultu.

Plant. *blandoque sinu jam jamque natantes Exercere genas;* Tho. Reinesius in Epist. ad Daumium: *blandusque fui jam jamque natantes Exercere genas;* Lindenbrogius: *blandoque sinu jam jamque natantes Extergere genas;* Heinsius: *blandusque sinu jam jamque natantes Exercere genus;* Heinsio quoque placebat *Extergere genas.* Lectio nostra est ex conjectura Marklandi. Venet. 1. *arescere* pro *accersere.*—86 'Aut scribendum: *ductusque tenello Risus;* aut certe: *ludusque tenello Jussus.*' Heins. Vide Advers. p. 597. Venet. 1. *tenebo* pro *tenello.*—87 Heinsius ibidem: *et a nostro.*

NOTÆ

86 *Vox prima*] Id est, cum primum fari potuit.

SYLVARUM FINIS.

P. PAPINII STATII

THEBAIS.

ARGUMENTA

LIBRORUM XII. THEBAIDOS,

EX VETUSTISSIMO CODICE TOLETANO.

SOLVITUR in PRIMO fratrum concordia libro.
Denegat et fœdus, repetitaque regna SECUNDUS.
TERTIUS in Thebas inflammat Dorica castra.
In QUARTO Mavors bello rapit undique Graios.
QUINTUS et Hypsipyles luctus, narratque dolores.
Archemori SEXTUS ludos ad funera ducit.
SEPTIMUS obsessas Thebas, vatisque sepulcrum.
Occidit OCTAVO Menalippi cuspide Tydeus.
Hippomedonta solo dat NONUS et Arcada telo.
Cuspide fulminea DECIMUS Capanea terebat.
UNDECIMUS parili germanos funere jungit.
ULTIMUS Ogygias dat vincere Thesea Thebas.



Aliud in veteribus libris legitur totius Operis Argumentum ; hoc nempe :
Associat profugum Primus Tydeo Polynicen.
Tydea legatum docet, insidiasque, Secundus.
Tertius Hermonidem canit, et vates latitantes.
Quartus habet reges, ineuntes prælia, septem.
Mox furiæ seni Quinto narrantur, et anguis.
Archemori bustum, Sexto, ludique leguntur.
Dat Graios Thebis, et vatem Septimus umbris.
Octavo cecidit Tydeüs, spes fida Pelasgis.
Hippomedon Nono queritur, cum Parthenopeo.
Fulmine percussus Decimo Capaneus superatur.
Undecimo sese perimunt per vulnera fratres.
Argiam flentem memorat Duodenus, et ignes.

Nulla Argumenta habent Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—5 Pro *Hypsipyles* Gevart. Amstel. Gronov. Barth. &c. *Hypsiphiles.*